

Subdistinguo Ratione nra I. ratione
subsistentiae seu personalitatis 2.

Ex libris Cremi M. Regiae ad Varsaviam

Ex libris Eremi M
Regiae Varsav

רהרית

THESES THEOLOGICÆ,

DE

Adventu Chriſti, merito, Unione hypoſtatica, natura aſſumpta, & aſſumptibili, ejusdem Chriſti Sanctitate, Scientia, impeccabilitate, & Præcepto de ſubeunda morte.

QUAS

In Celeberrimo Archi-Epiſcopali Collegio Pragenſi, cum alijs, ex Univerſa Theologia Scholaſtica, annexis Theſibus.

PRÆSIDE.

A.R.P. PETRO GONCZIK,

Sacri Ordinis Ciſtercienſis, Regij Monaſterij Wellehradenſis Profeſſo, nec non in præfato Archi-Epiſcopali Collegio, SS. Theologiæ Profeſſore Ordinario, & Seniore.

Propugnandas ſuſcepit.

Generoſus Dominus, DANIEL JOSEPHUS FEIDEL, Boëmus Oſſecenſis, prænominati Archi-Epiſcopalis Collegij, Candidatus.

Anno 1712. Menſe Auguſto. Die horis meridiem conſvetis.

Vetero-Pragæ in Aula Regia apud Wolffgangum Wickhart, Archi-Epiſcopalem Typographum.


A. Neüraütter sculp. Pragæ

SUB
FAVENTISSIMIS
AUSPICIJS
EXCELLENTISSIMI,
ET
ILLUSTRISSIMI
DOMINI DOMINI,
UDALRICI
FELICIS
POPPEL,
Sacri Romani Imperij
Comitis de Lobkovitz,
Sac. Cæſareæ ac Catholicæ, Regiæque Majeſtatis Caroli VI. Conſiliarij intimi, Camerarij, necnon in Inclyto Regno Boëmiæ Regij Locumtenentis, & Supremi Venerationum Præfecti,
Domini in Neüdorff, Eiſenberg, Sachitz, & Klein-Priſen, &c. &c.
Domini Domini Patroni, ac Mecœnatis Gratioſiſſimi.

EXCELLENTISSIME,
ET
ILLUSTRISSIME
DOMINE DOMINE,
Sacri Romani Imperij
COMES,
Patrone, ac Mecœnas Gratiosissime.

E*Adem planta, quæ in* Europa *globulos, non nisì insulsos parturit, in* India *piper generat, & mutatione soli, quæ inermis erat, mordax fit, & virilis. Idem ensis, qui in* Thersitis *manu erat impotens, Si* Archillis *agitetur brachiô, fulmineam obtinet efficaciam. Eadem lemmata, quæ sine lege à* Marso *posita, nihil omnino videbantur inferre, à* Persio Dialectico *jure disposita, inopinatas consequentias eliciunt, & eô mentem propellunt, ut etiam ab invitis extorqueant assensum.* Excellen-

lentissime,& IllustrissimeDomineComes, *inermis*, *impotens*, *fuit* Theosophia *mea*, *nihil inferentes* Theses, *&* Conclusiones Theologicæ; *at gratiâ tuâ* Theosophia *mutata*, *patrocinio protectâ*, *virilis*, *&* *efficax est effecta*; *favore tuo* Theses, *&* Conclusiones *dispositæ*, *ab invitis etiam assensum extorquentes evaserunt*, Mecœnas *Gratiosissime*. *Et meritò*, *siquidem sub alis magnis* Geminarum Aquilarum, *Gentilitij tui scuti*, *sunt collocatæ*; *hinc non timent* Ulyssis *astutiam*, *non metuunt* Thesei *fortitudinem*, *neque* Sisyphi, *aut* Tantali *inanem laborem morantur*, *dum* Aquilinis *alis proteguntur*. Aquilæ *hæc proprietas esse dicitur*, *quòd non tantùm oculis rectâ lineâ fixis*, *solem intueatur*, *sed etiam alarum beneficiô*, *illum versùs recto itinere volet*. *Unde hanc Epigraphen sustinet*. Rectô oculo, rectóque volatu. *Ad quod aptè P. Jacobus Mansius ita canit*:

Rara avis in Cœlum recto, quæ tramite fertur,
Reginæ volucrum, semita recta patet.

Excellentissime, & Illustrissime Domine Comes, *tuum animum hæc* Aquila *denotat*, *qui directâ semper lineâ*, *in Divinum solem unicè fertur*. *Hæc* Aquila *animæ tuæ præclarum est paradigma*, *quæ virtutem operationis volatui ità connexam habet*, *ut neutra à directo tramite unquam sese in adversum agi patiatur*. Aquilam *imitaris* Mecœnas Gratiosissime; *quia ità medium in ne-*

gotijs

gotijs hujus Inclyti *Regni Boëmiæ gerendis servas, ut nunquam ad dextram, neque ad sinistram declines; unde non immeritò scutum tuum Gentilitium A-quilâ Geminâ decoratur. Denique quidquid præter eximiam prudentiam, summam in rebus gerendis dexteritatem, aliásque animi tui dotes, in Te suspicio, vel suspicor, motivum fuit, ut præsentem* de Verbo Incarnato *pagellam, non alteri, quàm tibi substernam,* Patrone Honorandissime. *Ad quod præstandum, addidit mihi animos, benignissimi favoris tui, ad omnes inclinata propensio, quæ, cùm tot alios beaverit gratijs, tuæ ut considerem benevolentiæ, efficacissimè persuasit, quam si clementi respexeris oculo, muneris digni munus referet, non ab offerentis humilitate, sed à suscipientis dignitate, cui non modò, mea, sed & me ipsum submisso affectu devoveo, sperans, quòd, quem hactenùs per gratiosum annutum fovisti, & quasi novâ animâsti animâ, gratiâ tuâ, deinceps fovere non desines. Ità optat*

Excellentissimæ, & Illustrissimæ Dominationis Tuæ.

Clientum minimus

DANIEL JOSEPHUS FEIDEL.

Censura Reverendissimi Archi-Episcopalis Consistorij Pragensis.

PRæsentem Tractatum, de *Adventu Christi, Ejusdem merito, Unione Hypostatica &c. &c.* accuratè revidi. Atque ùt Orthodoxæ fidei, morúmque regulis per omnia conformem, ità clarè, & solidè elaboratum esse: Luce proinde publicâ dignum censeo. Pragæ ad S. Nicolaum 30. Januarij 1712.

JOANNES STEINER, S. J. SS. Theologiæ Doctor, Reverendissimi Archi-Episcop: Consistorij Assessor.



Facultas ejusdem Reverendissimi Archi-Episcopalis Consistorij Pragensis.

Conceditur facultas imprimendi.

DANIEL JOSEPHUS MAYER de MAYERN, Sac: Metrop: Ecclesiæ Pragensis Præpositus, Vicarius Generalis & Officialis.



Author ad Lectorem.

BEnevole Lector, prodivit in lucem anno 1708. *De Poßibilitate, Cognoscibilitate, & Neceßitate Dominicæ Incarnationis* libellus, ab Admodum Reverendo, Religioso, Venerabili, ac Præcellente, P. FRANCISCO SPEER, Sacri Ordinis Cistercienſ. Inclyti Monasterij Ossecensis Professo, SS. Theologiæ Baccalaureo formato, in hoc Celeberrimo Archi-Episcopali Collegio, ejusdem Facultatis Theologicæ Professore Ordinario, & Seniore; nunc verò Salæ Mariæ ad Brunam in Moravia, Præposito Dignissimo, præclarè elaboratus; ut itaque Benevole Lector, omnium materiarum, Mysterium Incarnationis concernentium notitiam habeas, præsentem tibi pro tenuitate elaboratum, præsento libellum, illô pro Majori Dei Gloria utere, defectibus parce, & bene vale.

THE-



THESES THEOLOGICÆ.

Ex tertia parte

THESIS I.

Christus (1mò) venisset in carne impassibili, etiamsi Adam non peccâsset. Est Scotistarum contra Thomistas. *Non quidem vi præsentis decreti secundùm omnes terminationes accepti, sed vi alterius.* Ità Suarez *q.* 1. *de Incarnati. Disp.* 5. *Sect.* 5. Quem seqvuntur plurimi recentiores. *Et (2dò.) probabiliùs venisset in carne passibili ùt Redemptor, existente solô Originali, etiamsi nulla fuissent peccata personalia in posteris.* Ità S. Thom. 3. *p. q.* 1. *a.* 4. Quem sequitur Vasquez *hìc Disp.* 13. *cap.* 2. Suarez *Disp.* 5. *Sect.* 6. Amicus *hic Disp.* 7. *Sect.* 2. *n.* 151. Sylvester Maurus *q.* 18. *n.* 8. de Rhodes *Disp.* 1. *q.* 4. *Sect.* 2. *§.* 2. Gonet *Disp.* 5. *a.* 2. Poncius *Disp.* 37. *q.* 2. *concl.* 1. Leonardus Penafiel *hìc Disp.* 3. *Sect.* 3. Et alij plurimi Theologi.

PRobatur 1ma *pars Thesis.* 1mò. Ex eo: *quòd Christus venisset in carne impassibili, etiamsi Adam non peccâsset, idque vi alterius decreti.* Unde sic: I.

Divinâ revelatione, tum S. Scripturæ, tum Conciliorum, tum SS. Patrum constat, quòd Deus Incarnationem Filij sui defactò ordinaverit, ad complures utilitates à peccato Adæ independentes. Nam *Joannis* 18. dixit ipse Christus: *Ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* *Ad Hebræos* 2. asseritur esse finis, propter quem sunt omnia. Item. 1. *ad Corinth.* 3. dicitur: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi* &c. *Ad Colossenses* 1. *Ad Ephes.* 1. vocatur: Caput Ecclesiæ. *Ad Roman.* 8. Exemplar omnium prædestinatorum &c. Concilium Trid. *Sess.* 6. *de Inst. Can.* 21. ità definit: *Si quis dixerit Christum JEsum à Deo hominibus datum fuisse cui fidant: non etiam ùt Legislatorem cui obediant, anathema sit.* S. August. *in psalm.* 36. Et post illum S. Thom. 3. *p. q.* 7. *a.* 9. item. *q.* 8. *a.* 3. & 4. docet: *Christum esse decretum caput omnium Angelorum, ac hominum.* S. Bernardus *Sermon.* 22. *in cantica* asserit: *Etiam Angelorum gratiam fuisse à Christo, ejúsque meritis.* Et S. Thom. *cit. q.* 8. *a.* 1. probat: *de ratione capitis esse, ut gratiam in membra omnia influat &c.* Ex quibus tale formatur argumentum. Christus venit in mundum propter multas utilitates, independentes à peccato; ùt patet ex citatis textibus: ergo etiam venisset propter easdem utilitates, Angelis & hominibus innocentibus, tanquam suis membris conferendas; ùt ampliùs ex dicendis patebit. Atqui non venisset vi præsentis decreti *absoluti*, & *efficacis*, ac *secundùm omnes terminationes accepti*: ergo venisset vi alterius, quod ex præsente arguitur; ùt vult *Suarez citatus.* Probatur *subsumpt. imò.* Quia decretum illud absolutum, quô Deus defactò decrevit Incarnationem, habuit necessariam connexionem cum permissione peccati, adeoque cum passibilitate carnis: ergo vi hujus decreti absoluti, & efficacis, ac secundùm

cundùm omnes terminationes conſiderati, & accepti, non potuit Deus facere aliam electionem mediorum, quàm, quæ defactò facta fuit; & per conſequens vi præſentis decreti abſolutè, & efficaciter intendentis Incarnationem, non potuit Deus efficaciter decernere Chriſtum in carne impaſſibili. *Prob. Ant.* Deus decretô illô abſolutô, & efficaci, quô intendit Incarnationem propter excellentiam hujus Myſterij, & omnes utilitates provenientes Angelis, Adamo, & hominibus innocentibus, ità defactò decrevit, ut ſimul in eodem ſigno conceperit efficax propoſitum exequendi Incarnationem, eô modô, qui eſſet gloriæ Dei, & Chriſti convenientiſſimus, ùt videre eſt *in Libello de cognoſcibilitate, neceſſitate, & fine Dominicæ Incarnationis anno* 1708. *edito. Theſi* 10. §. 2. Atqui permiſſio peccati eſt occaſio habendi Incarnationem, & ejus fines, modô gloriæ divinæ convenientiſſimô: ergo decretum efficax intentivum Chriſti, habuit defactò neceſſariam connexionem cum permiſſione peccati; adeoque etiam cum electione carnis paſſibilis: ergo vi hujus decreti non potuit Chriſtus venire in carne impaſſibili. 2*dò*. Quia decretum præſens, abſolutè intentivum Chriſti, ſupponit ſcientiam mediam de conditionata futuritione peccati Adamitici; atqui ſi Adam non peccâſſet, Deus non habuiſſet ſcientiam mediam de futuritione talis peccati: ergo neque habuiſſet tale decretum, quale defactò habuit; per conſequens Chriſtus non veniſſet vi præſentis decreti abſoluti, & efficacis, ac ſecundùm omnes terminationes accepti in carne impaſſibili, ſed vi alterius, quod ex præſente arguitur, ſi Adam non peccâſſet.

Dices. Ex hoc ſequeretur, quòd Incarnatio fuiſſet bonum tantùm occaſionatum; atqui hoc non: ergo. 2. 2*dò*. Quòd Chriſtus ſuam exiſtentiam deberet pecca-

to: ergo. *3tiò.* Quòd Chriſtus non poſſet gaudere de ſua exiſtentia, nisì gauderet de peccato; atqui hæc ſunt inconvenientia: ergo. *Reſp. Ad 1mum Diſt. Maj.* Sequeretur, quòd Incarnatio fuiſſet bonum tantùm occaſionatum, hoc ſenſu, quòd fuerit à Deo intenta ex occaſione peccati opportuniſſima, ad obtinendum finem intentum, *Conced.* Hoc ſenſu, quòd caſu, & præter intentionem Dei evenerit, *Neg. Maj.* ſimiliter *Diſt. Min. & Neg. Conſeq.* *Ad 2dum Neg. Ant.* Quia peccatum non fuit cauſa Incarnationis volitæ, ſed purè occaſio illam optimè exequendi: ergo Chriſtus non debet ſuam exiſtentiam peccato, ſed infinitæ Bonitati, & Potentiæ Divinæ. *Ad 3tium Neg. ſequel. Maj.* Quia peccatum (*ùt dictum eſt,*) non eſt cauſa exiſtentiæ Chriſti, ſed pura occaſio; unde Chriſtus gaudendo de ſua exiſtentia, non complaceret ſibi in peccato; ſicut, quando Deus ſibi complacet in pœnitentia Petri, non complacet ſibi in ejus peccato, ſed poſitivè diſplicet; ità à pari eſt hìc diſcurrendum.

3. *Confirmatur. 1mò.* Proverbiorum 8. dicitur: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* Vel, ùt LXX. Interpretes legunt: *Dominus creavit me initium viarum ſuarum.* Quæ verba de ſapientia Incarnata, ſeu Chriſto exponunt omnes ferè Antiqui Patres Græci, & Latini, teſte *Suarez Diſp. 5. de Incarnat. Sect. 2.* Nam Increata, ſeu Chriſtus ùt Verbum, non eſt Creata Sapientia, ſed genita, nec Patrem agnoſcit ùt Dominum, ſed ùt æqualem: ergo Chriſtus fuit prædeſtinatus ante omnem creaturam; & per conſequens veniſſet, etiamſi Adam non peccâſſet. *Confirmatur 2dò.* Ibidem Proverbiorum 8. *v. 21.* Divina & Incarnata Sapientia de ſe dicit: *Deliciæ meæ, eſſe cum filijs hominum*: ergo ſi delicias ſuas habet defactò cum hominibus peccatoribus, à fortiori illas habuiſſet cum ijsdem

dem innocentibus; adeoque venisset etiamsi Adam non peccâsset. *Confirmatur 3tiò.* In Symbolo Nicæno dicitur : *Propter nos*, & *propter nostram salutem descendit* : ergo, si non peccâsset homo, adhuc Christus propter illum venisset. Atqui non venisset vi præsentis decreti, ùt paulò ante dictum est : ergo venisset vi alterius, quod ex præsente arguimus.

Probatur 2dò. Etiamsi Adam non peccâsset, fuisset 4.
tamen creatus in carne impassibili, & immortali, habuisśetque gratiam ex meritis Christi; idem' est de Angelis : ergo similiter Christus venisset in carne impassibili, tanquam sanctificator Adami & Angelorum innocentium. Atqui non venisset vi illius decreti *absoluti*, & *efficacis*, supponentis scientiam mediam de futuro Adami peccato, & ùt connexi cum efficaci proposito, exequendi Incarnationem modô gloriæ Dei & Christi accommodatissimô : ergo venisset vi alicujus alterius decreti.

Probatur 3tiò. Conformiter ad nostra principia. Deus 5.
Incarnationem decrevit propter duos fines totales extrinsecos, nempe : propter sanctificationem Angelorum & hominum innocentium, & propter remedium peccati : ergo alterutrô deficiente, fuisset nihilominùs facta Incarnatio; nam manente unô fine totali, manet adhuc intentio efficax, respectu alterius. *Ant. deberet quidem videri in Libello Thesi* 10. *sufficienter probatum*; nihilominùs breviter sic probatur. *Tum*, quia perfectiùs operatur ille, qui operatur propter duos fines totales, quàm ille, qui operatur propter fines partiales; ùt patet in jejunante non solùm ex motivo temperantiæ, sed etiam ex motivo eleemosynæ, pœnitentiæ, justitiæ &c. ergo etiam perfectiùs operaretur Deus, si Incarnationem ordinaret ad plures utilitates, tum independentes, tum dependentes à pecca-

to Adami, tanquam ad plures fines totales: ergo dicendum est, quòd Deus defactò illam hôc modô ordinaverit. Tum, quia juxta *S. Thom. 2. 2. q. 2. a. 7.* ⊙. Adamus in statu Innocentiæ fide Divina credidit, se consecuturum beatitudinem, per merita Christi, etiamsi in statu Innocentiæ permaneret: ergo credidit fide Divina (*cui non potest subesse falsum,*) Christum venturum fuisse, etiamsi non peccâsset: ergo præter remedium peccati, fuit aliquis finis totalis extrinsecus Incarnationis; atqui non alius, quàm illæ utilitates, quæ ex Incarnatione provenerunt Angelis & hominibus innocentibus, independenter à peccato Adami: ergo. Atqui etiam utilitates illæ, quæ ex Incarnatione provenerunt hominibus dependenter à peccato, erant finis totalis Incarnationis, ùt ipsimet adversarij fatentur: ergo Deus defactò voluit, & decrevit Incarnationem propter hos duos fines totales: ergo Deus ordinavit Incarnationem ad plures fines totales extrinsecos. Tum, quia pro illo priori signo ante prævisum Adami peccatum, Deus decrevit Incarnationem quoad substantiam, ùt videri potest in citato libello *Thesi 10.* §. 2. ergo propter aliquod motivum, & quidem adæquatum; quia vi motivi inadæquati, & solùm partialis, Incarnatio decerni non poterat, ut postea vi hujus decreti quoad substantiam sequeretur, & poneretur; atqui hoc motivum non fuit aliud, quàm glorificatio Angelorum, & hominum innocentium: ergo. Tum, quia, si doceatur, quòd Incarnatio propter hos duos fines totales extrinsecos fuerit decreta, magìs commendatur Beneficentia Dei & amor, tam erga Angelos & homines innocentes, quàm erga homines lapsos, majorémque tam Deus, quàm Christus meretur laudem & gratitudinem, propter talem modum operandi: ergo

sic

ſic docendum eſt; cùm aliunde nulla in hoc ſpecialis appareat repugnantia.

Confirmatur 1mò. Chriſtus in primo electionis & 6.
prædeſtinationis ſigno, non fuit volitus, ùt obſervat Maſtrius hìc *Diſp.* 4. *q.* 1. *a.* 3. *n.* 38. & prædeſtinatus præcisè propter peccatum, ſeu peccati remedium; ſed. 1mò. Propter ſuam intrinſecam excellentiam tanquam finem intrinſecum Incarnationis. *2dò.* In hoc ſigno deſignatus fuit Chriſtus in caput myſticum Eccleſiæ (*ùt patet ex ordine ſignorum in libello citato Theſi* 10. §. 2. *recenſitorum,*) item in cauſam finalem & exemplarem omnium prædeſtinatorum, ùt patet. Tum, ex illo ad *Epheſ.* 1. *ipſum* (id eſt Chriſtum,) *dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* Ubi etiam *cap.* 5. ità dicitur: *Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus Eccleſiæ.* Tum ex illo ibidem ad *Epheſ.* 1. *v.* 4. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Et *v.* 5. *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum, per JEſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.* Tum, ex illo ad *Roman.* 8. *v.* 29. *Quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*; adeoque Deus decretô ſuô intentivô (*apud nos in ſignò 4tò.*) intendit Incarnationem propter excellentiam myſterij, tanquam finem intrinſecum Incarnationis volitæ; omnes verò utilitates (*independenter à peccato,*) ex eadem proventuras, intendit Deus tanquam *finem qui* extrinſecum totalem; ipſos autem Angelos, homines innocentes, & univerſum, tanquam *finem cui*: ergo ablatô peccatô, manſiſſet adhuc iſte finis; & per conſequens adhuc Chriſtus veniſſet, etiamſi Adam non peccâſſet.

Confirmatur 2dò. Priùs intenditur bonum, quàm 7.
permittatur malum: ergo priùs decreta eſt Chriſti Incarnatio, quàm permiſſum Adami peccatum. *Prob.*

Ant. Priùs intenditur habitus, quàm permittatur privatio ejusdem: ergo. Atqui peccatum est privatio boni, seu rectitudinis debitæ: ergo priùs intendebatur à Deo aliquod aliud bonum, quàm fuerit permissum peccatum.

8. *Confirmatur 3tiò.* Cum Leonardo Penafiel. *Disp. 3. de Incarnat. Verbi Divini. Sect. 2. n. 106.* Si Christus non fuisset prædestinatus ante absolutam prævisionem peccati originalis, B. V. fuisset concepta in peccato originali; atqui hoc non est dicendum, cùm moderno tempore hæc sententia sustineri non possit: ergo, Christus fuit prædestinatus ante prævisionem absolutam peccati originalis, & independenter ab illo. *Prob. sequel. Maj.* Christus juxta sententiam contrariam prædestinatus est post prævisionem absolutam peccati originalis; atqui peccatum originale infecit totam naturam humanam, & omnia illius individua: ergo, si Christus non fuisset prædestinatus ante absolutam prævisionem peccati originalis, B. V. fuisset concepta in peccato originali. Ità infert ex contraria sententia citatus Leonardus Penafiel, & pro nostra adducit 24. Authores *Disp. 3. Sect. 2. sub Sect. 3. n. 78.*

9. *Prob. 4tò.* Si Adamo adhuc innocenti (*cui factam fuisse revelationem Incarnationis futuræ, docet S. Thom. hic q. 1. a. 3. ad 5. Et 2. 2. q. 2. a. 7. cum communi Theologorum,*) proposita fuisset hæc quæstio: utrùm Christus esset venturus, si ipse Adam in statu innocentiæ permansurus esset? Procul dubio, quòd ad hanc quæstionem respondisset, affirmativè. Sic enim argumentatus fuisset: mihi revelata est futura Verbi Divini Incarnatio, & ego illam futuram fide divinâ credo, & faciliùs credo Verbum Divinum incarnandum, si ego nullum obicem tantæ beneficentiæ posuero, quàm, si posuero maximum peccati obicem: ergo

(con-

(*conclusisset Adamus*,) Verbum incarnaretur, etiamsi ego nunquam essem peccaturus; per consequens optimè inferre licèt, quòd Christus venisset, etiamsi Adam non peccâsset.

Probatur 5tò. Etiamsi homo non peccâsset, adhuc matrimonium fuisset Sacramentum, significans futuram physicam unionem hypostaticam cum natura humana, & moralem seu mysticam conjunctionem Christi capitis cum Ecclesia, habuissétque eandem significationem, etiamsi status innocentiæ perseverâsset, ùt docet *S. August. lib.* 1. *de nuptijs. cap.* 21. Atqui significatio Sacramenti non potest esse falsa: ergo futura fuisset Incarnatio, & conjunctio Christi cum Ecclesia, etiamsi Adam non peccâsset: ergo Christus venisset independenter à peccato Adami. 10.

Probatur 6tò. Illa, in quibus Deus specialiori modô existit, sunt finis eorum, in quibus Deus non sic existit; hinc *S. Thom.* infert, Eucharistiam esse finem omnium reliquorum Sacramentorum; & quia Deus specialiter existit in electis per gratiam & gloriam; ideò inferunt Theologi, omnia reliqua naturalia entia, esse propter electos; juxta illam gradationem Apostoli 1. *Corinth.* 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*; Atqui finis est saltèm logicè prior his, quæ sunt ad finem: ergo Christus est saltèm logicè prior omnibus creaturis: ergo est magìs volitus propter se, quàm propter remedium peccati: ergo vi hujus volitionis arguitivè venisset, etiamsi Adam non peccâsset. 11.

Probatur 7timò. Genus humanum, & totum universum, non est melioris conditionis existente peccatô, quàm eô non existente; atqui existente peccatô genus humanum, assumptione humanitatis fuit dignificatum: ergo etiam eô non existente, hac assumptione 12.

ne dignificatum fuiſſet ; adeoque Chriſtus veniſſet, etiamſi Adam non peccâſſet. Quod argumentum deducitur ex illo ad *Roman. 5. v. 10. Si enim, cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij ejus, multò magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius.* Ex quo rurſus ſic arguitur: Deus majorem curam habet hominum poſtquam ſunt liberati à peccato, quàm, dum erant peccatores: ergo, ſi perſeverâſſent in gratia, multò magìs illos dilexiſſet, & majoribus beneficijs proſecutus fuiſſet. Atqui peccatores adeò dilexit, ut ilijs tribuerit Chriſtum: ergo multò magìs juſtis eundem Chriſtum donâſſet, ſi perſeverâſſent.

13. *Probatur 8vò.* Non minùs completa futura fuiſſet hominis beatitudo, ſi Adam non peccâſſet, quàm ſit nunc eodem peccante; alioquin hominis innocentia fuiſſet ipſi impedimento, ad majus bonum conſequendum; atqui nunc hominis beatitudo futura eſt completa per Chriſti humanitatem; conſtituitur enim ex intellectuali cognitione, & amore Dei, & integratur ex corporea viſione humanitatis, ùt multi docent Theologi: ergo etiam tunc completa integraliter fuiſſet per viſionem humanitatis Chriſti; adeoque Chriſtus veniſſet in humanitate impaſſibili, etiamſi Adam non peccâſſet.

14. *Probatur 9nò.* Majus bonum eſt Incarnatio Verbi, quàm totum univerſum, etiam ùt includens totum eſſe ſupernaturale gratiæ, & gloriæ; quia Incarnatio includit bonum increatum: ergo non debuit peccatô non exiſtente, tantô bonô univerſum privari; nam perſeverante ſtatu innocentiæ, non debuit univerſum eſſe imperfectius.

15. *Confirm.* S. Aug. *lib. de natura & gratia. cap.* 2. Et *lib.* 14. *de Trinit. cap.* 23. dicit: *Inconveniens eſſe affirmare, quòd generationes hominū non fuiſſent futuræ, ſi Adam non peccâſſet,*

ac ſi

ac si peccatum necessarium esset, ut nascerentur homines: ergo minùs fuit necessarium peccatum, ut Christus veniret tanquam caput hominum & Angelorum; adeoque natus fuisset, etiamsi Adam non peccâsset. Hinc Rupertus de gloria & honore filij hominis, in Matth. ità dicit: *Si teste Augustinô absurdum esset, Adam non peccante generationes hominum non fuisse futuras, ac si propter homines, ut nascerentur, peccatum esset necessarium, quid de Christo capite, & Rege omnium electorum Angelorum, & hominum censendum? Nisì, quòd, & ipse maximè omnium necessarium non habuerit peccatum, ut homo fieret, delicias suæ charitatis cum illis habiturus*: ergo &c.

Probatur 10mò. Si Deus voluisset Christum existere, non solùm pro circumstantia peccati, sed etiam pro circumstantia non peccati, magìs amâsset Christum, quàm, si voluisset Christum existere pro sola circumstantia peccati: atqui debemus asserere Christum fuisse à Deo summè amatum: ergo etiam debemus dicere, quòd illum voluerit pro circumstantia non peccati; adeoque quòd venisset in carne impassibili, etiamsi Adam non peccâsset. 16.

Probatur 2da pars Thesis. 1mò. Ex eo: *quòd probabilius Christus venisset in carne passibili, existente solô peccatô originali, etiamsi nulla futura fuissent peccata personalia in posteris.* Jam sic: S. Scriptura *Danielis* 9. ubi Incarnatio prædicitur futura, solius peccati originalis delendi, facit mentionem; nam Archangelus Gabriel Danielem de tempore adventûs Christi instruens, sic ait: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas.* Quô locô de peccato originali loqui Archangelum testantur Interpretes. Et de hoc 17.

etiam

etiam loquitur Deus *Isaiæ 53.* dum *v. 8.* ait: *Propter scelus populi mei percussi eum*, vel, *propter ulcus, quod erat in eis*; ùt ex hebræo quidam legunt; ulcus autem vulnus antiquum est, quod proinde rectè in nobis significat peccatum originale, propter quod delendum filius hominis venit in mundum. Unde *Joan. 1. v. 29.* de Christo dicitur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Quod exponens Glossa ordinaria, desumpta ex Venerabili Beda, ait: *Peccatum mundi dicitur originale peccatum, quod est totius mundi.*

18. *Dices.* In alijs versionibus illud *Joan. 1.* legitur in plurali, videlicet: *peccata mundi*: ergo non potest hoc de originali intelligi. *Resp. Transeat Ant. Neg. Conseq.* Cùm enim peccatum originale sit virtualiter multiplex, & radix aliorum peccatorum, potest in plurali vocari peccata, ùt observat *Gonet hic Disput. 5. de motiv. Incarnat. a. 2. §. 1.* Hinc etiam Propheta Regius *psalm. 50.* ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ubi peccatum originale, quod à matre acceperat, vocat *iniquitates*, & *peccata*, quia omnia alia peccata, quæ per totam vitam perpetraverat, in illo virtualiter continebantur, & ab illo, ùt causa & radice pullulabant.

19. *Probatur* 2dò. Authoritate SS. Patrum. S. Dionysius de *Ecclesiast. Hierach.* ante finem, causam adventûs Christi assignat: *naturæ humanæ prolapsum, & prævaricationem divinæ legis in paradiso datæ.* S. Athanasius *lib. 3. contra Arian.* post medium ità loquitur: *Quoniam prima per Adam & via, & janua perierat, & ex paradiso ad mortem deveniebamus, dictúmque nobis fuit:* terra es, & in terram abibis; *ideò Verbum Dei hominum amore, & Patris voluntate, induit creatitiam carnem, ut eam, quam mortalem reddiderat, primus homo*

mò prævaricatione, ipſe propriô ſanguine ſui corporis vivificaret, & renovaret nobis vitam recentem & vivam. Idem ſentit Gelaſius Papa *Epiſt. adverſ. Pelag.* Et alij. Ex quibus eruere licèt, quòd Chriſtus veniſſet propter ſolum originale peccatum.

Probatur 3tiò. Cum Amico hìc *Diſput. 7. ſect. 2. n.* 20.
152. Id, quòd movit Deum ad prædeſtinandum Chriſtum, fuit ruina totius naturæ humanæ, condignâ ſatisfactione, per Chriſtum reparandæ; atqui ſolô originali transfusô in poſteros, etiamſi nulla futura fuiſſent peccata actualia & perſonalia, tota corruiſſet natura humana: ergo exiſtente ſolô peccatô originali manſiſſet motivum Incarnationis; atqui manente eôdem motivô, manet etiam idem decretúm, ſaltèm quoad ſubſtantiam: ergo Chriſtus veniſſet vi præſentis decreti, exiſtente ſolô peccatô originali, etiamſi nulla futura fuiſſent perſonalia in poſteris.

Confirmatur. Primarium, & principale motivum 21.
decernendi Chriſtum ùt Redemptorem, fuit remedium peccati originalis, ùt immediatè ante dictum eſt; atqui ſtante principali motivô, veniſſet Chriſtus ùt Redemptor: ergo.

Probatur 4tò. Paſſibilitas carnis, eſt pœna ſolius 22.
peccati originalis: ergo ſolô peccatô originali exiſtente, Chriſtus erat aſſumpturus carnem paſſibilem; & per conſequens veniſſet exiſtente ſolô peccatô originali, etiamſi nulla futura fuiſſent perſonalia in poſteris. Præterea: ſtante prædeſtinatione Chriſti, ùt ordinati in remedium peccati originalis, poterat Deus nullum permittere peccatum perſonale poſterorum: ergo veniſſet Chriſtus, ùt Redemptor, propter ſolum originale.

Probatur 5tò. Cum Sylveſtro Mauro *lib. 9. hìc q.* 18. 23.
a. 4. Nam, cùm Chriſtus venerit in remedium pec-

cati,

cati, principaliùs venit in remedium peccati majoris; atqui peccatum originale eſt ſimpliciter majus perſonali: *Prob. Min.* Nam, licèt peccatum actuale ſeu perſonale ſit majus intenſivè, cùm ſit magis voluntarium, ùt docet *S. Thom.* 1. 2. *q.* 81. *a.* 1. Tamen peccatum originale eſt majus extenſivè, cùm ſit peccatum totius naturæ humanæ, & inficiat omnes homines; atqui tam bonum, quàm malum, quod eſt commune totius gentis, licèt ſit minus intenſivè, eſt tamen ſimpliciter majus, quàm unius ſingularis perſonæ: ergo. Hinc *Ariſtot.* 1. *politic. cap.* 5. dicit: *bonum gentis divinius & eminentius eſt, quàm bonum unius.*

24. *Confirmatur.* Cum Gonet hìc *Diſput.* 5. *a.* 2. §. 1. Prima & principalis Dominicæ Incarnationis (*intellige in carne paſſibili,*) occaſio fuit, peccatum Adami, in omnes poſteros derivatum, unde ipſemet Chriſtus, qui ad illud delendum miſſus eſt, vocatur à S. Paulo ſecundus Adam 1. *Corinth.* 15. Et de culpa Adami, non verò de peccatis actualibus, & perſonalibus aliorum hominum canit Eccleſia, in benedictione cerei paſchalis: *ô verè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt! ô felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem!* Ergo ſolô peccatô originali exiſtente, Chriſtus veniſſet vi præſentis decreti, quoad entitatem conſiderati.

25. *Probatur* 6*tò.* Cum Vaſquez hìc *Diſput.* 13. *cap.* 2. Chriſtus fuit prædeſtinatus ante præviſa abſolutè peccata actualia poſterorum; atqui id, quod priùs naturâ decernitur, non pendet ab eo, quod primò videtur pro ſigno poſteriore: ergo Chriſti prædeſtinatio, non dependet à peccato actuali poſterorum: ergo Chriſtus veniſſet, etiam non exiſtente ullô peccatô actuali poſterorum. Min. patet. *Prob.Maj.* Chriſtus fuit prædeſtinatus ante permiſſionem peccatorum actua-

actualium in posteris, quæ, stante Christi prædestinatione, poterant non permitti: ergo ante prævisa actualia. *Prob. Ant.* Omnia actualia auxilia gratiæ, ad evitanda peccata actualia, collata sunt posteris per Christum, ùt causam meritoriam; & permissio peccatorum, est negatio efficacis gratiæ per Christum, si vellet, conferendæ, quâ peccata actualia impedirentur: ergo Christus fuit prædestinatus ante permissionem peccatorum actualium: ergo venisset, propter solum peccatum originale, etiamsi nulla futura fuissent actualia in posteris.

Probatur 7mò. Cum Suarez. Qui hìc *Disp. 5. sect. 6.26.* ità concludit, & suam conclusionem sic probat: Ex his colligitur, ex vi illius voluntatis & decreti, quô Deus voluit redemptionem nostram, Christum venturum ad nos redimendum ab originali peccato: etiamsi nullum actuale esset committendum vel permittendum in hac natura. *Probatur ex dictis.* Quia hoc fuit primum motivum volendi, & prædestinandi Redemptionem. *Item*; quia hæc prædestinatio secundùm rationem, antecedit permissionem aliorum peccatorum; quin imò stante decreto hujus redemptionis, potuisset Deus propter Christum prædestinatum inRedemptorem, velle tantam gratiam dare hominibus, ut nullum in eis permitteret peccatum actuale: quod clarè ostendit, & permissionem aliorum peccatorum fuisse posteriorem, & prædestinationem Christi ùt Redemptoris, non pendere ex futuris peccatis actualibus, sed tantùm ex prævisione peccati Adæ, & totius naturæ in ipso. Ità Suarez citatus. Simili modô discurrit *Leonardus Penafiel hìc Disp. 3. sect. 3. n. 199.* asserens: remedium peccati originalis posterorum Adæ, fuisse motivum adæquatum primi decreti divini de mittendo filio suo in carne passibili.

bili. Ex quo patet, quòd exiſtente ſolô peccatô originali, Chriſtus veniſſet in carne paſſibili, etiamſi nulla futura fuiſſent peccata perſonalia in poſteris.

27. Dictum eſt hactenus: *quòd veniſſet Chriſtus propter ſolum originale.* Quia certum eſt de fide, quòd Chriſtus defactò venerit in carne paſſibili, ut homines redimeret ab utroque peccato, tam originali, quàm perſonali, ſive mortali, ſive veniali. Deducitur hoc, ex perfecto munere Redemptoris. Item ex ſcriptura, ubi habetur ad *Romau.* 4. *v.* 25. *Qui traditus eſt propter delicta noſtra.* Ad *Titum* 2. *v.* 14. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* Item 1. *Joan.* 1. *v.* 7. *Sanguis Jeſu Chriſti, filij ejus, emundat nos ab omni peccato.* Conſtat etiam hoc ex *Concilio Toletano,* ubi *cap.* 1. itá dicitur: *Ex tribus divinitatis perſonis, ſolum filium fatemur ad redemptionem humani generis, propter culparum delicta, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & noſtrô liberô arbitriô contraxeramus, reſolvenda, à ſecreto Patris arcano prodijſſe.* Patet denique ex inſtitutione ſacramentorum, baptiſmi videlicet & pœnitentiæ, quæ ſunt Sacramenta mortuorum; baptiſmus enim primò, & per ſe inſtitutus eſt, ad delendum originale; pœnitentiæ autem Sacramentum primò & per ſe ad perſonalia, liberô arbitriô commiſſa, poſt baptiſmum delenda. Principaliùs tamen venit Chriſtus ùt Redemptor ad tollendum originale, quàm ad tollenda peccata perſonalia, ùt inſinuatum eſt. Hinc *S. Thom.* 3. *p. q.* 1. *a.* 4. *in* ☉. ità concludit: *quamvis Chriſtus ad omnia peccata delenda in hunc mundum venerit, principaliùs tamen venit ad tollendum originale, quàm actuale peccatum, illud enim per quod totum genus humanum inficitur, majus eſt, eô, quod eſt proprium ſingularis perſonæ.* Ratio etiam eſt; 1mò. Quia peccatum originale eſt extenſivè ma-

jus malum, quàm ſit perſonale; nam perſonale ſeu actuale eſt ſingulorum, originale autem eſt malum commune totius naturæ humanæ, ùt patet ex *S. Thom.* paulò ante citato, & ex *Sylveſtro Mauro* ſuperiùs *n.* 23. allato; atqui malum commune eſt majus, quàm particulare: ergo. Atqui rectô ordine principaliùs intenditur excluſio majoris mali, quàm minoris; ſicut principaliùs intenditur inductio majoris boni, quàm minoris: ergo. *2dò.* Quia peccatum originale eſt radix, & fons peccatorum actualium ſeu perſonalium, in quantum hominem privat juſtitiâ originali, & ſic privatum relinquit ſuis paſſionibus ſubjectum, ac indignum omni auxiliô gratiæ actualis; atqui medicus, principaliùs intendit tollere morbum radicalem, qui eſt fons cæterorum, quàm alios morbos: ergo. &c.

§. I.

Solvuntur objectiones contra primam partem Theſis, quæ dicit: quòd Chriſtus veniſſet, etiamſi Adam non peccâſſet.

OBjicies 1mò. cum Thomiſtis. Ex eo: *quòd hæc resolutio videatur adverſari S. Scripturæ.* Unde ſic: Ad *Galat.* 4. habetur: *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret.* Item 1. *Joan.* 3. *In hoc apparuit filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli.* Et ibidem *cap.* 4. *Miſit Deus filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.* Idem habetur *Lucæ* 11. ad *Roman.* 3. Item 1. *ad Timoth.* 2. Et in alijs plurimis S. Scripturæ locis; atqui ex his & ſimilibus textibus eruere licet, quòd Chriſtus non veniſſet, ſi Adam non peccâſſet: ergo hoc tenendum eſt. *Reſp. Diſt. ſubſumpt.* Quòd 28.

non veniſſet in carne paſſibili, & vi præſentis decreti ſecundùm omnes terminationes ſumpti, *Concedo.* Quòd non veniſſet in carne impaſſibili, & vi alterius decreti, *Neg. ſubſumpt.* Ex his enim textibus, & ſimilibus, non poteſt ſimpliciter inferri, quòd abſolutè Chriſtus non veniſſet, ſed ſolummodò, quòd non veniſſet in carne paſſibili; cùm ex alijs textibus ſufficienter eruere liceat, quòd ante omnem creaturam fuerit prædeſtinatus. Sic ad *Coloſſens.* 1. *v.* 15. vocatur: *Primogenitus omnis creaturæ. Caput totius corporis Eccleſiæ.* Et ad *Roman.* 8. *Primum prædeſtinatorum exemplar.* Unde legitimâ concluſione Theologicâ inferri poteſt: Chriſtum ſeu Incarnationem divinam quòad ſubſtantiam, ac intrinſecam dignitatem bonitatémque ſuam, fuiſſe ratione noſtrâ, ac connotativè priorem remediô peccati; adeoque redemptionem noſtram à peccato, non fuiſſe neceſſariò, ac unicè finem adæquatum Incarnationis, propter quem unicè ſolùm intenta, & decreta fuiſſet ipſa Incarnatio divina quoad ſubſtantiam; per conſequens eruere licèt, quòd Chriſtus veniſſet, etiamſi Adam non peccâſſet. Alij Theologi, ùt *Maſtrius hìc Diſp.* 4. *q.* 1. *a.* 4. *n.* 59. hos & ſimiles textus ſic explicant: Et illi intelligendi ſunt, quòd defactò Chriſtus venerit etiam in remedium peccati, *Conced.* quòd veniſſet in carne paſſibili, aut abſolutè non veniſſet, ſi Adam non peccâſſet, *Neg.* hos & ſimiles textus.

29. Supponunt enim Theologi tanquam certum: 1mò. Quòd defactò finis Incarnationis fuerit etiam redemptio noſtra, ſeu quòd Chriſtus venerit, ùt poſſet nos à peccato redimere, & liberare; ùt patet ex multis S. ſcripturæ locis ſupra numerô 27. allatis, & etiam ex illo Luc. 19. v. 10. *Venit filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat.* Item 1. *Joan.*

4. v.

4. v. 10. *Miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.* Hoc ipſum in ſymbolo Nicæno profitemur his verbis : *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt :* ergo. 2dò. Supponunt Theologi tanquam certum, quòd non veniſſet Chriſtus, vi præſentis decreti in carne paſſibili, ſi Adam non peccâſſet. Ratio eſt : Quia paſſibilitas carnis in ordine præſentis decreti, eſt pœna peccati Adamitici, ùt patet ex illo ad *Roman. 5. v. 12. Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ità in omnes homines mors pertranſivit, in quo omnes peccaverunt :* ergo paſſibilitas carnis neceſſariò ſupponit peccatum; adeoque Chriſtus vi præſentis decreti, ſecundùm omnes terminationes conſiderati, non veniſſet in carne paſſibili, ſi Adam nòn peccâſſet. 3tiò. probant plurimi alij Theologi apud *Penafiel hìc Diſp. 5. ſect. 3.* relati, quòd Chriſtus veniſſet, vi alterius decreti, ſecundùm aliàs terminationes conſiderati, in carne impaſſibili, etiamſi Adam non peccâſſet.

Objicies 2dò. Ex eo : *quòd hæc ſententia videatur adver-* 30.
ſari doctrinæ SS.Patrum. Jam *ſic* : S. Scriptura loquens de motivo Incarnationis, ſic debet intelligi, ſicut eam intelligunt SS. Patres; atqui SS. Patres, & ſcriptura docent, motivum incarnationis fuiſſe ſolum remedium peccati : ergo hæc ſententia videtur adverſari doctrinæ SS. Patrum. *Prob. Min.* Ex SS. Patribus eſt *S. Auguſt.* qui *ſermone 8. de verbis Apoſtoli* ità inquit : *Si homo non perijſſet, filius hominis non veniſſet.* Et ſermone ſequenti : *Nulla cauſa veniendi fuit, niſi peccatores ſalvos facere; tolle morbos, tolle vulnera, & nulla cauſa eſt medicinæ.* Idem ſentit *S. Ambroſ. de Incarnationis Sacramento. cap. 6.* ità quærens, & dicens : *Quæ erat cauſa Incarnationis ? Niſi ut caro quæ pecca-*

verat, redimeretur. Item S. Gregorius Nazianzenus, cognomento Theologus, *Oratione* 36. ità habet: *Quæ humanitatis propter nos ſuſceptæ, cauſa exſtitit? Profectò, ut nobis ſalus pararetur; quid enim aliud cauſæ afferri poſſit?* S. Leo Papa *ſermone 3tiò: de Pentecoſte* aptiſſimè ſic loquitur: *Si homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus in ſuo honore naturæ manſiſſet, nec Diaboli fraude deceptus à lege ſibi poſita per concupiſcentiam deviâſſet, Creator mundi creatura non fieret*: ergo. Plures citationes SS. Patrum in tres ordines diviſæ, poſſunt videri apud *Penafiel hìc Diſp.* 3. *ſect.* 2. *n.* 136. *Reſp. Diſt. Min.* Atqui SS. Patres docent, motivum Incarnationis ùt factæ in carne paſſibili, fuiſſe remedium peccati, *Conced.* factæ in carne impaſſibili, *Neg. Min. & Conſeq.* Aut aliter *Diſt. eandem Min.* SS. Patres docent, ſolum remedium peccati fuiſſe motivum Incarnationis comparativè ad genus humanum lapſum, *Conced.* Abſolutè, ſeu Incarnationis ſecundùm ſe ſumptæ, aut comparativè ad Angelos & homines adhuc innocentes, *Neg. Min.* Loqvuntur itaque SS. Patres præcisè *comparativè* ad genus humanum lapſum, quia ſcopus illorum erat, homines Chriſti ſangvine redemptos excitare ad gratitudinem, & æſtimationem tanti myſterij, & commendare efficaciam paſſionis, ac meritorum Chriſti.

31. *Replicabis.* Cum Haunoldo hìc *cap.* 2. *controverſ.* 1. Si Deus in Incarnatione alium finem intendiſſet, quàm generis humani redemptionem, non debuiſſet S. Scriptura, nec SS. Patres de motivo Incarnationis ità loqui, ut toti ferè fidelium cœtui anſam præberent non cognoſcendi, aut non æſtimandi illum finem, qui vel maximè commendaret excellentiam Chriſti: ergo. *Reſp. Neg. Ant.* Siquidem non fuit opus, ut S. Scriptura, & SS. Patres clariùs loquerentur, quia aliunde

aliunde conſtat, quòd Deus ſapientiſſimè operetur; unde cùm omnis ſapienter operans priùs velit finem, quàm medium, & finem quidem propter excellentiam finis, non autem propter dignitatem mediorum; ſequitur evidenter, quòd Deus priùs voluerit excellentiam Incarnationis, qui eſt *finis* ejus *intrinſecus*, quàm voluerit media: ergo non erat neceſſe, ut excellentia myſterij Incarnationis, & omnes utilitates, provenientes ex illa Angelis & hominibus innocentibus, declararentur in Sacra Scriptura, & à SS. Patribus, ſed ſatis fuit, hæc recenſita non excludere. Unde textus allati (*ùt multi Theologi obſervant,*) non habent ſenſum excluſivum, ac ſi ab Incarnatione omne aliud motivum excluderent, (*maximè textus S. Scripturæ,*) quia non dicunt ob *ſolam redemptionem noſtram* Chriſtum veniſſe, ſed habent ſolum ſenſum præciſivum, præſcindendo ab alijs motivis. Præterea: faciliùs poſſumus devenire in notitiam finis intrinſeci, difficiliùs in notitiam finis extrinſeci; atqui remedium peccati eſt finis extrinſecus, excellentia autem Incarnationis eſt finis intrinſecus: ergo remedium peccati debuit in ſacra ſcriptura, & à SS. Patribus declarari.

Objicies 3tiò. Ex eo: *quòd hæc ſententia non conſonet S. Matri Eccleſiæ.* Unde ſic: In antiquo quodam hymno de Beata Virgine canit Eccleſia: *Peccatores non abhorres, ſinè quibus nunquam fores tantô digna filiô*: ergo Adamô non peccante, Beata Virgo non fuiſſet Mater Chriſti; per conſequens Chriſtus non veniſſet. 32.
Reſp. 1mò. Quòd præfatus hymnus juxta *Maſtrium hic Diſp. 4. de ſatisfactione Chriſti. q. 1. a. 4. n. 59.* abiverit in deſvetudinem. Alij dicunt: quòd nec fuerit receptus ab univerſali Eccleſia. *Reſp. 2dò.* Quòd tali caſu Beata Virgo non fuiſſet digna tantô Filiô,

 quia

quia Christus *quà homo*, tam dignus laude ex omni capite non fuisset, si passus & mortuus non fuisset; cùm tamen summâ laude sit Christus dignus, propter exhibitam nobis tantam charitatem; ac proinde si non fuissent peccatores, si Christus passus & mortuus non fuisset, Beata Virgo non habuisset tantum filium.

33. *Objicies 4tò.* In benedictione cerei paschalis canit Ecclesia: *O certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est*: ergo non peccante Adamô, non fuisset decreta Incarnatio. *Resp. Explicando authoritatem Ecclesiæ*: necessarium fuit Adæ peccatum ut Christus veniret ùt Medicus, & Redemptor, *Conced.* ut veniret sanctificator, & glorificator Angelorum & hominum innocentium, *Neg.* Necessarium erat Adæ peccatum ad hoc, ut Christus moreretur, ità, ut, si non fuisset peccatum, non habuissemus tam insigne augmentum charitatis, & misericordiæ divinæ, quòd pro nobis voluerit pati & mori, cùm essemus ipsius inimici. His duabus authoritatibus aliqui Theologi potenter propugnant contrariam sententiam, verùm nihil illas roboris habere agnoscit *Arriaga hic Disput.* 14. *Sect.* 2.

34. *Objicies 5tò.* S. Thomas *hic q.* 1. *a.* 3. docet: *Quòd magìs assentiendum sit parti negativæ*, videlicet: quòd Christus non venisset, si Adam non peccâsset: ergo. *Resp.* Quòd Divus Thomas in hoc puncto dubius fuerit, siquidem in *lectione* 4. super caput primum epist. 1. ad Timoth. ità loquitur: *Hæc quæstio est magnæ authoritatis, quia Deus ordinavit fienda secundùm quod res fiendæ erant, & nescimus quid ordinâsset, si non præscivisset peccatum.* Nihilominùs cùm locô supra citatô magìs inclinet in contrariam partem; ideò potest dici, quòd juxtà D. Thom. Christus non venisset vi præsentis decreti, secundùm omnes terminationes accepti;

pti; non autem, quòd non veniſſet vi alterius, ſi Adam non peccâſſet. Aut: quòd non veniſſet in carne paſſibili, non autem quòd non veniſſet in carne impaſſibili vi alterius decreti.

Atque ſic conciliari poſſunt duæ ſententiæ oppo- 35.
ſitæ, videlicet: Scotiſtarum, & Thomiſtarum. Dum enim Thomiſtæ docent: quòd Chriſtus non veniſſet, ſi Adam non peccâſſet; loqvuntur, quòd non veniſſet vi præſentis decreti, & in carne paſſibili. Dum autem Scotiſtæ affirmant, quòd veniſſet; loqvuntur, quòd veniſſet vi alterius decreti, & in carne impaſſibili. Hinc *Suarez* 3. *p. Diſp.* 5. explicans duplicem finem Incarnationis volitæ, & concilians ſententiam Thomiſtarum, cum ſententia Scotiſtarum, ità diſcurrit: Primum motivum, quô viâ originis Deus ab æterno decrevit, ante ullum prævíſum peccatum, ſe ipſum hypoſtaticè communicare, fuit excellentia Incarnationis, & alia bona ex ea conſecutura à peccato independentia: Ex hac ratione primâ viâ intentionis, motus eſt Deus, ad permittendum peccatum in Adamo, quod prævíſum fuerat in priori ſigno rationis, per ſcientiam conditionatam ante omne decretum, videlicet abſolutum. Ratio permiſſionis fuit: quia Deus in prædeſtinando hoc myſteriô, habuit intentionem exequendi illud altiori modô, quô poterat; & quia altior modus illud exequendi erat, ut permiſsô peccatô Incarnatio ordinaretur in remedium peccati, ſic enim non ſolùm increata Bonitas ac munificentia in communicanda Perſona Divina manifeſtaretur, ſed etiam miſericordia, & juſtitia, in ſublevanda noſtra miſeria, oblatâ condignâ ſatisfactione pro peccato. Permiſsô autem peccatô, adeoque prævisô per ſcientiam abſolutam, ſecundum motivum, quô ex occaſione peccati, decrevit Deus ſe ipſum

communicare in carne passibili, fuit humana redemptio, propter quam, non solùm prædestinavit Incarnationem quoad modum passibilitatis, ùt Scotus dicebat, sed etiam quoad substantiam mysterij, ex eo, quòd quælibet ratio seorsim sumpta, fuerit sufficiens, & adæquata, ad prædestinandam substantiam hujus mysterij. Supponit autem *Suarez*, posse quemlibet duplici fine totali, & adæquatô, in suo genere moveri ad effectum producendum, quod etiam nos, ùt probabilius amplectimur. Præterea docet, in primo signo rationis, in quo prædestinatus fuerat Christus tantùm ùt glorificator, & justificator; prædestinatas fuisse omnes creaturas, quæ ad essentialem, & consummatam perfectionem universi, tam in ordine naturæ, quàm gratiæ pertinent. Duobus enim modis poterat Deus velle Christum: unô modô solitariè, & secundùm se, nullô aliô objectivè cum eo volitô, in eodem rationis signo; aliô modô connexum cum creaturis in eodem signo rationis, volendo illum ùt caput, & Principem hominum, & Angelorum, ac potissimum medium ad manifestandam suam gloriam; ac proinde ùt finem proximum omnium suorum operum ad extra. Hôc secundô modô voluit illum, quia hic redundat in majorem dignitatem Christi. Hinc *Suarez* suam sententiam sic deducit: si per scientiam conditionatam, antecedentem omne decretum absolutum Dei, Adam prævisus fuisset, in nulla occasione peccaturus, quod impossibile non fuit; siquidem prævisus esset liberè peccaturus, sequitur cum *Scoto* ex vi præsentis decreti: Verbum fuisse incarnandum; nam adhuc eâ conditione positâ, maneret integra ratio finis, ob quam Deus, ex vi præsentis decreti, voluit incarnari, nempe: ob perfectissimam communicationem sui creaturis, quô casu fuisset incarnatio Verbi

in

in carne impaſſibili, prior, & independens ab omni peccato futuro, ùt *Scotus* contendit. Si autem ſtante tali ſcientia in Deo, de peccato Adæ conditionaliter futuro, nihilominùs noluiſſet illud Deus permittere, tunc juxta *S. Thomam* ſequitur ex vi præſentis decreti, Adamô non peccante Verbum incarnatum non fuiſſe, non quod tale decretum factum ſit poſt abſolutam ſcientiam peccati futuri, quô non exiſtente ceſſaret unicum motivum Incarnationis, quod erat remedium peccati: ſed quia, cùm ex vi primæ intentionis decreverit Deus Verbum incarnari optimô modô, juxta occurrentes circumſtantias, qui modus tunc fuiſſet, ut permiſsô peccatô, Verbum incarnaretur ùt Redemptor; hôc ipsô, quòd peccatum non permiſiſſet, à poſteriori colligeretur, non habuiſſe tale decretum, quod neceſſariam connexionem haberet cum permiſſione peccati, non, ut cum unico medio abſolutè; nam, eô non præviſo ùt futurô, adhuc incarnatum fuiſſet Verbum, ſed ex ſuppoſitione, quòd eſſet præviſum conditionatè futurum. Nam illud præviſum, & permiſſum præbuit occaſionem Deo, altiori modô ad extra ſe communicandi. Probas habemus ex ſcripturis, Chriſtum eſſe prædeſtinatum caput, Regem, & Exemplar omnium prædeſtinatorum, nec non finem omnium divinorum operum, ùt probant omnes præſentis univerſi diſpoſitiones, & gubernationes, quæ eò tendunt, ut hoc feliciſſimum regnum ex Angelis, hominibus, & Chriſto Rege tandem compleatur; at optimus & ſapientiſſimus operandi modus eſt, ut ex fine intento potiùs media eligantur, quàm ex occaſione medij occurrentis finis intendatur: ergo dicendum eſt, non ideò Deum prædeſtinâſſe Chriſtum, quia peccatum prævidit, ſed ideò permiſiſſe peccatum, quia Chriſtum

ſtum ad ſui gloriam optimô modô manifeſtandam prædeſtinavit. Quia verò Deus non poterat prædeſtinare Chriſtum ùt Redemptorem, ante prævisum peccatum ſcientiâ abſolutâ, alioquin virtualiter voluiſſet peccatum; ideò prædeſtinavit illum ùt Redemptorem in carne paſſibili poſt prævisum peccatum, non tantùm ſcientiâ conditionatâ, quia hæc non ſatis eſt, nè Deus non dicatur velle virtualiter peccatum, ſed etiam ſcientiâ viſionis, quæ ſupponit decretum de prædeſtinatione Chriſti. Ità ſalvantur ſcripturæ, quæ docent, Verbum incarnatum fuiſſe in remedium peccati, ſcilicet: in carne paſſibili, quæ decreta eſt in ſecundo ſigno rationis, dependenter à peccato Adæ, præviſo ſcientiâ viſionis, poſt primum decretum de prædeſtinatione Chriſti ſimpliciter. Ità *Suarez ſe explicat loc. ſup. cit.* quod eſt probabiliſſimum & conformiſſimum noſtris principijs de ordine, & ſignis decretorum divinorum, quoad Incarnationem volitam, traditis. Et quamvìs ille concludat: quòd Chriſtus veniſſet in carne impaſſibili, ſi Adam non peccâſſet, *arguitivè* quidem & *indicativè* ex vi præſentis decreti, *formaliter* autem, & *cauſativè* nisì ex vi alterius decreti, cujus futuritionem ſufficienter arguit, & indicat præſens decretum; nihilominùs hæc concluſio nobis videtur coincidere cum iſta: quòd Chriſtus veniſſet in carne impaſſibili, non quidem vi præſentis decreti *adæquatè*, & ſecundùm omnes terminationes ſumpti, (*cùm præſens decretum etiam terminetur ad remedium peccati,*) ſed vì alterius ſecundùm alias terminationes accepti; adeoque hic diſcurſus videtur coincidere cum noſtra ſententia.

36. *Objicies 6tô.* Ex eo: *quòd Chriſtus nullô modô veniſſet, nec vi alterius decreti, ſi Adam non peccâſſet.* Jam ſic:

sic, Particula *non*, est malignantis naturæ, unde totum negat, quid quid post se invenit; atqui, tam S. Scriptura, quàm SS. Patres docent, quòd Christus non venisset, si Adam non peccâsset: ergo, cùm utantur particula *non*, signum est, quòd nullô modô venisset, nec vi alterius decreti. *Resp. Dist. Maj.* particula *non*, est malignantis naturæ in sensu, & rigore scholastico, *Conced.* In sensu scripturistico, *Neg. Maj.* In scriptura enim *ly non*, non semper negat totum, quod post se invenit. Sic *Joannis 7. v.* 8. dicitur: *Non ascendam ad diem festum illum.* Item *Marci* 13. *v.* 32. ubi Christus dixit: *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Et tamen ascendit; tamen juxta omnes Theologos scit de die judicij Filius Dei: ergo signum est, quòd *ly non* in scriptura positum, non semper sit malignantis naturæ, neque semper negetur substantia, sed aliquando tantùm modus; & sic fit in omnibus textibus, quos adversarij contra nos afferre solent.

Replicabis. Qui dicit, quòd Petrus non venisset 37. Pragam, si aliquis casus ipsi in via contigisset, non solùm negat, quòd Petrus non venisset in equo, sed negat absolutè ipsius adventum: ergo etiam, qui dicit, quòd Christus non venisset, si Adam non peccâsset, non tantùm dicit, quòd vi præsentis decreti non venisset, aut in carne passibili, sed absolutè negat Christum venturum. *Resp. Neg. Conseq. Dispar. est*: quia in primo casu nulla adest ratio, ob quam propositio deberet restringi; at verò in altero casu adsunt plurimæ rationes, quas pro Thesi adduximus: ergo.

Urgebis. Si sufficeret negare modum adventûs Chri- 38. sti, in hac propositione: *Christus non venisset, nempe*:

in

in carne passibili, si Adam non peccâsset, tunc etiam hæc propositio esset hodie absolutè vera: *Verbum post resurrectionem non habuit carnem*; quia ampliùs non habuit carnem passibilem; atqui hoc non: ergo nec illud. *Resp. Dist. sequel. Maj.* Esset vera, si restringatur non purè mentaliter, ità ut prudens auditor possit colligere in quo sensu proferatur propositio, *Conced.* Si prudens auditor non possit colligere in quo sensu proferatur propositio, *Neg. sequel. Maj.* Alij *Neg. sequel. Maj.* Rationem dant: quia ex scriptura constat, quòd Verbum nunquam dimiserit illud, quod semel assumpsit: ergo etiam constat, quòd neque carnem, quam semel assumpsit, dimiserit. Ex occasione

39. *Observandum est*: quòd S. Scripturæ sensus debeat erui, vel ex contextu, vel ex scopo præfixo, vel ex subjecta materia, de qua loquitur, si aliunde obscurus sit; si verò textus sit clarus, tunc accipiendus est, sicut sonat, maximè, si nihil inconveniens ex tali acceptione sequatur. Si denique sacra scriptura, aut SS. Patres in aliquo textu aliquid negent, in alio affirment, tunc, ùt observat *Leonardus Penafiel hìc Disp. 3. sect. 2. sub sect. 4.* combinandi sunt, & dicendum, quòd loquantur in uno textu de una, in altero de alia ratione, ac formalitate ejusdem rei, nunquam autem simpliciter, absolutè, & sinè omni implicita restrictione, qui modus explicandi est omnibus sacræ scripturæ interpretibus familiaris, ad tollendas antilogias seu contradictiones, refragationes, vel quasi contrarias orationes. Sic v. g. *Matth. 15. v. 14.* dixit Christus: *Non sum missus, nisì ad oves, quæ perierunt domûs Israël*; qui textus non est accipiendus simpliciter & absolutè, sed subintelligendo: *ad prædicandum, docendúmque propriô ore.* Similiter ergo illi textus

textus intelligendi ſunt, dum ajunt: quod Chriſtus non veniſſet, niſì peccatum eſſet abolendum, nempe: de Chriſto ùt *Medico*, ùt *Redemptore* &c. Cùm ex alijs S. Scripturæ, & SS. Patrum textibus ſupra citatis colligatur, quòd veniſſet propter alios fines, nempe: ut eſſet Doctor veritatis, Legislator, ſanctificator, caput Angelorum & hominum, etiam in ſtatu innocentiæ exiſtentium: ergo &c.

Objicies 7timò. Angeli innocentes fuerunt citiùs, 40.
quàm merita Chriſti: *ergo* non poterant ex meritis Chriſti ſanctificari. *Reſp. Diſt. Ant.* Fuerunt citiùs in executione, quàm merita Chriſti, *Conced.* In intentione, *Neg. Ant. Diſt.* etiam *Conſeq.* Ergo non poterant ſanctificari ex meritis Chriſti nullô modô exiſtentibus, *Conced.* Ut abſolutè prævisis, & ſic exiſtentibus in mente divina, *Neg. conſeq.*

Objicies 8vò. Ex hac ſententia ſequeretur, quòd in 41.
ſtatu innocentiæ fuiſſent duo capita, nempe: Chriſtus, & Adamus; atqui hoc eſt inconveniens: ergo. *Reſp. Diſt. ſequel. Maj.* Fuiſſent duo capita, quorum unum fuiſſet primarium & principale, & alterum ſecundarium, *Conced.* Quorum utrumque fuiſſet primarium, *Neg. ſequel. Maj.* Chriſtus fuiſſet primarium & principale caput, Adamus verò ſecundarium, & quaſi inſtrumentale reſpectu generis humani; in quo nulla eſt inconvenientia.

Objicies 9nò. Quando Deus decrevit Adamum in 42.
carne paſſibili, ordinatè egit: ergo non poterat illum decernere in carne impaſſibili; aliàs inordinatè egiſſet. *Reſp. Neg. Conſeq.* Quia etiam tunc ordinatè egiſſet; ſiquidem propter finem egiſſet, & propter finem Incarnationem decreviſſet.

Pro majori declaratione noſtræ ſententiæ, poteſt 43.
Deus, ùt decernens Incarnationem, comparari ali-

cui homini, qui decrevit efficaciter ire Romam v. g. *propter devotionem*, præſcindendo interim ab alio fine, & à determinato tempore, ac modò, exequendi illud iter; at, ecce ſubitò reſcit, chariſſimum ſuum amicum Romæ graviter ægrotare, & indigere ſuô auxiliô; proinde ſuperveniente hôc novô fine, & motivô, ſubveniendi amico ægrotanti, confirmat illud prius propoſitum eundi Romam, concipítque tale decretum: *Iviſſem quidem Romam, ex fine devotionis; at nunc etiam ibo ex fine ſubveniendi amico, irémque ex hoc ſolo motivo, etiamſi id ipſum non decreviſſem priùs ex motivo devotionis.* Tandem ex hac confirmata, & renovata intentione procedit ad electionem mediorum, & decernit accelerationem itineris, ſeligit viam breviſſimam, aliáque media, quæ non fuiſſet adhibiturus, ex vi ſolius primæ intentionis. *Jam ſubſumitur*: Atqui hæc diſpoſitio itineris eſt prudens, & ordinata: ergo & decretum de Incarnatione exequenda.

44. *Objicies 1omò,* Ex eo: *quòd Chriſtus nec vi alterius decreti veniſſet.* Unde ſic: Chriſtus vi præſentis decreti abſoluti, & efficacis non veniſſet: ergo nec vi alterius veniſſet. *Prob. Conſeq.* Decretum eſt actus Divinæ Voluntatis, volentis aliquid fieri, vel facere; atqui actus Divinæ Voluntatis, non poſſunt multiplicari; hinc communiter *in* 1. *p.* docetur: quòd actus Dei liber non diſtinguatur *entitativè* à neceſſario: ergo nec decreta Divina: ergo Deus non potuit aliud decretum habere diſtinctum à moderno; per conſequens, nec vi alterius decreti veniſſet. *Reſp. Diſt. Ant.* Non veniſſet vi præſentis decreti, ſecundùm omnes terminationes ſumpti, *Conced.* Entitativè ſumpti, *Neg. Ant.* Similiter *Diſt. Conſeq. & Neg. Conſeq.* Dum enim in hac ſententia docetur, quòd Chri-

Chriſtus non veniſſet vi præſentis decreti, ſi Adam non peccâſſet, ſed vi alterius, quod arguimus ex præſente decreto; non docetur, quòd Deus debuiſſet alium voluntatis actum elicuiſſe, & aliud entitativè decretum habuiſſe, (*multiplicatio enim actuum Divinæ voluntatis realiter diſtinctorum, non admittitur à Theologis,*) ſed docetur, quòd idem actus Divinæ Voluntatis, debuiſſet terminari ad aliud objectum, quàm nunc, ſtante adventu Chriſti, terminetur; hinc notanter in Theſi additum eſt: *Secundùm omnes terminationes accepti.* Similiter, dum in hac ſententia docetur: quòd duplici decreto Incarnatio decreta fuerit, non eſt intelligendum, de duplici realiter decreto, ſed de duplici quoad noſtrum modum concipiendi, ità, ut pro priori ſigno ante abſolutam præviſionem peccati, fuerit decreta Incarnatio *quoad ſubſtantiam*, idque in quarto ſigno (*ùt videre eſt in Libello Annô* 1708. *edito, Theſi* 10. *§.* 2.) propter excellentiam hujus myſterij, & omnes utilitates independenter à peccato; pro poſteriori autem in ſigno ſeptimo poſt permiſſionem, & prævifionem peccati, fuerit iterum decreta *quoad ſubſtantiam* in remedium peccati, & propter utilitates à peccato dependentes; ex quo patet, quòd hæc ſententia diſtinguatur à ſententia Scotiſtarum, docentium, quòd Deus priùs decreverit Incarnationem quoad ſubſtantiam, & deinde quoad modum paſſibilitatis.

Replicabis. Ex hoc ſequeretur, quòd Deus fuiſſet mu- 45. tatus, atqui hoc eſt contra S. Scripturam, quæ *Malachiæ* 3. *v.* 6. de Deo dicit: *Ego Dominus, & non mutor*: ergo. *Prob. ſequel. Maj.* Deus voluiſſet jam hoc, jam illud; atqui hoc eſt mutari, ſaltèm quoad actus internos voluntatis: ergo Deus fuiſſet mutatus. *Reſp. Diſt. Sequel. Maj.* Fuiſſet mutatus ex parte

objecti

objecti, & rei volitæ, *Conced.* Ex parte actus voluntatis, *Neg. Sequel. Maj. Ad probat. Dist. Maj.* Voluisset jam hoc jam illud, quoad nostrum modum concipiendi & explicandi, *Conced.* Quoad rem conceptam, & explicatam, *Neg. Maj.* Dum enim statuitur ordo scientiarum, & decretorum divinorum quoad Incarnationem volitam, non statuitur ordo realis, vel intrinsecus virtualis; quia nulla realis successio, nullus intrinsecus ordo, nec prioritas naturæ, datur inter scientias, & decreta Dei ordinantis (*cùm nulla realis, vel virtualis inter hæc intercedat distinctio, propter summam simplicitatem divinam,*) sed tota prioritas naturæ, est tantùm in ipsis rebus ordinatis, & objectis volitis, ùt manifestè colligitur ex doctrina *S. Thomæ 1. p. q. 19. a. 5.* Et *1. contra gentes cap. 76.* Unde hic ordo decretorum divinorum, est solummodò ordo rationis ratiocinantis, qui ordo, aut potiùs signa, nihil aliud sunt, quàm diversæ habitudines, & respectus ejusdem entitativè actus divini, ad diversa connotata sibi invicem subordinata. *Ratio est*: quia ordo signorum nihil aliud est, quàm ordo naturæ, aut causalitatis, vel subsistendi consequentia; qui ordo cùm solummodò inveniatur in rebus ordinatis, & objectis cognitis, ac volitis; ideò ex hoc ordine rerum creatarum, desumitur à Theologis quidam ordo extrinsecus activarum terminationum, in actu simplicissimo divino. Ex quo ordine non licet inferre, quòd in Deo dentur plures actus realiter inter se distincti, aut sibi realiter succedentes; per consequens nec hoc, quòd Deus intrinsecè mutetur.

46. *Urgebis.* Actus voluntatis divinæ concipiuntur ad modum actuum voluntatis creatæ; atqui voluntas creata admittit successionem actuum: ergo etiam Voluntas divina. *Resp. Dist. Maj.* Concipiuntur cum

qua-

quadam analogia, & demptis imperfectionibus, *Conced.* Concipiuntur cum univocatione, & non demptis imperfectionibus, *Neg. Maj.* Quando actus Divinæ Voluntatis concipiuntur ad modum actuum Voluntatis creatæ, tunc à Deo debet demi id, quod in creatura dicit imperfectionem; quia autem hoc, quod in creatura dicit imperfectionem est: 1*mò.* Quod actus voluntatis creatæ sint realiter distincti à voluntate. 2*dô.* Quòd sint accidentales, actuantes potentiam. 3*tiò*: Quòd sint entitativè plures; ideò hæc omnia in Deo debent demi, & ponendus est in illo unus entitativè simplicissimus actus, cum voluntate divina identificatus; adeoque in Deo nulla est successio actuum voluntatis, sed, si quæ reperitur, est tantùm secundùm nostrum modum concipiendi, desumpta à rebus creatis volitis.

Argues. Implicat, ut unus entitativè simplicissimus 47.
actus, tendat in plura diversa objecta; atqui actus Divinæ Voluntatis, tendit in plura diversa objecta: ergo non est unus entitativè simplicissimus. *Resp. Dist. Maj.* Implicat, ut unus entitativè simplicissimus actus creatus, tendat in plura diversa objecta, *Transf.* Implicat, ut actus increatus tendat in plura diversa objecta, *Neg. Maj.* Sicuti enim Deus propter suam infinitatem, est eminenter quodcunque ens, & tamen est ens simplicissimum, ità actus Divinæ Voluntatis, licèt sit unus entitativè simplicissimus, est tamen propter suam infinitatem eminenter quicunque actus voluntatis; unde illa objecta, in quæ voluntas creata tendit, per plures actus entitativè distinctos, possunt attingi ab unicissimo, & entitativè simplicissimo actu Divinæ Voluntatis.

Objicies 11*mò.* Seclusô peccatô generis humani, In- 48.
carnatio non esset per se expetibilis: ergo Christus

 non

non venisset si Adam non peccâsset. *Prob. Ant.* Nullus fuisset ipsius finis: ergo. *2dò.* Incarnatio non est per se expetibilis, nisì in remedium peccati: ergo. *Prob. Ant.* Incarnatio non est per se expetibilis, nisì propter manifestationem *justitiæ*, & *misericordiæ* Dei; atqui seclusô peccatô non fuisset manifestatio *justitiæ* & *misericordiæ* Dei: ergo. *3tiò.* Non possunt attributa divina manifestari, nisì Persona Divina se summè humiliet; atqui Persona divina non potest se summè humiliare; cùm talis humiliatio non sit Deo gloriosa: ergo. *4tò.* Non est gloriosum, nec decorum Regi vel Imperatori, se ità humiliare, ut fiat unus ex subditis: ergo neque est gloriosum & decorum, ut Rex Regum, & Dominus dominantium, fiat infimus homo. *Resp. ad Argument. Neg. Ant. cum sua probat.* Quia patet ex dictis, quòd motivum ponendæ Incarnationis, independenter à peccato, fuisset *excellentia* hujus mysterij, *sanctificatio* & *glorificatio* Angelorum, & hominum innocentium; adeoque Incarnatio non caruisset suô fine, licèt Adam non peccâsset. *Ad 2dum Neg.* iterum *Ant. cum sua probat. Ratio est*: quia Incarnatio non tantùm est expetibilis propter manifestationem *justitiæ* & *misericordiæ*, sed etiam propter manifestationem *bonitatis*, *sapientiæ* & *potentiæ* Dei, quæ tunc intervenisset, etiamsi Adam non peccâsset. Et quidem: *1mô.* Manifestata fuisset *Bonitas Dei*, in quantùm Deus non despexisset proprij blasmatis infirmitatem, sed summè se communicâsset creaturæ. *2dò.* Manifestata fuisset *Sapientia Dei*, in architectando tam mirabili opere ex tam distantibus naturis, humana videlicet, & divina, per unam subsistentiam subsistente. *3tiò.* Manifestata fuisset *Omnipotentia Dei* in producendo opere omnium operum maximo: ergo. *Ad 3tium Dist. Min.*
Per-

Perſona Divina non poteſt ſe ſummè humiliare, ſi per talem humiliationem aliquid de ſua altiſſima majeſtate amitteret, *Conced.* Si non amitteret, utì nec defactò per ſuam humiliationem in carne paſſibili factam amiſit, *Neg. Min. & Conſeq.* *Ad 4tum Reſp. 1mò Neg. Ant.* Si idem poſſet facere Rex, vel Imperator, quod Deus, id eſt: Si poſſet ſubditum ſublevare, vel ſuppoſitare, retinendo tamen ſuam majeſtatem. *Reſp. 2dò. Tranſ. Ant. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt*: quia Rex, vel Imperator ſe ità humiliando, amitteret ſuam majeſtatem; at verò Deus aſſumendo naturam humanam, nihil de ſua majeſtate amitteret; utì nec defactò eandem aſſumendo amiſit: ergo &c.

Objicies 12mò. Nomina in ſacris ſcripturis à Deo 49.
impoſita, ſemper demonſtrant præcipuum officium reſpectu illius, cui ſunt impoſita; atqui Chriſto, in ſacris literis impoſitum eſt à Deo Nomen *JESUS*, ex eo, quòd ille debuerit ſalvum facere populum ſuum, à peccatis eorum: ergo præcipuum officium Chriſti, erat redemptio generis humani; per conſequens, ſi Adam non peccâſſet, Chriſtus non veniſſet: *Reſp. 1mò.* Quamvìs S. Scriptura in aliquibus locis, appellet Chriſtum nomine *JESUS*, alibi tamen etiam appellat ipſum, *primogenitum omnis creaturæ, electum ante mundi conſtitutionem, initium viarum &c.* quæ manifeſtant Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum, & decretum, ante abſolutam prævifionem peccati, à quo venit ſalvare populum. *Reſp. 2dò. Diſt. Maj.* Et ibi S. Scriptura loquitur juxta id, quod defactò accidit, *Conced.* Et loquitur de eo, quòd accidiſſet, ſi Adam non peccâſſet, *Neg. Maj. Conceſſ. Min. Diſt. Conſeq* Si nomine præcipui officij intelligatur præcipua operatio in carne paſſibili, completè, & cum perfecta conſummatione redemptionis generis humani, *Conced.*

Si per præcipuum officium intelligatur principale, & unicum motivum veniendi, *Neg. Conseq.* Hinc optimè Christus appellatus est *JESUS*, quia defactò venit *ùt Redemptor*, sed si non venisset *ùt Redemptor*, aliò nomine fuisset appellatus, ùt observat *Faber* cum alijs Scotistis.

50. *Objicies 13tiò.* Redemptio hominum, & remedium peccati, est præstantius motivum, quàm sanctificatio, & glorificatio Angelorum, & hominum: ergo si Adam non peccâsset, Christus non venisset. *Resp. Dist. Ant.* Est præstantius in aliqua ratione, *Trans.* Est præstantius in omni ratione, *Neg. Ant. & Conseq.* Hæc enim duo motiva se mutuò excedunt sub diversa ratione; nam si consideretur id, quod singula dicunt seorsim sumpta, tunc præstantior est sanctificatio Angelorum & hominum, quàm remedium peccati, si verò redemptio humana, & remedium peccati consideretur non solùm secundùm id, quod addit primo motivo, sed etiam secundùm omne id, quidquid est in illo, tunc hac ratione debet dici majus & excellentius, quia movet divinam voluntatem (*modô sibi proportionatô,*) non solùm ad volendam unionem hypostaticam, sed etiam ad ejus mirabilem modum passionis & mortis, quod censetur esse maximum beneficium. Denique potest etiam dici efficacius motivum, quatenùs majorem indigentiam, & miseriam in natura humana supponit, ex qua indigentia, orta est hujus mysterij major indigentia & necessitas, velut medij, & medicinæ; ratione cujus fit aptius ad Dei justitiam, & misericordiam manifestandam; quia includit omne id, quod est in Incarnatione secundùm se co[illegible]derata, & addit plures alias rationes, quibus magìs manifestantur hæc attributa, supposìtô peccatô & necessitate redemptionis.

Objicies

Objicies 14tò. Si Chriſtus veniſſet in carne impaſſi- 51.
bili, tunc, vel veniſſet in tali ſtatura, utì modò, nempe parvulus, vel in alia utì Adamus productus eſt; atqui nihil horum poteſt dici: ergo, ſi Adam non peccâſſet, Chriſtus non veniſſet in carne impaſſibili. *Reſp. Neg. Min.* Et dico: quòd veniſſet in parva ſtatura, & fuiſſet natus, ſicut defactò. *Ratio eſt*: quia in parva ſtatura venire, & naſci ex Matre, non eſt pœnalitas peccati originalis, ſicut eſt paſſibilitas carnis, ſed eſt conditio ipſa naturæ humanæ; hinc ſi durâſſet ſtatus innocentiæ, homines ità generati, & nati fuiſſent, ſicut defactò generantur, & naſcuntur. Quòd autem Adamus fuerit productus in virili ætate, non verò Chriſtus, aliqui Theologi hanc rationem aſſignant: quia neceſſariò aliquis homo producendus erat, qui non eſſet productus per generationem, nè procederetur in infinitum, & ex quo omnes originem ducerent; atqui non decebat, ut omnes homines ex Chriſto originem ducerent, ſed decebat, ut ſervaret virginitatem, quam etiam magni fecit, & nobis ſervandæ virginitatis exemplum reliquit: ergo.

§. II.

Solvuntur objectiones contra ſecundam partem Theſis, quæ dicit: quòd Chriſtus veniſſet ùt Redemptor, exiſtente ſolô originali, etiamſi nulla futura fuiſſent peccata perſonalia in poſteris.

OBjicies 1mò. Ex eo: *quòd hæc reſolutio videatur* 52.
adverſari S. Scripturæ. Unde ſic: *Lucæ* 11. v. 50. dicitur: *Ut inquiratur ſanguis omnium Prophetarum, qui effuſus eſt à conſtitutione mundi*: ergo Chriſtus

ſtus non veniſſet, nisì fuiſſent actualia peccata illorum, qui ſanguinem juſtorum effuderunt: ergo Chriſtus ùt Redemptor non veniſſet, exiſtente ſolô originali. *Reſp.* Cum Vaſquez *hìc Diſp.* 13. *cap.* 3. Quòd inquiri ſanguinem Prophetarum, apud S. Lucam nihil aliud ſit, quàm vindictam ſumi de occiſoribus Prophetarum; atqui juxta omnes, Chriſtus veniſſet, etiamſi non fuiſſet ſumenda vindicta dè illis occiſoribus Prophetarum: ergo.

53. *Objicies 2dò.* Apoſtolus ad *Galatas* 2. *v.* 20. ità dicit: *Qui dilexit, & tradidit ſemetipſum pro me*; per quod indicat, quòd Chriſtus venerit pro ſalute cujusvis peccatoris, &, ſi non fuiſſent perſonalia peccata, non veniſſet. *Reſp. Neg. 2dam partem Ant.* nempe, quòd non veniſſet, ſi non fuiſſent peccata perſonalia, ùt patet ex rationibus pro *2da parte Theſis* allatis. Quod attinet verba Apoſtoli, illa ſolùm indicant: quòd Verbi Incarnatio, & Chriſti paſſio, quamvìs decreta, & peracta ſit in gratiam omnium ſimul, ità tamen proſit ſingulis, ac ſi pro ſingulis in particulari decreta, & peracta fuiſſet. Hinc *S. Thomas hìc q.* 1. *a.* 4. *ad* 3. ità dicit: *Ex hoc, quòd aliquis debet reputare ſibi beneficia Chriſti præſtita eſſe, non debet exiſtimare, quòd non ſint alijs præſtita. Et ideò non excluditur, quin principaliùs venerit abolere peccatum totius naturæ, quàm peccatum unius perſonæ; ſed illud peccatum naturæ, ità perfectè curatum eſt in uno quoque, ac ſi in uno ſolo eſſet curatum; & ideò propter unionem Charitatis, totum quod omnibus eſt impenſum, unusquisque debet ſibi adſcribere.* Vel (*ùt alij volunt,*) illa verba Apoſtoli ſolùm ſignificant, quòd Chriſtus ùt homo, ex parte ſua tantô amore, & tantâ promptitudine mortem pro nobis ſubiverit, ut libenter etiam pro unico homine mortem paſſus fuiſſet, ſi ità Deus Pater ordinâſſet. *Cardinalis de Lugo hìc Diſp.* 8. *Sect.* 5. *n.* 62. Sic Apoſtolum

lum intelligendum esse, judicat, ac si diceret: mortem Christi quoad effectum & valorem, ità esse pro singulis, ac si esset pro me solo. *Item*, quoad effectum ex parte humanitatis Christi, quæ ex se parata erat ad mortem pro me solo semel, & iterum subeundam.

Objicies 3tiò. Irenæus *lib. 5. adversùs Hæres. cap. 44.* ità dicit: *Verbum nequaquam assumpsisset carnem, nisì inquirendus esset omnis sangvis justorum, qui effusus fuit super terram*: ergo Christus non venisset, si non fuissent peccata personalia hominum. *Resp. cum Vasquez hîc Disp. 13. cap. 3.* Quòd per illa verba Irenæi, videlicet: *inquiri sanguinem justorum in sanguine Christi*, idem significet, quod impleri figuram, quia effusio sanguinis Christi, figurata fuit in sanguine justorum. Proinde illorum verborum sensus est: Christus non assumpsisset sanguinem, nisì illum effusurus fuisset pro nobis, proùt fuit præfiguratum in sanguine justorum: ergo. 54.

Objicies 4tò. Ex eo: *quòd deficientibus peccatis personalibus, deficeret ratio totalis, quæ Deum movit ad decernendam Incarnationem.* Jam sic: Deficiente integrâ ratione motivâ Divinæ voluntatis, & decreti, debet etiam cessare effectus, qui ex tali decreto consequitur; atqui non existentibus peccatis personalibus, deficeret ratio totalis, quæ Deum movit ad decernendam Incarnationem: ergo illis sublatis, & solô originali existente, Christus non venisset ex vi præsentis decreti. *Prob. Min.* Totale motivum Incarnationis ab æterno decretæ, fuit liberatio hominum ab omni peccato, tam originali, quàm actuali: ergo liberatio à solo peccato originali, non fuit integrum, & totale motivum Incarnationis; adeoque ipsô solô existente, deficeret ratio totalis, quæ Deum movit ad mittendum filium suum in mundum. *Resp.* Imò *cum* 55.

Gonet hic Disp. 5. De motivo Incarnationis a. 2. §. 2. Neg. Min. Ad ejus Probat. Dist. Ant. tale motivum decreti Incarnationis fuit liberatio non solùm à peccato originali, sed etiam à peccatis actualibus, proùt ad originale tanquam ad fontem, & radicem reducebantur, *Conced.* A peccatis actualibus seorsim consideratis, & independenter ab originali, *Neg. Ant.*

56. Dicimus itaque, quòd totale, & sufficiens motivum Incarnationis fuerit quidem reparatio totius naturæ, peccatô originali infectæ, sed quia Christus innumera diluit crimina, quæ ex illo peccato ùt radice procedebant; ideò veluti consequenter & secundariò, ad satisfaciendum etiam pro illis Incarnatio verbi divini ordinata est; unde dici potest liberationem ab originali peccato, fuisse totalem rationem motivam Incarnationis; liberationem verò à peccatis actualibus, fuisse illius causam quodammodò impulsivam. Exemplum est in Samuële, qui ex speciali Dei jussu venit in Bethlehem ad *ungendum David Regem*, tanquam propter finem primarium, ac præcipuum, quô adeptô non venisset; habuit tamen aliud motivum impulsivum, scilicet: *offerendi Deo sacrificium*; ùt colligitur ex *1. Regum* 16. Aliud exemplum est in medico, qui ad suum amicum alicujus negotij pertractandi causâ venire disponens, & iter aggrediens, audit filium ejus gravi aliquô morbô detineri, & ideò promptiori animô ad amicum pergit, ut ejus filium visitet, & curet: ejus enim causa motiva, sinè qua non conveniret amicum, est negotium pertractandum; at verò causa impulsiva, est curatio filij ejus, sinè qua absolutè amicum conveniret, sed non cum eadem animi promptitudine. *Resp. 2. Dist. aliter idem Ant.* Totale motivum decreti Incarnationis fuit liberatio non solùm à peccato

originali, ſed etiam à peccatis actualibus, ità, ut Chriſtus quà Redemptor à peccato originali fuerit priùs per unum decretum intentus, & per aliud poſterius, quà Redemptor à perſonalibus, *Conced.* Ità, ut per idem decretum fuerit intentus, quà Redemptor utriusque peccati, *Neg. Ant.* Remedium proinde peccati originalis, & liberatio ab eodem, fuit motivum principale, & quidem totale decernendi Chriſtum in carne paſſibili, quia paſſibilitas carnis, eſt pœna ſolius peccati originalis; remedium autem peccatorum perſonalium (*quorum permiſſio eſt poſterior, permiſſione peccati originalis,*) fuit motivum tantùm ſecundarium, ut Deus per aliud decretum, paſſionem & mortem Chriſti, jam priùs definitam, extenderet etiam ad expiationem peccatorum perſonalium, à poſteris Adami committendorum.

Objicies 5tò. In eodem ſigno, in quo prædeſtinatus 57.
fuit Chriſtus, quà Redemptor peccati originalis, fuit etiam prædeſtinata paſſio, & mors Chriſti; atqui paſſio, & mors Chriſti, non erat futura ſinè peccatis perſonalibus crucifigentium Chriſtum: ergo in illo ſigno, debet etiam intelligi præviſio horum peccatorum perſonalium: ergo Chriſtus ex vi illius decreti non veniſſet ùt Redemptor, nisì ſaltèm carnifices Chriſti peccâſſent perſonaliter. *Reſp. Diſt. Maj.* In illo ſigno (*apud nos ſeptimo, ùt patet ex libello de cognoſcibilitate, neceſſitate, & fine Dominicæ Incarnationis, Theſi 10. §. 2.*) fuit prædeſtinata paſſio & mors Chriſti ſecundùm ſe, præſcindendo, an hæc eſſet inferenda culpabiliter, an inculpabiliter, *Conced.* Fuit in illo ſigno prædeſtinata mors Chriſti, ùt inferenda culpabiliter, *Neg. Maj.* Ut inferenda enim culpabiliter, prædeſtinata fuit poſt permiſſionem, & præviſionem peccatorum perſonalium; ante permiſſionem

ſionem autem horum peccatorum, potuit Deus præ-definire mortem Chriſti, citra permiſſionem ullius peccati perſonalis; quia poterat decernere, ut Chriſtum, vel Beata Virgo, vel Sanctus Joſephus occiderent, & immolarent in holocauſtum, exercendo per hoc actum Religionis, ſicut præcepit Abrahamo immolationem Iſaaci. Hinc P. *de Rhodes hìc Diſp.* 1. *q.* 4. *ſect.* 2 §. 2. aſſerit, in morte Chriſti debere duo diſtingui: Primum erat acceptatio interna mortis, abſtrahendo ab eo, quòd illa inferenda eſſet cum peccato; Aliud erat ipſa mors cum peccato illata. Hinc ità dicit: *utrumque fuit ſinè dubio meritorium, & quidem primum præceſſit peccata crucifigentium Chriſtum, quæ potuerunt per illud vitari, non potuerunt per ſecundum, quod fuit illis poſterius.*

58. *Objicies 6tò.* Remedium majoris mali eſt præſtantius, ac proinde principalius intentum; atqui peccatum perſonale eſt majus malum, quàm ſit originale: ergo etiam remedium peccati perſonalis, eſt principalius intentum: ergo ſi non fuiſſent peccata perſonalia, Chriſtus non veniſſet. *Reſp. Diſt. Maj.* Remedium majoris mali ſimpliciter, eſt præſtantius, *Conced.* Majoris tantùm ſecundùm quid, *Neg. Maj.* Similiter *Diſt. Min.* Perſonale eſt ſimpliciter majus malum, *Neg.* Eſt malum ſecundùm quid, *Conced. Min. & Neg. conſeq.* Malum enim commune totius naturæ eſt ſimpliciter majus, quôlibet malô particulari ſingularum perſonarum, præſertim, ſi iſtud malum commune naturæ, ſit radix, & fons malorum perſonalium, ùt contingit in peccato originali.

59. *Objicies 7timò.* Peccatum perſonale eſt magìs voluntarium, committitur enim voluntate propria cujuslibet perſonæ; originale autem committitur voluntate alienâ, & moraliter tantùm voluntate propriâ; atqui

atqui peccatum magìs voluntarium, eſt pejus: ergo. *Confirmatur.* Peccatum originale inducit tantùm pœnam æternam damni, non autem ſensûs; peccatum autem perſonale inducit utramque pœnam æternam; atqui culpa inducens majorem pœnam, eſt major, & pejor: ergo peccatum perſonale eſt majus, & pejus, quàm originale. *Reſp. ad Argument. Diſt. Min.* Eſt pejus intenſivè, in quantùm ſcilicet eſt magìs voluntarium, & inductivum majoris pœnæ, ùt evincit confirmatio, *Conced.* Eſt pejus extenſivè, *Neg. Min.* Peccatum enim originale eſt pejus extenſivè in ratione radicis, & fontis peccatorum perſonalium. Ex quo patet reſponſio ad Confirmationem.

Replicabis. Peccatum perſonale eſt etiam pejus exten- 60.
ſivè: ergo nulla ſolutio. *Prob. Ant.* Peccatum originale in quovis homine datur tantùm unicum; perſonalia autem in pluribus hominibus ſunt tam multa, ut factâ omnium computatione, plura ſinè dubio ſint commiſſa, & committenda perſonalia, quàm fuerint, aut futuri ſint homines: ergo etiam plura ſunt perſonalia, quàm originalia: ergo perſonale eſt etiam extenſivè pejus, quàm originale. *Reſp. Diſt. Ant.* Peccatum perſonale eſt etiam extenſivè pejus, & majus, quoad numerum actuum peccaminoſorum, *Tranſ.* Quoad numerum ſubjectorum, ſeu perſonarum, quas inficit, *Neg. Ant.* Originale enim eſt in omnibus Adæ poſteris, *exceptâ Beatâ Virgine*; perſonale autem non eſt in omnibus, quia neque eſt in infantibus ante uſum rationis decedentibus, neque in multis adultis, ſiquidem multi adulti nunquam peccaverunt mortaliter voluntate propriâ: ergo &c.

Objicies 8vò. Peccatum perſonale mortale, eſt in ſe 61.
graviſſimum, utpote inductivum mortis æternæ, conſtituens hominem Dei inimicum, & Diaboli ſervum:

ergo

ergo non minùs debuisset venisse Christus in carne passibili propter unum, quàm propter alterum tollendum. *Resp. Uti antea*, *Dist. Ant.* Est gravissimum secundùm quid, *Conced.* Simpliciter, *Neg. Ant. Et Conseq.* Quia, licèt peccatum personale mortale sit in se satìs grave, propter multas tamen rationes (*ùt dictum est n.* 23.) originale magìs indiguit curatione, & redemptione. *Tum*, quia est universalius malum: *Tum*, quia est radix omnium peccatorum personalium: ergo.

62. *Replicabis.* Radix omnium malorum est cupiditas, ùt habetur 1. *ad Timotheum* 6. ergo peccatum personale est æquè universale, ac originale. 2*dò.* Originale tollitur per baptismum: ergo. 3*tiò.* Adamô non peccante adhuc posteri potuissent peccare mortaliter, non enim (*ùt aliqui dicunt,*) fuissent confirmati in gratia, nisì restitissent primæ tentationi: ergo originale non est radix omnium peccatorum personalium. *Resp. ad 1mum, explicando textum*: Radix omnium malorum est cupiditas in aliquibus, ídque in adultis, *Conced.* In omnibus, etiam infantibus, *Nego textum.* Vel sic: Est radix & hæc pullulat ab alia priori radice, scilicet: à peccato originali, *Conced.* Et non pullulat à peccato originali, *Neg. textum. Ad 2dum Dist. Ant.* Per baptismum tollitur originale, sed tamen natura manet debilitata, propter amissionem statûs innocentiæ, in quo mansisset promptior ad bene operandum, si Adam non peccâsset, *Conced.* Et non manet sic debilitata, *Neg. Ant. & Conseq.* Ideò enim peccatum originale dicitur radix omnium malorum, quia per illud sublatus est status innocentiæ, & natura humana reddita est proclivis ad malum. *Ad 3tium Dist. Ant.* Posteri potuissent peccare mortaliter, & tamen non habuissent tantam proclivitatem ad peccan-

candum, ficut modò habent, *Conced.* Et habuiffent tantam proclivitatem, *Neg. Ant. & Confeq.*

Objicies 9nò. Permiffio peccati Evæ, præceffit permiffionem peccati Adæ, cùm fuerit caufa peccati Adami; peccatum verò perfonale Adæ, præceffit peccata pofterorum, & tamen ex hoc non fequitur, quòd Chriftus ùt Repemptor, prævìè fuerit decretus in remedium peccati Evæ, quàm in remedium peccati perfonalis Adami: ergo etiam ex eo, quòd originale præcefferit tanquam radix peccata perfonalia, non fequitur, quòd Chriftus priùs decretus fuerit propter originale, & tandem propter perfonalia, ùt infinuatum eft. *Refp. Neg. Confeq. Difpar. eft*: quia peccatum Evæ, tantùm præceffit peccatum Adami in executione, non verò in intentione; at verò peccatum originale, præceffit etiam in intentione omnia peccata perfonalia pofterorum, fuit enim principale motivum; principale autem motivum, femper præcedit in intentione: ergo. 63.

Objicies 10mò. Finis præfentis decreti, fuit remedium humani generis: ergo fruftra allegatur tanquam aliquid principalius, ad lapfum peccati originalis. *Prob. confeq.* Qui decernit mederi infirmo, medebitur ei, five hôc morbô laboret, five illô: ergo, fi Deus decrevit mederi humano generi, medebitur ei, five malum originale fit, five perfonale. *Refp. Dift. Ant.* Fuit remedium humani generis lapfi originaliter, *Conced.* Perfonaliter lapfi, *Neg. Ant. & Confeq. Ad Probat. Dift. Ant.* Medebitur infirmo, five hôc, five illô morbô laboret, fi decretum medendi, non fuit determinatum ad certam materiam, *Conced.* Si fuit determinatum ad certam materiam, *Neg. Ant. & Confeq.* Nam Deus decrevit quidem 64.

mederi

mederi humano generi, ſed præſens decretum determinavit principaliter ad ſolum originale, ùt patet ex rationibus pro hac parte Theſis allatis: ergo.

65. *Objicies* 11*mò*. Propter illud peccatum venit Chriſtus, pro quo eſt paſſus; atqui pro ſolis perſonalibus eſt paſſus: ergo etiam propter ſola perſonalia venit. *Probatur Min.* Pro eo peccato eſt paſſus Chriſtus, cui debebatur pœna ſensûs; atqui ſoli peccato perſonali debebatur pœna ſensûs: ergo. *Reſp. Neg. Min. Ad Probat. Diſt. Min.* Soli peccato perſonali debebatur pœna ſensûs æterna, *Conced.* Temporalis v. g. mors, fames, ſitis, aliæque pœnalitates, *Neg. Min. & Conſeq.* Paſſus itaque eſt Chriſtus pro peccato originali, cui debebantur præter pœnam damni, etiam pœnalitates ſenſibiles, videlicet: fames, ſitis, mors, &c. quæ omnia ex originali procedunt. Unde *S. Thom. hìc q.* 1. *a.* 4.*ad* 2. ità dicit: *Dicendum, quòd peccato originali in futura retributione non debetur pœna ſensûs: pœnalitates tamen quas ſenſibiliter in hac vita patimur, ſicut famem, ſitim, mortem, & alia hujusmodi, ex peccato originali procedunt. Et ideò Chriſtus, ut plenè pro peccato originali ſatisfaceret, ſenſibilem dolorem pati voluit, ut mortem & alia hujusmodi in ſe ipſo conſumeret.* Et quamvìs Chriſtus non ſuſtinuerit pœnam damni; quia tamen quælibet pœna ſensûs, quàm Chriſtus toleravit, fuit valoris ſimpliciter infiniti, hinc ſatisfecit adæquatè pro omni pœna ſive damni, ſive ſensûs, nobis debita: ergo ſatisfecit etiam, & quidem principaliùs pro peccato originali.

66. *Objicies* 12*mò*. Peccatum Adæ fuit perſonale; atqui, ſi Adam non peccâſſet, Chriſtus vi præſentis decreti in carne paſſibili non veniſſet: ergo venit propter peccatum perſonale. *Reſp. Diſt. Min.* Si Adam non

non peccâſſet peccatô perſonali, quod reſpectu poſterorum erat originale, tunc Chriſtus non veniſſet, *Conced.* Si nullum fuiſſet commiſſum à poſteris peccatum perſonale, *Neg. Min. & Conſeq.* Noſtra Theſis procedit de perſonalibus poſterorum, non autem de illo perſonali, quod ſimul reſpectu poſterorum erat originale; adeoque, etiamſi nulla futura fuiſſent perſonalia in poſteris, ſi tamen fuiſſet illud perſonale Adami, quod ſimul reſpectu poſterorum erat originale, adhuc Chriſtus veniſſet *ùt Redemptor* in carne paſſibili vi præſentis decreti, quoad ſubſtantiam conſiderati.

Objicies 13tiò. Si ob aliquam rationem Deus priùs 67.
prædeſtinâſſet Chriſtum in remedium peccati originalis, independenter à peccatis actualibus, maximè hæc eſſet: quia pro illo ſigno, in quo prævidit peccatum originale, & Chriſtum prædeſtinavit, nondum præviderat ſcientiâ viſionis aliquod peccatum perſonale, diſtinctum à peccato Adæ; atqui hæc ratio non ſubſiſtit: ergo. *Prob. Min.* Peccatum originale in multis prævideri non poteſt ſinè peccatis actualibus, ſeu perſonalibus: ergo in his non potuit videri peccatum originale, non viſis peccatis perſonalibus: ergo &c. *Prob. Ant.* Qui naſcuntur ex adulterio, vel alio illicito concubitu, hi non poſſunt prævideri in peccato originali exiſtentes, quin prævideatur peccatum perſonale ipſorum parentum: ergo peccatum originale, non poteſt in multis prævideri, ſinè peccatis perſonalibus. *Prob. Ant.* Ut Deus videret hos in peccato originali conceptos, neceſſariò debuit videre ipſorum generationem, ùt hìc & nunc factam; atqui illorum generatio, ùt hìc & nunc facta, fuit intrinſecè adulterium, vel inceſtus: ergo, qui naſcuntur ex adulterio, vel alio illicito concubitu, non

poſſunt

possunt prævideri in peccato originali existentes, quin prævideatur peccatum personale ipsorum parentum. *Resp. Neg. Min. Ad Probat. Neg: Ant. Ad ejus Probat. Dist. Min.* Illorum generatio ùt hìc & nunc facta, fuit intrinsecè adulterium, quatenùs conceptio dicit conjunctionem maris cum fœmina, & commixtionem seminum, *Trans.* Quatenùs dicit animationem fœtûs, quæ fit post longum tempus, *Neg. Min.* Generatio dupliciter sumitur: *1mò.* Pro conjunctione maris cum fœmina, & commixtione seminum. *2dò.* Pro animatione fœtûs. Licèt itaque prima generatio non possit esse sinè peccato personali, potest tamen esse secunda; &, quia animatio fœtûs habet se per modum finis, finis autem præcedit media; ideò animatio fœtûs, tanquam finis, quæ peccatum annexum non habet, præcedebat in intentione Dei, peccatum actuale, *Dictum est: Trans. Min.* Quia ille idem concubitus absolutè poterat fieri sinè peccato, aliter Deô disponente, & ideò neque concubitus, neque generatio substantialis, habent necessariam connexionem cum peccato parentum.

68. *Objicies 14tò.* Existentibus solis personalibus peccatis, Christus non venisset vi præsentis decreti: ergo etiam existente solô originali, non venisset vi præsentis decreti:. *Resp. Neg. Conseq.* Quamvìs enim hujus argumenti solutio pateat ex dictis, nihilominùs adhuc *Dispar. est*: *1mo.* Quia finis primarius & principalis Incarnationis, & *sinè quo non*, defactò fuit redemptio à peccato originali, tanquam malo communi naturæ, & fonte omnium peccatorum personalium, ùt patet ex dictis *n.* 23. Et ipsissimum docet *Divus Thom. hìc q.* 1. *a.* 4. ità concludens: *Quamvìs Christus ad omnia peccata delenda in hunc mundum venerit, principaliùs tamen venit ad tollendum originale,*

quàm

quàm actuale peccatum, illud enim per quod totum genus humanum inficitur, majus est eô, quod est proprium singularis personæ: ergo mirum non est, quòd non existente originali, Christus non venisset; at verò redemptio à peccatis personalibus non fuit finis primarius, sed tantùm secundarius: ergo. *2dò.* Quia vi præsentis decreti, & ordinationis divinæ, passibilitas carnis est pœna solius peccati originalis; nam: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ità in omnes homines mors pertransivit. Ad Roman. 5. v. 12.* Ergo, si non exstitisset peccatum originale, nemo hominum esset mortalis: ergo neque Christus venisset passibilis, & mortalis; atqui Christus vi præsentis decreti non venit, nisì ùt passibilis: ergo. At verò passibilitas carnis non est pœna peccatorum personalium: ergo Christus propter illa, non venisset in carne passibili.

Replicabis. Finis primarius, & motivum Incarna- 69.
tionis videntur etiam esse peccata personalia, & tamen propter illa Christus non venisset, ùt dictum est: ergo etiam, licèt originale fuerit finis primarius Incarnationis, tamen propter illud Christus non venisset. *Prob. Ant. 1mò.* S. Cyrillus Hierosf. *Catechesi 6.* §. 1. ità loquitur: *Cùm itaque cognoscis, quid moverit à dextra throni descendere Unigenitum? Pater spernebatur; erat ergo necesse, ut Filius corrigeret errorem, oportebat, ut is per quem omnia facta sunt, deduceret omnia ad emendationem. Quid enim hoc morbô erat perniciosius, quàm si lapis pro Deo coleretur?* Et mox alia etiam Christianorum peccata enumerat: ergo finis primarius & motivum Incarnationis, videntur etiam fuisse peccata personalia. *2dò.* Christus ità dilexit singulos homines, ut paratus fuerit iterum pro singulis pati, teste S. Dyonis. qui *Epist. ad*

Demophil. refert, S. Carpo Christum per visionem dixisse: *Paratus tamen iterum sum, etiam pro hominibus salvandis pati, gratum mihi istud est, dum non alij homines peccant.* Similis revelatio facta dicitur S. Petro, ùt refert *Suarez hic Disp. 5. Sect. 6.* Ergo. *3tiò.* Christus ità dilexit singulos, ut propter quemlibet seorsim fuisset venturus & moriturus, licèt Adam non peccâsset: ergo finis primarius Incarnationis æquè videntur fuisse personalia. *Prob. Ant.* Ex S. Chrysost. Qui *homil. 3. In Acta Apost.* ità dicit: *Unius animæ salus tanta est, ut ob hanc filius Dei fieret homo, tantáque pateretur:* ergo. *Resp. Ad 1mum Neg. Ant. Ad ejus probat.* explico textum *S. Cyrilli:* Et ille vult, quòd remedium peccatorum personalium fuerit finis secundarius Incarnationis, *Conced.* Quòd fuerit finis primarius, *Neg. Textum.* Finis enim primarius Incarnationis decernendæ, fuit remedium peccati originalis; secundarius autem, etiam peccatorum personalium. *Ad 2dum. Dist. Ant.* Ità dilexit singulos homines, ut fuerit paratus iterum pro singulis pati, affectu conditionatô, si nempe ità Deus ordinâsset, *Conced.* Affectu absolutô, *Neg. Ant. & Conseq.* Illud enim verbum, *Paratus,* non probat, quòd Christus vi præsentis decreti venisset, existente etiam unicissimô peccatô personali, sed solummodò indicat Christi promptitudinem, quâ, si necesse foret, & Deus vellet, quòd voluntas humana Christi parata fuerit iterum pati, nè alij homines peccarent. Et hôc modô explicandus est textus S. Dionysij. *Ad 3tium* simililiter *Dist. Ant.* Ità dilexit singulos affectu conditionatô, si nempe opus foret, & Deus ordinaret, quòd propter quemlibet seorsim veniret, *Conced.* Dilexit singulos affectu absolutô, *Neg. Ant. Ad Probationem dico:* Quòd S. Chrysostomus nihil aliud velit, quàm, quòd defa-

ctò

ctò Chriſtus venerit & paſſus ſit, non tantùm propter originale, ſed etiam propter perſonale peccatum cujusvis hominis, licèt non propter ſolùm aut unicè, propter unicum hominem; unde cùm ſatisfactio Chriſti, utpote infinita, ità profuerit ſingulis, acſi nulli alteri profuiſſet, meritò quilibet ità æſtimare debet redemptionis beneficium, acſi ſibi ſoli fuiſſet impenſum.

Objicies 15tò. Modus, & circumſtantiæ, quibus In- 70.
carnatio poſita eſt in executione, fuerunt determinatæ ex vi præſentis decreti, quô Deus ordinavit Chriſtum in remedium peccati; atqui non exiſtentibus peccatis perſonalibus & actualibus, Incarnatio poneretur in executione cum diverſo modo & circumſtantijs, quàm defactò poſita eſt: ergo neceſſarium eſſet diverſum decretum: ergo deficientibus peccatis perſonalibus & actualibus, non veniret Chriſtus vi præſentis decreti. *Reſp.* Cum Salmanticenſ. *Tract.* 21. *de Incarnat. Diſp.* 2. *dub.* 3. §. 3. *Tranſ. Maj.* Et *Min. Diſt.* 1*mum Conſeq.* Neceſſarium eſſet novum decretum quoad modum terminationis, aut quantùm ad aliquam extenſionem, vel carentiam extenſionis, *Conced.* Neceſſarium eſſet novum decretum quoad ſubſtantiam, & quantùm ad objectum, ſeu motivum primarium adæquatum, *Neg. Conſ.* Similiter *Diſt.* 2*dum Conſeq.* & *Neg. Conſeq.* Licèt enim tale decretum non maneret idem terminativè, & ſubiret aliquam variationem in ordine ad objecta ſecundaria; maneret tamen idem *quoad ſubſtantiam*, nullámque ſubiret variationem in ordine ad objectum *primarium* & *motivum*; cùm ergo objectum *primarium* & *motivum* decreti circa Incarnationem, fuerit liberatio generis humani *à peccato originali*; & tale objectum ſalvaretur, etiamſi deficerent *peccata perſonalia*; ideò Chriſtus veniſſet vi ejusdem decreti *quoad ſubſtantiam* conſiderati.

THESIS II.

Licèt (1mò.) omnis gratia Angelis, & proto-parentibus nostris, etiam ante lapsum, aliisque hominibus collata, fuerit ex meritis Christi absolutè prævisis, ùt docet Suarez *hic Disp. 42. Sect.* 1. Godoy. *q. 24. De prædestinatione Christi. Tract. 14. Disp. 57.* §. 2. Gonet *Disp. 21. a. 7.* §. 1. Cardinalis de Lugo saltèm aliqua ex parte *Disp. 27. Sect.* 3. Amicus *Disp. 26. de merito Christi. Sect.* 12. & 13. Leonardus Penafiel *Disp.* 17. *de Incarnatione. Sect.* 3. Et Alij. *Tamen (2dò.) non meruit sibi defactò unionem hypostaticam, & substantiam Incarnationis. Neque absolutè mereri potuit, prout hæc, hìc & nunc prædestinata, decreta, & facta est.* Ità S. Thomas 3. *p. q.* 2. *a.* 11. Quem seqvuntur unanimiter Thomistæ, *ùt testantur Salmanticenses Tract. 21. de Incarnat. Disp. 7. dub. 2.* §. 2. Et alij omnes Scholastici, cum Magistro sententiarum *in 3. Dist. 18.* Præsertim quoad primam partem, quam etiam multi Theologi dicunt esse de fide.

1. PRobatur prima pars Thesis. 1mò. Ex eo : *quòd omnis gratia Angelis, & proto-parentibus nostris etiam ante lapsum, aliisque hominibus collata fuerit ex meritis Christi, absolutè prævisis.* Unde sic : *Ad Epheseos 1. v. 10.* habetur : *Proposuit omnia instaurare in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt.* Item, *ad Colossenses 1. v. 19. In ipso complacuit omnem plenitu-*

dinem

dinem inhabitare. Et v. 20. Per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt : ergo.

2. *Probatur 2dò.* Authoritate S. Gregorij, qui *lib.* 1. *Regiſtr. cap.* 2. ità inquit: *Non eſt alius extra te, ſubauditur ſanctus, quia nullus hominum neque Angelorum Sanctus eſt, nisì per Chriſtum.* Et infra dicit, tam Angelos, quàm homines eſſe ſanctificatos in Filio. Rem verò magìs declarans addit: *Et quia Unigenitus Dei, Deus eſt, extra eum non eſt aliquis, quia nemo electorum, nisì in ipſo eſt, quod ſic refertur ad divinitatem ejus, ut nequaquam intellectum humanitatis evacuet.* Ubi apertè *S. Gregorius* loquitur de omnibus electis hominibus, & Angelis, ùt patet ex illa cauſali, & univerſali locutione: *Quia Unigenitus Deus eſt: extra illum non eſt aliquis*, ſcilicet: neque homo, neque Angelus : ergo.

3. *Dices.* S. Gregorius his ultimis verbis, non loquitur de omni ſanctificatione, ità, ut etiam Angelos comprehendat, ſed tantùm de ſanctificatione hominum: ergo. *2dò.* Poteſt dici, quòd *S. Gregorius* loquatur de Chriſto ùt homine, non quidem *effectivè* moraliter influente, ſed *objectivè*, ùt propoſito per fidem, ità, ut ſenſus ſit: *nullus, nisì in Chriſto, ùt objectivè per fidem cognito, ſanctificatur*: ergo. *Reſp. Ad 1mum* cum Godoy *q.* 24. *de prædeſtinat. Chriſti. Tract.* 14. *Diſp.* 57. §. 2. *n.* 11. *Neg. Ant.* Hanc enim interpretationem excludit univerſalis illa *S. Gregorij* propoſitio : *Extra eum non eſt aliquis*; quæ non nisì voluntariè ad ſolos homines detorqueri poteſt. *Ad 2dum Neg. iterum Ant.* Quia *S. Gregorius* loquitur indiviſim de ſanctificatione hominum, & Angelorum; atqui reſpectu ſanctificationis hominum, intelligitur de influxu morali effectivo: ergo etiam reſpectu Angelorum.

rum. *Præterea*: Si hæc interpretatio admitteretur, posset etiam hæc de redemptione Christi admitti: quòd *S. scriptura*, & *SS. Patres* loquentes de redemptione hominum, loquantur de redemptione & influxu ejus, in genere causæ finalis, non verò de influxu meritorio; atqui hæc interpretatio est falsa, ùt observat *Godoy supra citatus*: ergo, & altera.

4. *Probatur 3tiò.* Authorit. S. Thomæ *q. 29. de veritate a. 9. in* ☉ ità dicentis: *Humanitas Christi ex hoc ipso, quòd præ alijs viciniùs, & speciàliùs divinitati erat conjuncta, bonitatem divinam excellentiùs participavit, ex quo idonea fuit, ut non solùm gratiam haberet, sed etiam in alios gratiam transfunderet, sicut per corpora magìs lucentia, lumen solis ad alia transit. Et quia Christus in omnes creaturas intellectuales effectus gratiæ transfundit, inde est, quòd ille sit principium quodammodò omnis gratiæ secundùm humanitatem, sicut Deus est principium omnis esse. Unde, sicut in Deo omnis essendi perfectio adunatur, ità in Christo omnis plenitudo gratiæ, & virtutis invenitur, per quam etiam alios in gratiam potest adducere, & per hoc habet rationem capitis*: ergo, juxta Doctorem Angelicum Christus est causa meritoria omnis gratiæ, sicut Deus est universalis causa efficiens omnis entis creati; atqui nullum est ens creatum, in quod non influat Omnipotens Deus: ergo etiam nulla est creatura intellectualis, in quam non influat omnimerens Christus.

5. *Confirmatur.* Eadem Authoritate S. Thomæ, qui *lect.* 10. ad illa verba *Joan.* 1. *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus*: ubi distingens triplicem plenitudinem, nempe: *Sufficientiæ*, *redundantiæ*, & *efficaciæ*, primámque aliquibus sanctis concedens, secundam Beatissimæ Virgini, & tertiam humanitati Christi, ità dicit: *Ut ergo Evangelista hanc singularem plenitudinem efficientiæ*

cientiæ de Chriſto oſtenderet, dicit: *de plenitudine ejus omnes accepimus, ſcilicet: omnes Apoſtoli, & Patriarchæ, & Prophetæ, & juſti, qui ſunt, fuerunt, & erunt, & etiam omnes Angeli.* Quæ verba explicari nequeunt de influxu in genere cauſæ finalis; nam ſtatim Divus Thom. ſubjungit: *Nota, quòd hæc præpoſitio, de, aliquando quidem denotat efficientiam ſeu originalem cauſam, ſicut quando dicitur, radius eſt, vel procedit de ſole, & hôc modô denotat in Chriſto efficientiam gratiæ.* Nec item explicari poſſunt de influxu gratiæ in Angelos quoad illuminationem, & gaudia accidentalia; nam ſtatim ſubjunxit: *quia plenitudo gratiæ, quæ eſt in Chriſto, eſt cauſa omnium gratiarum, quæ ſunt in omnibus intellectualibus creaturis:* ergo juxta D. Thomam Chriſtus ùt homo, non ſolùm illuminationes, & gaudia accidentalia meritoriè influxit in Angelos, ſed etiam omnem gratiam auxiliantem, & juſtificantem.

Dices. Licèt his in locis *S. Thomas* hanc ſententiam docuerit, alibi tamen eam retractavit, illiúsque mens ex his, quæ in ſumma docuerat, colligenda eſt: ergo. *Reſp. Neg. Ant.* Quia Diſcipuli S. Thomæ hæc duo habent principia: *1mum eſt*: Tam diu S. Thomas cenſetur eſſe alicujus ſententiæ, quamdiu non invenitur, quòd illam expreſsè retractaverit. *2dum eſt*: Tam diu tenenda ſunt verba S. Thomæ, quamdiu ex ijsdem non ſequitur manifeſta contradictio; atqui S. Thomas in ſumma ſuæ Theologiæ, hanc ſententiam expreſsè non retractavit; nec ex his, quæ in ſumma docuit, ſequitur manifeſta contradictio; cùm nullibi docuerit Chriſtum non meruiſſe Angelis gratiam juſtificantem: ergo hoc *Antecedens* non eſt admittendum. *2dò.* Nam ex his, quæ Doctor Angelicus *in hac 3. p.* docet, potiùs colligitur influxus meritorius Chriſti in Angelorum gratiam, quàm ne- 6.

 gatio

gatio talis influxus : ergo finè fundamento contrarium asseritur. *Prob. Ant.* Divus Thom. *3. p. q. 8.* postquam *a. 1.* rationem capitis attribuerat Christo, respectu Ecclesiæ, propter ordinem, eminentiam, & influxum in membra. Et *a. 3.* docuerat: quòd Christus sit caput omnium hominum, & in omnes gratiam influat. Tandem *a. 4.* docet Christum esse caput Angelorum, & in illos gratiam influere, absque ulla limitatione : ergo D. Thom. sentit, quòd Christus non solùm in homines, sed etiam in Angelos gratiam justificantem influat meritoriè ; aliàs, si oppositum D. Thomas sentiret, diminutè processisset, ùt observat *Godoy loc. sup. cit. n. 15.* non explicando differentiam gratiæ respectu hominum, & Angelorum.

7. *Probatur 4tò ratione.* Cum Suarez *hìc Disp. 42. sect. 1.* Deus prævidit merita Christi priùs, quàm gratiam, vel gloriam Angelorum, & hominum; juxta ordinem prædestinationis, qui ordo facilè colligitur ex *Thesi præcedente* : ergo credendum est, Deum ordinâsse Christi merita, ad hunc effectum; quandoquidem ipsa habebant *valorem*, & *condignitatem* ad illum ponendum; & ad honorem Christi pertinebat, ut per merita sua, haberet effectum gratiæ & gloriæ, etiam in Angelis. Denique hôc modô magìs ostenditur perfecta ratio justitiæ & misericordiæ, in hoc divino opere, de sanctificatione & gloria Angelorum : ergo.

8. *Probatur 5tò.* Cum eodem. Optimus rerum ordo postulat, ut omnia, quæ sunt unius generis, revocentur in unam causam in illo genere, quantùm fieri potest. *Item*, in uno corpore, quò major est connexio omnium membrorum cum capite, eò est constitutio perfectior; atqui Angeli & homines conveniunt in *uno genere gratiæ*, & sunt membra *unius corporis Ecclesiæ*, cujus Christus est *caput* : ergo erit perfectior,

fectior, & convenientior ordo, si totum hoc corpus habeat *unum principium*, & *unum caput*, per cujus influxum, omnia membra vitam, & Spiritualem sensum participent. Quæ ratio fundamentum habet in Apostolo ad *Ephes. 4.* docente: totum Ecclesiæ corpus habere charitatem, & augmentum ejus, ex influxu capitis. Docuerat autem idem Apostolus ibidem *cap. 1. & 2.* Et ad *Colossens. 1. & 2.* Christum non solùm *hominum*, sed etiam *Angelorum* esse *caput*: ergo. Et hæc ratio juvari potest illis principijs metaphysicis: Quidquid est tale per participationem, revocatur ad id, quod est per se tale; atqui Christus solus est per se gratus; Angeli verò, & homines per participationem: ergo Angeli & homines ad Christum revocantur, ut ab illo, & per illum gratiam obtineant. *Item*, quod est supremum in aliquo genere, est causa cæterorum in eodem genere ac modo, quô esse potest; atqui Christus est supremus in genere gratiæ: ergo est causa gratiæ Angelorum & hominum, & quidem *finalis*, *exemplaris*, & *meritoria*; omnibus enim his modis esse potest: ergo. *Suarez loc. sup. cit.*

Confirmatur, & declarantur dicta. Christus est caput omnium Angelorum, & hominum, juxta illud ad *Ephes. 1. v. 22. Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*; atqui caput influit in sua membra: ergo etiam Christus; atqui non aliter, quàm merendo illis gratiam: ergo Christus Angelis & hominibus, tanquam suis membris, meritus est gratiam. Hinc *S. Gregorius supr. cit. in lib. 1. Regum, cap. 1.* ait: *Nullus hominum, neque Angelorum, sanctus est, nisi per Christum*: ergo &c. 9.

Probatur 6tò. Ex eo: *quòd Christus meruerit Adamo gratiam, adhuc in statu innocentiæ existenti.* Jam sic: 10.

Merita

Merita Adami in ſtatu innocentiæ poſita, & per peccatum mortificata, poſtea verò vivificata, habent prœmium gloriæ, & quidem in eodem gradu, quem haberent, ſi mortificata non fuiſſent; atqui Adamus nullum habet gradum gloriæ, nisì ex meritis Chriſti: ergo ille gradus gloriæ, eſt ex meritis Chriſti: ergo etiam merita: ergo & gratia, utpote principium talium meritorum.

11. *Probatur 7timò.* Adam ante peccatum habuit revelationem Chriſti venturi, ùt docet *S. Thom. 3. p. q. 1. a. 3. ad 5.* Et, ùt docet communis ſententia Theologorum, habuit etiam fidem Chriſti venturi, ùt docet idem *S. Thom. locô cit. Et 2. 2. q. 2. a. 7.* Et ex Patribus docuerunt. Tertullianus *lib. de anima cap. 11. & 12.* Et *lib. 3. contra Marcionem.* S. Hieronymus *in cap. 5. ad Epheſ.* S. Auguſtinus *lib. 9. de Geneſi ad litteram.* Et alij; atqui omnis fides Chriſti venturi, eſt ex meritis Chriſti: ergo etiam gratia.

12. *Probatur 8vò.* Cum Amico *hic Diſp. 26. de merito Chriſti. ſect. 12. n. 316.* Ex eò: *quòd Chriſtus omnes gratias meruerit hominibus lapſis.* Unde ſic: Chriſtus fuit perfectus Reparator generis humani: ergo non plùs nobis abſtulit Adam ſuò demeritô, quàm contulerit Chriſtus ſuô meritô; atqui Adam ſuô demeritô, abſtulit nobis cum prima gratia juſtificante, omnia auxilia ſupernaturalia, omnémque bonum motum voluntatis, ad æternam vitam nos promoventem, ùt teſtatur *Fulgentius lib. 1. de Incarnat. cap. 12.* ergo Chriſtus ſuô meritô, hæc omnia nobis reſtituit, & omnes gratias nobis hominibus lapſis meruit; ùt patet ex Concilio Milevitano, Arauſicano 2. & Tridentino, totâ *ſeſſ. 6.*

13. *Probatur 9nò.* Cum eodem Amico *cit. Diſp. 26. ſect. 13. n. 358.* Ex eo: *quòd Chriſtus non ſolùm illuminationes*

tiones internas Angelis meruerit, sed etiam gratias. Jam ſic: Hæc prærogativa facit ad majorem Chriſti dignitatem, & meliùs ſalvat ea, quæ de Chriſto fides docet; nam major dignitas Chriſti eſt, habere Angelos ſibi ſubjectos, non ſolùm per influxum interioris illuminationis, & gaudij accidentalis, (*ùt aliqui volunt,*) ſed etiam gratiæ ſanctificantis, & prœmij eſſentialis: & Chriſtus dicitur in omnibus primatum tenere: ad *Coloſſenſ.* 1. *Primogenitus omnis creaturæ.* Ibidem: *Caput Eccleſiæ.* Et: *Caput omnis principatûs, & poteſtatis,* ad *Epheſ.* 5. ad *Coloſſenſ.* 2. Atqui hæc meliùs ſalvantur, ſi ponatur, & dicatur Chriſtus, non tantùm eſſe cauſa meritoria interioris illuminationis, & gaudij accidentalis reſpectu Angelorum, ſed etiam gratiæ & prœmij eſſentialis: ergo hoc tenendum eſt.

Probatur 10mò. cùm Gonet. Chriſtus nihil influit 14.
in homines, niſì quod illis meruit; atqui omnia dona ſupernaturalia, quæ ſunt in hominibus, ſunt ex ipſius Chriſti influxu: ergo nobis per ejus merita conferuntur. *Major patet*; nam Chriſti efficientia in homines non plùs ſe extendit, quàm ejus meritum; imò per ſuum meritum habet, quòd in homines influat. *Probatur itaque Min.* Sic gratia fuit in Chriſto, ſicut in univerſali principio in genere habentium gratiam; Chriſtus enim propter immediatam unionem humanitatis ad Verbum, debebat habere ipſam gratiam in perfectiſſimo gradu, & quia erat Redemptor & ſanctificator hominum, oportebat, ut haberet gratiam in alios redundantem, quod eſt illam habere per modum principij in genere habentium gratiam; atqui virtus primi principij alicujus generis, univerſaliter ſe extendit ad omnes effectus illius generis, ùt patet in ſole, cujus virtus

tus ad omnes rerum inferiorum generationes se extendit, quia est causa universalis generationis: ergo omnia bona supernaturalia, quæ sunt in nobis, ex Christi influxu procedunt. Unde præclarè S. *Bernardus serm. 13. in Cantica* ità dicit: *Quidquid Sapientiæ, quidquid virtutis habere confidis Dei virtuti, Dei Sapientiæ, deputa Christo.* Et ante initium sermonis dixerat: *Origo fontium & fluminum mare est, virtutum & scientiarum, Dominus JESUS CHRISTUS*: ergo.

15. *Probatur* 11mò. Cum eôdem. Christus quoad influxum supernaturalem, quem in nos habet, comparatur capiti & viti; unde Concilium Tridentinum *sess. 6. de Justificat. cap.* 16. ità ait: *Christus JESUS tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit.* &c. Atqui palmes nihil habet, nisì dependenter à vite; & membra corporis humani, in omnibus suis motibus, & operationibus vitalibus, à directione & influxu capitis dependent: ergo pariter, nihil boni supernaturalis est in nobis, nisì dependenter à Christo, & ejus influxu.

16. *Probatur* 12mò. cum Godoy *q.* 14. *de prædestinatione Christi. Tract.* 14. *Disp.* 57. §. 2. *n.* 26. Attribuendum est Christo quidquid excellentiæ, dignitatis, & influxus est, nisì vel in se repugnet, vel oppositum sit revelatum; atqui Christum non meruisse Angelis & hominibus gratiam, non est revelatum in scriptura, nec ex revelatis efficaciter colligitur: ergo non est asserendum, Christum non omnes gratias Angelis, & hominibus meruisse; sed contrarium, videlicet: meruisse. Unde Ecclesia in collectis sive petat gratiam, sive auxilia supernaturalia, sive bona temporalia, ùt ad salutem æternam conducunt,

ducunt, concludit semper: *Per Dominum nostrum JESUM Christum &c.* ut significet, hæc omnia nobis ex meritis Christi donari.

Probatur 13tiò. Christi meritum utpote infinitum, 17.
potuit ad omnia bona, & dona supernaturalia se extendere, &, cùm Christus sit Redemptor, & sanctificator hominum, congruum fuit, ut ad omnia, quæ pertinent ad ordinem redemptionis & sanctificationis, merita sua dirigeret, & ordinaret: ergo nulla ratione videtur negandum, Christum omnia bona & dona supernaturalia nobis meruisse. Ex his colligere licet cum *Suarez hìc Disp. 42. sect. 1.* Quòd Christus meruerit Angelis sanctis & hominibus electionem, prædestinationem, vocationem, auxilia omnia *excitantia*, *adjuvantia*, *sufficientia*, & *efficacia*; ac denique omne meritum, & augmentum gratiæ, & gloriæ. Quæ omnia æqualiter procedunt de Angelis & hominibus; est etenim eadem ratio de utrisque, suppositô modô prædestinationis Christi, & suppositô etiam illô principiô, quòd gratia Christi, & Dei eadem sit; quia omnis gratia Dei per Christum communicatur, adeoque quidquid habemus, ex meritis Christi habemus.

Probatur 2da pars Thesis 1mò. Ex eo: *quòd Christus* 18.
non meruerit sibi defactò unionem hypostaticam, per merita tempore antecedentia. Unde sic: Si Christus fuisset sibi meritus unionem hypostaticam, & substantiam Incarnationis, per merita priùs tempore existentia, debuisset humanitas Christi priùs tempore exstitisse ante unionem cum Verbo, & sic elicuisse opera unionis hypostaticæ meritoria; atqui humanitas non exstitit defactò priùs tempore, ante unionem cum Verbo, ùt fides docet; nam affirmare Christum per aliquod tempus ante unionem cum Verbo fuisse

fuiſſe purum hominem, & in eo ſtatu defactò meruiſſe humanitati unionem cum Verbo, fuit hæreſis Neſtorij, & Photini, teſte *Gonet hic Diſp. 7. a. 2. §. 1.* Et propterea S. Gregorius *lib. 9. Regiſtr. Epiſt. 61.* tradens Hibernis Epiſcopis profeſſionem fidei, quam docendi eſſent emittere, qui è Neſtorianiſmo ad Eccleſiam regrediebantur, inter alia præſcribit: *ut doceantur, Chriſtum, à primo momento conditionis ſuæ, fuiſſe Deum:* ergo. Hunc errorem varijs in locis egregiè confutat S. Auguſt. præſertim *lib. de corrept. & gratia. cap. 11.* Ubi hæc ſcribit: *Deus naturam noſtram, id eſt: animam rationalem, carnémque hominis Chriſti, ſuſcepit ſuſceptione ſingulariter mirabili, vel mirabiliter ſingulari, ut nullius juſtitiæ ſuæ præcedentibus meritis Filius Dei ſic eſſet ab initio, quô eſſe homo cœpiſſet, ut ipſe & Verbum, quod ſinè initio eſt, una perſona eſſet.* Ergo humanitas Chriſti non meruit ſibi defactò unionem ad Verbum, per opera tempore antecedentia. Hanc ſententiam *Medina 3. p. q. 2. a. 11.* apud Amicum ad fidem pertinere cenſet. *Vaſquez 3. p. Diſp. 21. cap. 1.* oppoſitam temerariam eſſe, & erroneam judicat. *Amicus hic Diſp. 26. ſect. 7. n. 107.* implicitè in Concilijs definitam aſſerit contra Origenem, & alios hæreticos dicentes: humanitatem Chriſti priùs tempore exſtitiſſe, (*ùt ſuperiùs inſinuatum eſt,*) quàm fuerit unita Verbo; adeoque natura humana Chriſti, non exſtitit priùs tempore, ante unionem hypoſtaticam: ergo nec ſibi eandem Chriſtus meruit, proùt hæc defactò prædeſtinata, & facta eſt.

19. *Dictum eſt*: Proùt hæc defactò prædeſtinata, & facta eſt; quia de poſſibili, & alio decretorum ordine, potuiſſet humanitas Chriſti priùs tempore exiſtere, & ſubſiſtere ſubſiſtentiâ propriâ; & ſic ſubſiſtens, potuiſſet elicere actus ſupernaturales, de congruo

gruo meritorios unionis hypoſtaticæ : ergo ſaltèm de congruo potuiſſet illam mereri, quod ùt probabilius judicat, *Leonardus Penafiel hìc Diſp. 7. Sect. 1. n.1.* Et communiter fatentur Theologi. Nihilominùs humanitas Chriſti, non potuiſſet illam mereri de condigno. *Ratio eſt* : quia ad meritum de condigno requiritur æqualitas cum præmio; atqui meritum humanitatis, non fuiſſet æquale cum unione hypoſtatica : ergo. *Prob. Min.* Meritum illud fuiſſet ſimpliciter finitum, unio hypoſtatica eſt ſaltèm in genere moris ſimpliciter infinita; adeoque totô genere altior: ergo.

Probatur 2dò. Ex eò: *quòd humanitas Chriſti non potuerit ſibi mereri unionem hypoſtaticam, per merita naturâ unionem hypoſtaticam antecedentia.* Jam ſic: Si humanitas Chriſti potuiſſet ſibi mereri unionem hypoſtaticam, per merita eandem unionem naturâ antecedentia, tunc potuiſſet ſibi illam mereri, vel de congruo, vel de condigno; atqui nullô hôc modô potuit ſibi illam mereri: ergo. *Prob. Min.* Imprimis non de congruo: ergo una pars eſt vera. *Prob. Ant.* Illud meritum congruum pro priori naturæ ad unionem hypoſtaticam, vel dignificaretur à Verbo unito, vel à ſola gratia habituali; atqui neutrum poteſt dici: ergo. *Prob. Min.* Non à Verbo unito; quia ſic unio eſſet pro priori ad prœmium; per conſequens ad ſe ipſam, adeoque *principium meriti caderet ſub meritum*, quod repugnat, ùt infra demonſtrabitur. Non etiam à ſola gratia habituali. *Tum*, quia ſic meritum non eſſet æquale cum prœmio; nam gratia unionis hypoſtaticæ, quâ homo fit ſubſtantialiter, & perſonaliter Deus, eſt longè altioris ordinis, quàm ſit gratia habitualis, quâ humanitas accidentaliter participat naturam divinam: ergo illud meritum quà tale, non eſſet proportionatum (*quod etiam probat humanita-*

nitatem non potuiſſe mereri unionem hypoſtaticam de condigno,) ad unionem hypoſtaticam. *Tum*, quia gratia habitualis data eſt Chriſto dependenter ab unione hypoſtatica, ùt proprietas conſequens; adeoque ùt quid poſterius. *Tum*, quia hæc gratia data fuiſſet ex affectu adoptionis, quod implicat; quia adoptio pugnat cum unione ad Verbum; gratia enim conſtituit Filium Dei adoptivum; unio autem ad Verbum, Filium naturalem; adeoque nemo reſpectu ejusdem poteſt eſſe filius adoptivus, & naturalis ſimul; per conſequens humanitas Chriſti non potuit ſibi mereri unionem hypoſtaticam *de congruo*, per merita eandem unionem naturâ antecedentia. Atqui etiam non potuit ſibi illam mereri *de condigno*, per eadem opera naturâ antecedentia: ergo. *Prob. ſubſumpt.* Humanitas non poteſt operari, adeoque nec mereri, nisì ſit pro priori naturæ ſubſtantialiter completa ſeu ſubſiſtens; cùm ſubſiſtentia, licèt non ſit virtus agendi, ſit tamen complementum ſubſtantiale, ità quidem, ut repugnet exiſtere humanitatem ſinè omni ſubſiſtentia, tum creata, tum increata, & tamen operari; atqui humanitas pro priori naturæ ante unionem hypoſtaticam, non eſt *ſubſtantialiter completa*, ſeu *ſubſiſtens:* ergo pro priori naturæ ad unionem hypoſtaticam, non poteſt operari, adeoque nec mereri de condigno. *Prob. Min.* Ante unionem hypoſtaticam non poteſt eſſe ſuppoſitum divinum; nam humanitas non fit ſuppoſitum divinum per *identitatem*, ſed per *unionem*. Neque etiam pro illo priori naturæ poteſt intelligi creata ſubſiſtentia; quia, quidquid eſt pro illo priori naturæ, eſt pro toto inſtanti reali: ergo pro toto inſtanti reali eſſet ſimul cum ſubſiſtentia Verbi, ſubſiſtentia creata, quod eſt *Neſtorianum:* ergo.

Di-

Dices. Licèt humanitas non possit naturaliter exi- 21.
stere sinè omni subsistentia, & tamen operari, potest tamen hoc fieri divinitùs: ergo potuit divinitùs humanitas Christi pro priori naturæ ad unionem hypostaticam existere & mereri. *Resp. Neg. Ant.* Patet enim hoc ex duobus receptissimis axiomatibus: *Actiones sunt suppositarum*, id est: nulla natura potest operari, nisì priùs subsistat. *Item*, *Modus operandi sequitur modum essendi*, id est: priùs est esse, quàm operari. Unde sic argumentamur. Nemo dat, quod non habet. Et, priùs est habere, quàm dare, ùt per se notum est; atqui esse, est aliquomodo habere id, quod datur, seu quod producitur: ergo priùs est esse, quàm producere, & operari: ergo *modus operandi sequitur modum essendi*; atqui modus operandi substantiæ, non potest, non esse determinatus: ergo esse substantiæ, debet pro priori esse determinatum; atqui non esset pro priori determinatum, nisì pro priori haberet subsistentiam, quæ est modus valdè *intrinsecus* substantiæ creatæ, eam terminans, & determinans substantialiter; *terminans* quidem, quia sistens & reddens incommunicabilem, nè in ratione incommunicabilitatis sit *infinita*; *determinans* verò, quia tollens *indifferentiam intrinsecam* ad subsistendum hâc, vel illâ numerô subsistentiâ creatâ, item creatâ, vel increatâ: ergo substantia debet pro priori naturæ habere subsistentiam: ergo operatio est posterior suppositô: ergo *actiones sunt suppositorum*; per consequens verum est, quòd humanitas non possit operari, nisì sit pro priori naturæ substantialiter completa, & subsistens.

Probatur 3tiò. Humanitas, utpote substantia, in suo 22.
conceptu objectivo ac essentiali, est *ens per se subsistens*; adeoque dicens essentialem ordinem ad ali-

quam ſubſiſtentiam; *operatio* autem ſubſtantiæ *immanens*, & *meritum*, item *gratia* ſive habitualis, ſive actualis, eſt accidens, & qualitas; imò etiam in probabiliori ſententia Philoſophica, ipſa *voluntas creata*; atqui ſubſtantia, & illius conceptus eſſentialis, ac objectivus, eſt, & intelligitur pro priori naturæ ad accidens, quod eſt *entis per ſe, ens*: ergo pro priori naturæ eſt, & intelligitur ſubſtantia humanitatis, aliquâ ſubſiſtentiâ ſubſiſtens, quàm ſit, & intelligatur *voluntas, gratia, operatio & meritum*: ergo omne meritum humanitatis, eſt poſterius ſubſiſtentiâ: ergo in humanitateChriſti,nullum poteſt eſſe meritum pro priori ad unionem hypoſtaticam; per conſequens humanitas Chriſti, non potuit ſibi mereri unionem hypoſtaticam, per merita, eandem unionem naturâ antecedentia.

23. *Probatur 4tò.* Si humanitas Chriſti in illo priori naturæ potuiſſet elicere aliquam operationem independentem à ſubſiſtentia Verbi, & unione, potuiſſet pro eodem rationis ſigno peccare; atqui hæc ſequela eſt inconveniens: ergo. *Prob. ſequel. Maj.* Ratio impeccabilitatis in Chriſto, eſt *Perſona divina*, ùt dicetur *Theſi* 10. quæ nequit intelligi unita ante unionem; imò etiam juxta Adverſarios non intelligitur in illo priori: ergo nihil eſt, quod in illo priori humanitatem reddat impeccabilem: ergo, ſi humanitas in illo priori naturæ, potuiſſet elicere aliquam operationem independentem à ſubſiſtentia Verbi, & unione, potuiſſet pro eodem ſigno rationis peccare.

24. *Probatur 5tò.* Cum Gonet *hìc Diſp. 7. a. 2. §. 1. n.19.* Et ſtringuntur argumenta ſuperiùs allata. Omne meritum in aliqua operatione fundatur; atqui nulla operatio fuit, vel eſſe potuit in Chriſti humanitate priùs naturâ, quàm eſſet aſſumpta à Verbo: ergo neque ullum meritum. *Prob. Min.* Nulla operatio fuit,

fuit, nec esse potuit in Christi humanitate priùs naturâ, quàm esset subsistens, cùm *actiones sint suppositorum*, ùt tradit Philosophus 1. *metaph. cap.* 1. Damascenus *lib.* 3. *de fide. cap.* 15. Et S. Thom. *q.* 19. *a.* 1. *ad* 3. & 4. atqui humanitas Christi per assumptionem ad Verbum divinum effecta est subsistens: ergo.

Confirmatur. Ad meritum sive *de condigno*, sive *de* 25. *congruo*, requiritur sanctitas operantis; atqui humanitas Christi priùs naturâ, quàm uniretur Verbo, caruit sanctitate tam *substantiali*, quàm *accidentali*, utraque etenim hæc gratia derivata est à Verbo: ergo humanitas priusquàm unita fuisset Verbo, & fuisset subsistens, non meruit, neque mereri potuit unionem hypostaticam; per consequens non potuit illam mereri, per opera unionem naturâ antecedentia.

Probatur 6tò. Ex eo: *quòd non potuerit sibi Christus* 26. *mereri unionem hypostaticam, & substantiam Incarnationis per opera eandem unionem concomitantia, vel subsequentia.* Unde sic: si Christus, vel humanitas ejus potuisset sibi mereri unionem hypostaticam, tunc potuisset illam mereri saltèm per opera *concomitantia*, vel *subsequentia*, ità, ut illa opera fuissent meritum inductivum ejusdem unionis; atqui illam hôc modô non potuit mereri: ergo. *Prob. Min.* Imprimis non potuit illam mereri hôc modô per opera *concomitantia*, ità, ut illa opera fuissent meritum inductivum ejusdem unionis: ergo. *Prob. Ant.* Meritum inductivum est causa præmij; atqui opera *concomitantia*, non possunt esse causa præmij, seu esse pro priori, sic enim essent *antecedentia*, & non *purè concomitantia*: ergo. Atqui etiam non potuit illam mereri per opera *subsequentia*: ergo. *Prob. subsumpt.* Principium meriti, *ex dictis*, non cadit sub meritum, hoc est: principium meriti non potest esse præmium

ejusdem meriti; atqui unio hypostatica in Christo est principium omnis meriti; Verbum enim ùt unitum humanitati, dignificat formaliter omnes actiones meritorias Christi: ergo unio hypostatica non potest cadere sub meritum inductivum, cujuscunque operis subsequentis.

27. *Probatur 7timò.* Meritum se habet ad præmium, vel, sicut *medium* ad finem, vel, sicut *dispositio* ad formam, vel, sicut *causa efficiens* ad suum effectum; atqui implicat, medium esse posterius fine, & dispositionem formâ ad quam disponit, aut causam esse posteriorem suo effectu: ergo etiam implicat meritum esse posterius suô præmiô: ergo meritum inductivum non potest esse posterius unione, quæ est prævium.

28. *Probatur 8vò.* Cum Godoy *hìc Disp. 50. §. 2. n. 13.* Implicat inter duo, mutua causalitas in eodem genere causæ; atqui, si Christus per opera subsequentia suam Incarnationem, præsertim *de condigno* mereretur, inter Incarnationem, & merita, intercederet mutua causalitas in eodem genere causæ: ergo implicat, Incarnationem cadere sub meritum operum procedentium ab ipsa. *Major est communis sententia Philosophorum*; tametsi admittant mutuam inter duo causalitatem in diverso genere causæ, in eodem tamen causæ genere, non posse duo se invicem causare, fatentur. *Prob. itaque Min.* Nam meritum est causa præmij in genere causæ efficientis, Incarnatio etiam ad operationes Christi efficienter comparatur. *Tum*, quia Verbum humanitati unitum efficienter influit in ejus operationes. *Tum* etiam, quia humanitas non efficit proprias operationes, nisì ùt unita Verbo, in qua unione sita est Incarnationis essentia: ergo, si Incarnatio esset præmium operum procedentium

tium ab ipsa, daretur inter Incarnationem & merita, mutua causalitas in eodem genere causæ efficientis.

Probatur 9nò. Si opera subsequentia Incarnationem, 29. possent illam mereri, sequeretur, quòd possent se ipsa efficienter causare; atqui hoc implicat: ergo. *Min. constat*: nam causa nihil aliud est quàm *principium, influens esse in aliud esse dependens*; adeoque ad causam (*præsertim efficientem*,) consequitur aliud esse: ergo inter causam & effectum, ùt observant *Salmanticenses Tract. 21. hic. Disp. 7. dub. 2.* §. 2. intervenit dependentia vera & realis distinctio: ergo implicat idem esse causam sui ipsius. *Prob. itaque sequel. Maj. Quod est causa causæ, est etiam causa causati*, juxta commune axioma; atqui merita subsequentia causarent Incarnationem, quæ est principium,& causa meritorum: ergo etiam causarent se ipsa.

Probatur 10mò. Cum eodem Godoy *loc. sup. cit.* §. 30. 2. *n.* 17. Meritum non potest *essentialiter* connecti cum præmio, nec illud ab *intrinseco* inferre; atqui opera supponentia Incarnationem, secundùm quod sunt valorata valore cum Incarnatione exequendo, ut illam de condigno mereantur, *essentialiter* cum Incarnatione connectuntur, illámque *essentialiter* inferunt illatione à posteriori: ergo non possunt Incarnationem de condigno mereri, meritô inductivô Incarnationis, tanquam præmij. *Prob. Maj. 1mò.* Actio voluntatis non potest meritoriè in impulsum ipsam terminantem influere, quia *essentialiter* cum impulsu connectitur, illúmque *infallibiliter* infert: ergo repugnat meritò essentialis connexio cum præmio. *2dò.* Nam, cùm præmiare sit actus justitiæ, de cujus ratione est *libertas*, ideò præmium petit, *liberè* à præmiante concedi, præsupposito merito; atqui si meritum es-

sentialiter connectatur cum præmio, non erit in libera potestate præmiantis, impendere præmium merito præsupposito: ergo inter meritum & præmium, nequit esse *essentialis connexio*: ergo Christi humanitas, non potuit sibi mereri unionem hypostaticam, per opera subsequentia, ità, ut illa opera fuissent meritum inductivum, ejusdem unionis hypostaticæ, tanquam præmij.

31. *Dictum est*: quòd unio hypostatica non possit cadere sub *meritum inductivum*; meritum enim apud Theologos aliud est *inductivum* & *causativum*, seu ùt alij volunt *attractivum* præmij, quod datur in retributionem meriti jam existentis aut in se, aut saltèm in absoluta prævisione præmiantis. Aliud est *compensativum* beneficij jam accepti, quô pactô per actus gratitudinis dicimur compensare beneficia priùs accepta, & ea quodammodò dicimur demereri, non quidem hoc sensu, quô dicimur peccatô demereri gratiam, expellendo ipsam, sed eô sensu, quòd talibus actibus expungamus beneficium, & incipiamus rem possidere quasi ex justitia, quod ante exhibitam gratitudinem possidebamus præcisè titulô gratuitæ donationis. *Dictum est inquam*: quòd unio hypostatica non possit cadere sub *meritum inductivum*: quia, quin possit cadere sub meritum *compensativum*, paulò ante explicatum; non dubitatur apud Theologos; nihil enim videtur obstare, quò minùs Christus per obsequia gratitudinis potuerit demereri, seu condignè compensare unionem hypostaticam, tanquam beneficium sibi priùs gratiosè collatum: ergo.

§. I.

§. I.

Solvuntur objectiones contra primam partem Thesis, quæ dicit: quòd omnis gratia Angelis, & proto-parentibus nostris, etiam ante lapsum, aliisque hominibus, collata fuerit ex meritis Christi.

OBjicies primò. Ex eo: *quòd Angelis non videatur fuisse collata gratia ex meritis Christi.* Unde sic: *Matth.* 18. & *Lucæ* 15. adducit Christus in parabola pastorem, qui relictis nonaginta novem ovibus in deserto, abijt, ut quæreret unam solam, quæ perierat. Quam parabolam S. Ambros. *lib.* 7. *in Lucam cap. de ove centesima.* S. Greg. *Homil.* 39. *in Evangel.* V. Beda, S. Anselmus, & Theophylactus sic explicant: Ut per pastorem intelligatur Christus, per oves relictas, Angeli, per ovem quæsitam, homo, qui in paradiso peccaverat. Atqui, si Christus meruisset Angelis gratiam justificantem, & alia dona supernaturalia, non posset dici, quòd illos in cœlo reliquerit, ut ovem perditam, nempe hominem, quæreret; cùm etiam propter Angelos justificandos venisset: ergo non videtur Angelis fuisse collata gratia ex meritis Christi. *Resp.* 1mò. cum Amico *hîc Disp.* 26. *de merito Christi. Sect.* 13. *n.* 369. Quòd per hanc parabolam Christus ostendere voluerit Pharisæis, potiùs peccatores ad se recipere, quàm justos; murmurantibus enim scribis, quòd Christus peccatores reciperet, & manducaret cum illis, ait ad illos parabolam istam, dicens: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, &c.* Cæterùm etiamsi per hanc parabolam fateatur Christus, se pro hominibus venisse, non 32.

propterea absolutè excludit Angelos, sed tantùm dicit, se pro eis non venisse, ut eos quæreret, ùt oves oberrantes, utì venit ad quærendos homines. Sicùt, dum *Matth.* 9. *Marci* 2. *Lucæ* 5. ait: *se non venisse propter justos, sed peccatores*; non excludit absolutè justos, sed tantùm ad hunc effectum, nempe ad pœnitentiam, quâ justi non indigent. *Resp. 2dò.* Cum Godoy. *hic q.* 24. *de prædest. Christi. Tract.* 14. *Disp.* 56. §. 3. Admissâ illa explicatione, (*quæ literalis non est, sed mystica, ùt adversarij fatentur,*) Nego *Min.* Nam Christus ideò dicitur Angelos reliquisse in deserto, ut ovem perditam quæreret; quia stante modernô decretô de Incarnatione, non venit ad justificandos solos Angelos, sed etiam ad redimendum hominem, cum quo, sicut potest stare meritum illuminationis, & gaudiorum accidentalium, ità & meritum justificationis Angelicæ. Et quidem, ùt rectè advertit *Suarez hic Disp.* 42. *sect.* 1. potiùs ex allegato testimonio, nostra, quàm opposita colligitur sententia, cùm in illo Christus non solùm hominis, sed etiam Angelorum pastor proponatur, ac proinde omnibus merens. Et quamvìs *Vasquez hîc Disp.* 49. *cap.* 2. Christum secundùm divinitatem pastorem accipiat, hæc tamen acceptio, nullô solidô nititur fundamentô; aliàs etiam posset idem dici de Christo, quando caput Angelorum in scripturis nuncupatur, quòd videlicet sit caput secundùm divinitatem, non verò secundùm humanitatem, quod tamen communiter rejicitur, teste *Godoy loc. sup. cit.* ergo.

33. *Objicies 2dò*: Ad *Hebr.* 2. *v.* 11. & 12. ità habetur: *Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes, propter quam causam non confunditur, fratres eos vocare, dicens: nuntiabo nomen tuum fratribus meis.* Et paulò infrà *v.* 14. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini,*

gvini, & ipse similiter participavit eisdem. Ex quo tale formatur argumentum: omnes sanctificati per Christum, pueri & fratres Christi à S. Paulo appellantur; atqui Angeli nec pueri nec fratres Christi possunt appellari: ergo Angeli non sunt per Christum sanctificati. *Prob. Min.* Illi pueri, & fratres Christi appellantur ab Apostolo, qui cum ipso carni & sangvini communicant; atqui Angeli non communicant carni & sangvini Christi: ergo fratres, & pueri Christi appellari non possunt. *Resp.* cum Godoy *q.* 24. *de prædestinat. Christi. tract.* 14. *Disp.* 56. §. 3. *n.* 30. Explicando textum: Et ibi Apostolus loquitur tantùm de sanctificatione redemptiva, & sanativa, *Conced.* Et loquitur de omni sanctificationis modo, *Neg. textum Apostoli.* In illo textu S. Paulus loquitur quidem de omnibus sanctificatis, non tamen de omni sanctificationis modo, sed solummodò de sanctificatione redemptiva, & sanativa, sub qua Angeli non comprehenduntur, qui sine redemptione sanctificati fuerunt. Quòd autem soli homines vocentur *pueri*, & *fratres* Christi, hoc non fit ideò, ùt observat *Suarez hic Disp.* 42. *sect.* 1. quòd illi soli per Christum gratiam acceperint, sed quia speciali modô cum ipso in natura, & origine conveniunt, & singulari modô sunt ab illo sangvine redempti, & sanctificati: ergo.

Replicabis cùm Vasquez *hic Disp.* 49. *cap.* 2. Si præter homines, qui sunt fratres Christi, illius sangvini & carni communicantes, etiam Angeli fuissent in Christo, & per Christum sanctificati, licèt aliô sanctificationis modô, non omisisset illos S. Paulus. Atqui S. Paulus in illo testimonio allegato, omisit Angelos; ergo sentit, quòd nullus, præter hominem communicantem carni & sangvini Christi, fuerit per 34.

Chri-

Christum sanctificatus. *Resp. Neg. Maj.* Quia ideò illos omisit, quia totus erat in commendanda Dei, & Christi charitate erga homines, ad quod parùm, aut nihil sanctificatio Angelorum conducebat: ergo. *Godoy loc. sup. cit. n. 30.* Alij dicunt: quòd ideò ibi omiserit S. Paulus Angelos, quia primarium motivum mortis Christi, fuit reparatio hominum, non verò Angelorum. Hinc quia sacra scriptura sæpiùs loquitur, de effectu passionis Christi, per modum redemptionis, & liberationis à peccato, ideò teste *Suarez hic Disp.* 42. *sect.* 1. etiam frequentiùs loquitur de illa, in ordine ad homines. Dum verò loquitur de sanctificatione, quæ est per Christum, vel, dum ipsum proponit ùt universalem authorem gratiæ, nunquam excludit Angelos: ergo.

35. *Objicies 3tiò.* S. Paulus ad *Hebr.* 2. *v.* 16. Ità dicit: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*; atqui propriè dicitur quis apprehendere eum, quem fugientem insequitur, & tandem assequitur: ergo, cùm natura humana, & Angelica ex parte à Deo fugerit; Christus autem non sit insecutus Angelos, sed homines redimendo, ideò debet dici, quòd Angelis non sit meritus gratiam. *Resp. Explicando textum.* Et ille intelligendus est, quòd verbum nunquam naturam Angelicam assumpserit, sed solam humanam, *Conced.* Intelligendus est, quòd nullas gratias Angelis meruerit, *Neg. textum.* Præterea: Illa verba nihil obstant; quia licèt Christus non redemerit Angelos, adeoque nec fugientes insecutus fuerit, ut eos apprehenderet, & ad se revocaret; negari tamen non potest, quòd Christus plurima beneficia Angelis conferre potuerit, & defactò contulerit: ergo. *Suarez hìc Disp.* 42. *sect.* 1.

36. *Objicies 4tò.* S. Bernardus *sermone feria 4. hebdomadæ*

madæ sanctæ post medium, ita ait: *Sicut passio Domini data est, quia alteri dari non potuit, nunquid Angelo? sed ille non eguit. Nunquid Diabolo? Sed ille non resurgit. Denique non in similitudinem Angelorum, sed in similitudinem hominum.* Jam tale formatur argumentum: Si Angeli accepissent gratiam justificantem ex meritis Christi, fuissent sanctificati illius sangvine & passione; atqui sangvine & passione Christi non fuerunt sanctificati, ùt patet ex verbis *S. Bernardi*: ergo gratiam sanctificantem non habuerunt ex meritis Christi.

Confirmatur. Ex S. August. qui in *Enchiridione cap.* 37. 61. statuens differentiam inter Ecclesiam, quæ est in SS. Angelis, & quæ est in hominibus, ità inquit: *Hæc* (scilicet Ecclesia hominum,) *sangvine Mediatoris nullum habentis peccatum, redempta est à peccatis, ejúsque vox est: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, non enim pro Angelis mortuus est Christus.* Jam sic: secundùm *S. August.* Christus non est mortuus pro Angelis; atqui si illius morte sanctificati fuissent, Christus fuisset mortuus pro illis: ergo Angeli non fuerunt sanctificati sangvine & passione Christi; & per consequens neque gratiam ex meritis Christi habuerunt.

Resp. 1mò. *Ad Argument.* Cum Godoy *loc. sup. cit. n.* 49. Explicando *textum S. Bernardi*: Et ille loquitur de Christo ùt Redemptore, & gratiam redemptivam & sanativam merente, quâ Angeli sancti non indiguerunt, *Conced.* Loquitur de Christo ùt sanctificatore, & gratiam non sanativam, sed gratificativam, & sanctificativam merente, *Neg. textum.* Hinc S. Paulus ad *Hebr.* 10. v. 14. dicit: quòd *Christus una oblatione consummaverit sanctificatos*, id est: oblatione suæ mor-

mortis, ità ut Angeli & homines participarent mortem Christi, sed aliter & aliter; homines quidem, in quantùm sunt morte Christi redempti, Angeli verò, in quantùm eadem morte, ùt absolutè prævisa erant sanctificati. Unde *Godoy loc. sup. cit. n. 48.* ità ait: Nam, ex eo, quòd negetur Christum fuisse pro Angelis mortuum, non sequitur esse negandum, quòd per mortem gratiam Angelis meruerit; sed nullum fundamentum est, ad negandum meritum gratiæ Angelorum, fundatum in passione & morte Christi: ergo id concedendum est. *Resp. 2dò. Negando Maj. argumenti formati.* Quia Christus non solùm meruit moriendo, sed etiam per actus charitatis, & aliarum virtutum; ac proinde potuit per prædictos actus Angelis mereri gratiam, quin illam suâ passione meruerit. *Suarez hic Disp. 42 sect. 2.* Utraque hæc solutio sufficienter enervat difficultatem. *Ad Confirm.* similiter explico *textum S. August.* Non est mortuus pro Angelis, ità, ut illos suâ morte redemisset, *Conced.* Ità, ut illos suâ morte sanctificâsset, *Neg. textum.* Quod attinet illa verba: *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Potest dici, illa esse Ecclesiæ, prout est in hominibus, loquente de Deo, ùt per gratiam redemptivam juvante; si verò loquamur de Deo, ùt largiente per Christum gratiam non sanativam, sed præcisè gratificativam, tunc possunt adaptari Ecclesiæ, prout est in Angelis. *Godoy loc. sup. cit. n. 49.*

38. *Replicabis.* Christum pro Angelis mori, nihil aliud est, quàm Christum suâ morte mereri; atqui si meruit Angelis gratiam, meritô in morte fundatô, meruit suâ morte pro Angelis; nam mereri suâ morte pro Angelis idem est, quod morte Angelis mereri: ergo, si meruit Angelis gratiam per suam passionem

&

& mortem, asserendum est, quòd pro Angelis mortuus fuerit. *Resp. Neg. Maj.* Nam Christum pro Angelis mori, nihil aliud est, quàm ad merendum pro Angelis, fuisse ex primaria intentione mortem Christi destinatam; atqui mors Christi ex primaria intentione non fuit destinata pro Angelis: ergo nec fuit mortuus Christus pro ijsdem. Licèt itaque dicatur, *quòd Christus per suam mortem Angelis meruerit,* non sequitur tamen debere dici: *quòd pro ipsis mortuus fuerit*; sicut, ex eo, quòd dicatur Christum sibi meruisse gloriam corporis & nominis exaltationem, tamen non sequitur, quòd pro se Christus mortuus fuerit, sed pro nobis, & filius Dei descendit de cœlis propter nos, & nostram salutem.

Urgebis: Ideò Christus mortuus est pro hominibus, 39. quia ipsis suâ morte & passione est meritus: ergo etiam, si Angelis suâ morte, & passione meritus fuisset, similiter pro ipsis mortuus esset. *Resp. Neg. Ant.* Non enim tantùm ex hac ratione Christus mortuus est pro hominibus, quia ipsis meruit, sed insuper quia primum mortis Christi motivum, fuit homines à peccato redimere; unde Christum mori pro aliquo, denotat præcipuum mortis motivum. Licèt itaque Christus suâ morte Angelis gratiam meruerit, quia tamen non fuit præcipuum motivum moriendi, Angelos suâ morte justificare; ideò non est asserendum, Christum pro Angelis, aut propter Angelos mortuum fuisse. *Godoy loc. sup. cit. n. 50.*

Objicies 5tò. S. Thomas *in 3. Dist. 13. q. 2. a. 1.* 40. *quæstiuncul. 1. in* ⊙ docet: Christum secundùm quod est homo, esse caput Angelorum, non tamen ità propriè, nec eôdem modô propriô, sicut hominum: ergo gratia Angelorum non procedit ex meritis Christi. *Resp. Dist. Ant.* Docet Christum non eôdem modô

dô

dô esse caput Angelorum sicut hominum, ex hac ratione, quòd Christus meruerit gratiam Angelis per merita absolutè prævisa, nobis autem hominibus per merita in re posita, *Conced.* Docet ex hac ratione, quòd Christus nullô modô illis meruerit gratiam, *Neg. Ant. Illustrissimus & Reverendissimus Godoy hìc q.* 24. *de prædest. Christi. tract.* 14. *Disput.* 57. §. 3. *num.* 35. de hoc diverso modo ità discurrit: Meritum potest dupliciter: causare, *1mò.* in genere causæ efficientis, *quantùm ad substantiam* & *modum*, cùm scilicet præmium confertur post meritum, ùt in re exhibitum antecedenter ad præmium. *2dò.* In genere causæ efficientis *quoad substantiam*, *non quoad modum*, sed inducendo modum causæ finalis, cùm scilicet præmium anticipatè confertur ad meritum, ùt exhibitum in re, non tamen ante prævisionem illius; tunc enim quamvìs causet efficienter moraliter quoad substantiam, non tamen efficienter moraliter quoad modum, sed potiùs sortitur modum causæ finalis, quia imitatur illam in hoc, quòd non præcedat suum effectum in re, sed tantùm in præmiantis prævisione. Unde hac distinctione præmissâ, dicit *S. Thomam* solùm negâsse, quòd Christus Angelis gratiam, & gloriam meruerit, meritô efficienter causante quantùm ad *substantiam* & *modum* causæ efficientis, scilicet: cum præcedenti merito ad præmium in re, non verò negâsse, quòd hæc dona meruerit Angelis meritô causante *moraliter efficienter quoad substantiam*, cum *modo causæ finalis*, per præcedentiam solùm in mente præmiantis præmiô anticipatè solutô. *Ità Godoy citatus.*

41. *Objicies 6tò*: Si Christus meruisset Angelis gratiam, & gloriam, non fuissent priùs glorificati, quàm Christus, non enim decet, ut priùs coronetur miles, quàm

quàm Dux; atqui ſunt priùs glorificati : ergo. *Reſp.* *Neg. ſeq. Maj.* Ratio eſt : *1mò.* Quia licèt juxta præſentem ordinationem Dei, nullus homo executivè ſit gloriam conſecutus, priusquàm ipſe Chriſtus Cœlum aſcenderet; Angelis tamen, qui erant deſignati cuſtodes, & directores noſtri ad vitam æternam, conveniebat citiùs conferre gloriam, ut efficaciùs ſuô munere fungerentur. *2dò.* Quia homines peccando, ùt obſervat *Suarez hìc Diſp.* 42. *ſect.* 1. januam Regni cœleſtis ſibi occluſerant, quæ aperta non fuit, donec plenè fuiſſet pro tota natura, quæ reatum peccati contraxerat, ſatisfactum; & ideò ante Chriſti adventum nullus hominum ad illam beatitudinem admittebatur; at verò Angeli nullum ſibi poſuerunt obſtaculum per peccatum, intrandi ad gloriam : ergo.

Objicies 7timò. Merita Chriſti in carne paſſibili, non erant pro Angelis; quia non propter illos, ſed propter homines venit in carne paſſibili; atqui alia merita Chriſti non erant abſolutè futura, niſi in carne paſſibili : ergo. *Reſp. Diſt. Maj.* Merita Chriſti in carne paſſibili conſiderata quoad modum paſſibilitatis, non erant pro Angelis, *Conced.* Conſiderata ſecundùm ſuam ſubſtantiam, *Neg. Maj.* Merita Chriſti applicata Angelis, erant quidem præviſa futura in carne paſſibili, non dependebant tamen à paſſibilitate carnis, quia potuiſſent etiam fieri in carne impaſſibili. 42.

Objicies 8vò. Non eſt revelatum, quòd Chriſtus ſit meritus Angelis gratiam : ergo illis eam non meruit. *Reſp. 1mò. Neg. Conſeq.* Quia nos non dicimus hoc eſſe de fide; adeoque ſtantibus rationibus ſuprà allatis, poſſumus hanc ſententiam, ùt probabiliorem defendere. *Reſp. 2dò. Diſt. Ant.* Non eſt revelatum explicitè, quòd Chriſtus meritus ſit Angelis gratiam, 43.

Con-

Conced. Non eſt revelatum implicitè, *Neg. Ant. Et Conſeq.* Dicimus itaque, quòd noſtra aſſertio, inferatur per concluſionem Theologicam, ex illo principio revelato: quòd Chriſtus ſit ſupremum caput totius Eccleſiæ, Caput omnis principatûs, & poteſtatis. Hinc *Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Godoy loc. ſup. cit. n. 26.* ità dicit: Nam, licèt in ſcriptura non exprimatur influxus meritorius Chriſti in Angelorum gratiam & gloriam, ex illa tamen habetur, quòd fuerit caput Angelorum ſecundùm humanitatem, juxta frequentiorem Theologorum ſententiam; & ratio iſta capitis meliùs ſolvatur, conceſsô, Chriſto ùt homini, influxu meritorio in gratiam Angelorum & gloriam, quàm illô negatô: ergo, cùm aliàs concedatur præcedentia meritorum Chriſti, in divina præviſione, concedi etiam debet in illa dona, meritorius influxus.

44. *Objicies 9nò.* Nullum meritum poteſt inducere præmium pro tempore, ante ſuam exiſtentiam phyſicam: ergo neque merita Chriſti, aliquod præmium poſſunt inducere, pro tempore ante exiſtentiam phyſicam Chriſti, & ejus meritorum. *Reſp. Diſt. Ant.* Nullum meritum poteſt inducere præmium ante ſuam exiſtentiam phyſicam veram, vel æquivalentem, *Conced.* ſemper ante veram phyſicam exiſtentiam, *Neg. Ant.* Merita itaque abſolutè præviſa pro certa differentia temporis futura, licèt non habeant exiſtentiam veram phyſicam, habent tamen *exiſtentiam phyſicam æquivalentem*; adeoque ſtante tali exiſtentiâ, poteſt dari præmium antequam phyſicè exiſtant à parte rei. Ità *Suarez.* Alij, ùt *Coning.*, *Amicus*, *Palavicinus*, *Ruiz*, & *Didacus*, negant ſuppoſitum, quòd videlicet merita Chriſti reſpectu illarum gratiarum Angelis collatarum, fuerint propriè inductiva præmij,

mij, ſed ſolummodò, quòd fuerint compenſativa præmij antea collati. *Rationem dant:* quia cauſa meritoria reducitur ad cauſam efficientem; cauſa autem efficiens, non poteſt producere effectum antequam ſit: ergo nec cauſa meritoria. Verùm, licèt poſſit dici, quòd Chriſtus meritus ſit meritô compenſativô gratiam Angelis & hominibus, & quòd ad cauſam veram phyſicam requiratur, ut ſit phyſicè, antequam producat effectum; non tamen hoc requiritur ad cauſam phyſicè æquivalentem, ùt docet *Suarez:* ergo.

Replicabis. Non datur præmium propter meritum 45. pure poſſibile: ergo meritum debet exiſtere phyſicè. *Reſp. Diſt. Conſeq.* Ergo meritum debet exiſtere phyſicè, vel verè, vel æquivalenter, *Conced.* ſemper verè, *Neg. Conſeq.* ſufficit enim, ut meritum ſit abſolutè futurum, & à Deo ùt tale prævideatur, quem hôc modô poteſt inducere ad conferendum præmium.

Objicies 1omò. Si cauſa phyſica, ſit poſterior tem- 46. pore ſuô effectu, non cenſetur eſſe prior naturâ reſpectu illius: ergo etiam cauſa moralis meritoria, non cenſetur eſſe prior naturâ ſuô effectu, ſi ſit poſterior tempore effectu; atqui Chriſtus fuit poſterior tempore gratiâ, & gloriâ Angelis collatâ: ergo. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſpar. eſt:* qui cauſa phyſica dat eſſe phyſicum *immediatè per ſe*, & virtute ſuâ phyſicâ: ergo debet habere ſuum eſſe phyſicum, ſeu debet exiſtere illô ſaltèm inſtanti, quô exiſtit effectus phyſicus; at verò cauſa moralis, non dat eſſe phyſicum *immediatè*, & *per ſe*, ſed *mediante Deô*, quem inducit ad dandum eſſe phyſicum: ergo non eſt neceſſe, ut cauſa moralis exiſtat verè phyſicè.

Objicies 11mò. Si doceatur, quòd Deus merita ab- 47. ſolutè præviſa præmiet, multùm favetur errori Semi-

pelagianorum , qui docebant, quòd Deus præmiet merita conditionata, & nunquam absolutè futura: ergo. *Resp. Neg. Ant.* Semipelagiani enim docebant, quòd Deus præmiet merita purè conditionata, & nunquam absolutè exstitura; adeoque quòd det infanti gratiam perveniendi ad baptismum, propter merita, quæ talis infans posuisset, si ad adultam ætatem pervenisset, licèt talia merita nunquam ponet, sed statim post baptismum morietur. Quòd autem alteri non det Deus talem gratiam, sed moriatur ante baptismum, docebant id evenire, propter peccata sub conditione futura. Nos verò hoc non docemus, sed dicimus, quòd Deus det præmium propter merita absolutè prævisa, & futura, & sic *æquivalenter physicè* existentia, non autem propter merita nunquam exstitura; adeoque non sentimus cum Semipelagianis. Imò cum *Haunoldo*, & alijs multis Theologis potest dici: quòd Deus det præmia *anticipata*, *exstimulantia* Christum ad merita absolutè ponenda, per quæ compensentur gratiæ priùs datæ; & sic etiam potest dici, quòd Deus dederit gratias Angelis, propter merita Christi, absolutè prævisa, & futura.

48. *Objicies 12mò.* Implicat infligi pœnam ante culpam physicè existentem: ergo etiam implicat, conferri præmium ante meritum, nondum physicè existens. *Resp. 1mò. Neg. Conseq. Disp. est*: Quia inflictio & executio pœnæ, est actus justitiæ vindicativæ, quæ essentialiter præsupponit culpam physicè existentem; at verò non omnis collatio præmij est ex justitia, sed potest esse actus puræ liberalitatis, inducens in præmiato debitum gratitudinis, ad compensandum præmium liberaliter collatum. *Resp. 2dò. Dist. Conseq.* ergo implicat, conferri præmium ante meritum

non-

nondum verè, nec æquivalenter phyſicè exiſtens, *Conced.* Nondum exiſtens verè phyſicè, exiſtens tamen æquivalenter phyſicè, *Neg. Conſeq.* Aut aliter: nondum phyſicè exiſtens, ſi à præmiante non prævideatur, quòd tale meritum compenſabitur per merita infinita, *Conced.* ſi prævideatur, *Neg. Conſeq.* 3*tiò. Neg. Conſeq. Diſp. eſt:* quia Deus reſpectu meritorum Chriſti cenſetur ſuô modô eſſe debitor; atqui debitor poteſt prævenire ſolutionem: ergo etiam Deus poteſt citiùs dare præmium propter merita Chriſti abſolutè prævifa; at verò reſpectu infligendæ pœnæ cenſetur eſſe creditor; atqui creditor non poteſt exigere debitum, nisì ſit actu contractum: ergo.

Objicies 13*tò.* Ex eo: *quòd gratiæ, & dona ſuper-* 49.
naturalia, non videantur fuiſſe collata hominibus, in lege veteri exiſtentibus, ex meritis Chriſti. Unde ſic: S. Thom. docet, quòd in lege veteri non fuerit tanta plenitudo gratiæ, ſicut in lege nova, ſic enim *q.* 29. *de veritat. a.* 4. dicit: *Dicendum, quòd, quia nondum erat meritum Chriſti in actu, nec ſatisfactio ante Incarnationem, ideò non erat tanta gratiæ plenitudo ſicut eſt poſt*; atqui hoc non ex alia ratione, quàm, quia ante mortem Chriſti nullus ex ejus meritis gratiam participavit: ergo. *Reſp. Neg. Min.* Sed, quia merita illa ante paſſionem & mortem Chriſti, necdum erant poſita in re, ſed tantùm erant abſolutè prævifa; ideò vi illius prævifionis non contulit Deus hominibus in lege veteri exiſtentibus tantas gratias, quantas contulit hominibus in lege gratiæ exiſtentibus propter merita Chriſti abſolutè poſita, teſte *Godoy loc. ſup. cit. Diſp.* 57. §. 3. *n.* 38. Rationem ſubdit: quia non eſt ità connaturale merito, ut propter ſolam abſolutam prævifionem cauſet præmium, ſicut

 eſt

eſt illi connaturale, ut illud cauſet propter ſuam exiſtentiam phyſicam & in re; unde congruum fuit, ut Deus abundantiorem gratiam ſtatueret, & daret in præmium meriti, & paſſionis Chriſti phyſicè, & in re exiſtentis, quàm in præmium meriti, ùt futuri. *Ità Godoy ſup. cit.*

50. *Objicies 14tò.* Ex eò: *quòd nobis hominibus in lege gratiæ exiſtentibus, non conferatur gratia, & alia dona ſupernaturalia ex meritis, & paſſione Chriſti.* Jam ſic: Si daretur nobis gratia, & alia dona ſupernaturalia ex meritis Chriſti, non darentur nobis gratìs, ſed ex juſtitia; atqui hoc dici non poteſt: ergo nec illud. *Sequel. Maj.* videtur eſſe manifeſta; quod enim alicui datur tituló meriti, datur per modum præmij, & mercedis; quod verò datur alicui ùt merces, non datur gratìs, ſed debitô juſtitiæ, ùt patet ex illo ad Roman. 4. v. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Min.* etiam conſtat ad *Roman.* 3. v. 24. *Juſtificati gratìs per gratiam ipſius.* Quibus verbis gratiam juſtificantem dari merè gratìs, docet Apoſtolus: ergo. *Confirmatur* Auth. S. Auguſt. Qui de *prædeſt. ſanct. cap.* 15. de fide, quâ Chriſtiani ſumus, ait: *Eâ gratiâ ab initio fidei ſuæ, fit homo quicunque Chriſtianus, quâ homo ille ab initio factus eſt Chriſtus;* atqui ille homo factus eſt Chriſtus, absque ſuis meritis, ex ſola libera Dei voluntate: ergo etiam nos eadem liberâ voluntate Dei, facti ſumus Chriſtiani, ideſt: credentes in Chriſtum; adeoque gratia, & alia dona ſupernaturalia, quæ ad juſtificationem requiruntur, non dantur nobis juxta *S. Auguſt.* ex meritis Chriſti.

Reſp. Ad Argument. Cum Gonet *hìc Diſp.* 21. *a.* 7. §. 2. *Diſt. ſeqvel. Maj.* Si daretur nobis gratia, & alia dona ſupernaturalia ex meritis Chriſti, non darentur

tur nobis gratìs, per reſpectum ad merita Chriſti, *Conced.* Comparativè ad noſtra merita: *Neg. Maj. Ad Min.* ſimiliter dicendum eſt: quòd loca S. Scripturæ quibus dicitur: *Nos juſtificari gratìs,* intelligenda ſint per reſpectum ad nos, non verò per reſpectum ad Chriſtum; quamvìs enim nullis noſtris præcedentibus meritis, gratia juſtificationis nobis conferatur, tamen hæc collatio fit ex meritis Chriſti. *Ad Confirmat.* ſimiliter dico: quòd, dum S. Auguſtinus ait: *quòd illâ gratiâ homo à principio vitæ ſuæ ſit Chriſtianus, quâ Dei filius factus eſt homo;* excludat tantùm merita noſtra, reſpectu noſtræ vocationis, non verò merita Chriſti; ſiquidem ibi impugnat Pelagianos, qui docebant, nos poſſe credere, & juſtificari ex viribus liberi arbitrij: ergo.

Objicies 15tò. Apoſtolus ad *Roman.* 4. *v.* 25. lo- 51.
quens de Chriſto, ait: *Traditus eſt* (ſcilicet: in mortem,) *propter delicta noſtra, reſurrexit propter juſtificationem noſtram:* ergo juſtificatio noſtra non provenit ex vi mortis Chriſti, ſed ex vi reſurrectionis ejus; atqui reſurrectio Chriſti non operatur per modum meriti, ſed ſolùm per modùm phyſici inſtrumenti, cùm Chriſtus per mortem ſuam non meruerit, ùt docet *S. Thom. hic q.* 56. *a.* 1. *ad* 3. ubi ità ait: *Reſurrectio Chriſti, non eſt propriè cauſa meritoria reſurrectionis noſtræ, ſed eſt cauſa efficiens, & exemplaris:* ergo Chriſtus non meruit juſtificationem noſtram. *Reſp. Neg. Conſeq.* Nam juſtificatio noſtra debet attribui morti Chriſti, ùt cauſæ meritoriæ. Quando verò Apoſtolus ait: quòd Chriſtus reſurrexerit propter juſtificationem noſtram, ſolummodò vult, reſurrectionem Chriſti eſſe cauſam exemplarem noſtræ reſurrectionis. Hinc *S. Thom.* 3. *p. q.* 56. *a.* 1. *ad* 4. ità dicit: *ſecundùm rationem efficientiæ, quæ dependet ex virtute*

 divi-

divina, tam mors Christi, quàm etiam resurrectio, est causa tam destructionis mortis, quàm reparationis vitæ: sed secundùm rationem exemplaritatis, mors Christi, per quam recessit à vita mortali, est causa destructionis mortis nostræ; resurrectio verò ejus, per quam inchoavit vitam immortalem, est causa reparationis vitæ nostræ; passio verò est insuper causa meritoria: ergo.

52. *Objicies 16tò.* Si Christus nobis meruisset nostram prædestinationem, debuisset etiam nobis mereri omnem prædestinationis effectum; atqui hunc nobis non meruit: ergo. *Prob Min.* Incarnatio fuit primus, & potissimus nostræ prædestinationis effectus; atqui Christus Incarnationem nobis non meruit, *cùm principium meriti non cadat sub meritum*: ergo neque nobis meruit omnem prædestinationis effectum. *Prob. Maj.* Omne, quod cum effectu ad finem nostræ prædestinationis conducit, fuit à Deo ex intentione hujus finis paratum, & consequenter est nostræ prædestinationis effectus; atqui Incarnatio Christi cum effectu ad finem prædestinationis nostræ maximè conducit: ergo fuit à Deo ex hoc fine præparata, & per consequens fuit nostræ prædestinationis effectus. *Resp. Neg. Min. Ad Prob. Neg. Maj. Ad ejus Prob. Dist. Maj.* Omne, quod cum effectu ad finem nostræ prædestinationis conducit, fuit à Deo ex intentione hujus finis paratum, si conducat ad illum ùt medium ad finem, *Conced.* Si ad illum conducat ùt causa, *Neg. Maj.* Licèt autem Incarnatio Christi, ejúsque merita ad salutem electorum conducant, non tamen conducunt ùt media, sed ùt causæ illius, ac finis beatitudinis nostræ; cùm Incarnatio & merita Christi, nobiliora sint, ac Deo propinquiora, quàm salus hominum; unde non præparantur à Deo ex intentione, & amore illius; nec per consequens sunt nostræ prædestinationis effectus. *Ex-*

Explicatur, & *magìs illustratur hæc solutio*: Non omne conducens ad aliud, debet illius amorem supponere, & ex illius intentione imperari, sed tantùm illud, quòd ùt medium assumitur; cùm enim medium ratione finis ametur, (*sicut conclusio ratione præmissarum cognoscitur*,) debet, ùt efficaciter eligatur, amorem efficacem finis supponere, & imperari ex illius efficaci intentione; sicut conclusio, quia ratione principiorum cognoscitur, ut certò cognoscatur, debet certam principiorum cognitionem supponere, &, ut evidens sit conclusionis cognitio, præsupponi debet evidens principiorum notitia. Causa verò, etsi in ordine ad effectum ametur, non tamen ratione effectus amatur; & ideò illius amorem non supponit, sed infert, unde cùm Incarnatio non ordinetur ùt medium ad salutem electorum, sed sit illius causa & finis, juxta illud Apostoli 1. *ad Corinth.* 3. *v.* 22. & 23. *Omnia vestra sunt; vos autem Christi, Christus autem Dei*; ideò ex illius intentione non fuit à Deo imperata, licèt ad salutem hominum, ùt ad *finem cui*, defactò ordinata fuerit.

Objicies 17*mò*. Si Christus omnia dona supernatu- 53.
ralia hominibus meruisset, debuisset etiam ipsis mereri remissionem omnium peccatorum, & pro omnibus satisfacere; atqui non meruit remissionem peccatorum, nec satisfecit pro omnibus: ergo. *Prob. Min.* Non conseqvuntur omnes remissionem peccatorum, imò pro ijsdem exigitur pœnitentia & satisfactio: ergo. *Resp. Dist. Maj.* Debuisset etiam ipsis mereri remissionem omnium peccatorum, quoad sufficientiam, *Conced.* Quoad efficaciam in actu secundo, *Neg. Maj.* Theologi duplicem distingvunt considerationem meritorum Christi, unam *quoad sufficientiam*, alteram *quoad efficaciam*. Dicunt itaque, quòd

Chriſtus omnibus meruerit remiſſionem peccatorum quoad ſufficientiam, quia pro omnibus obtulit ſufficiens meritum, quod eſſet univerſalis cauſa, ſeu generale pretium, quô omnes uti poſſent, ſi vellent, ut à ſervitute peccati, & poteſtate Dæmonis liberentur. Non tamen meruit hanc remiſſionem omnibus quoad efficaciam, quia non applicuit ſuum meritum, ut omnes infallibiliter talem effectum conſequerentur, ſed voluit hunc effectum, per ordinata media applicari, mediâ libertate & voluntate humanâ, per quam interdum talis applicatio impeditur. *Suarez hìc Diſp. 41. ſect. 1.*

54. Quod attinet pœnitentiam, & ſatisfactionem, quæ ſtante ſatisfactione ſuperabundante Chriſti, adhuc à nobis exigitur, dicimus: quòd ex hac ratione à nobis exigatur; quia Chriſtus ſatisfactionem ſuam *in actu primò* ſufficientiſſimam, pro peccatis noſtris obtulit tantùm *conditionatè*: Si nimirum impenſis operibus noſtris ſatisfactorijs, ejus merita nobis applicuerimus; non autem abſolutè *in actu ſecundo*, absque omni noſtra cooperatione. Ità omnes Catholici Doctores ſentiunt, contra Lutherum, & alios hujus temporis Sectarios, qui ſatisfactionem Chriſti pro peccatis hominum præſtitam, oblatámque adeò extollunt, ut pœnitentiam & ſatisfactionem noſtram omnino ſuperfluam, inutilem, & Chriſto injurioſam eſſe exiſtiment. Fundamentum noſtræ aſſertionis eſt: 1mò. Quia *Marci 16. v. 16.* dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et *Lucæ 24. v. 46. Sic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertiâ die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam.* Jam ſic argumentamur: Licèt Chriſti ſatisfactio ex ſe fuerit efficax, & in actu primo ſufficientiſſima, non tamen

ſuper-

superfluè, *inutiliter*, aut *injuriosè* ad ſalutem obtinendam exigitur à nobis *baptiſmus*, *fides* ac *pœnitentia*: ergo idem dicendum eſt de alijs bonis, & ſatisfactorijs operibus noſtris, quæ Deus per ſcripturam ſacram etiam à nobis requirit. 2*dò*. Quia 2. *Petri* 1. *v*. 10. habetur: *Satagite*, *ut per bona opera*, *certam veſtram vocationem*, *& electionem faciatis*. Item *Matthæi* 19. *v*. 17. *Si vis ad vitam ingredi*, *ſerva mandata*. Et hoc ſenſu S. Paulus dixit ad *Coloſſ*. 1. *v*. 24. *Adimpleo ea*, *quæ deſunt paſſionum Chriſti*. Item 1. *ad Corinth*. 9. *v*. 26. *Caſtigo corpus meum*, *& in ſervitutem redigo*, *nè fortè cùm alijs prædicaverim*, *ipſe reprobus efficiar*. Atqui hi textus exigunt ad ſalutem cooperationem noſtram: ergo. 3*tiò*. Quia non derogatur efficaciæ, & perfectioni Omnipotentis Dei, quòd ipſe cauſis particularibus & ſecundis, tribuat virtutem producendi certos effectus, quos ſola Dei Omnipotentia, tanquam cauſa prima ac univerſalis *per ſe* ſufficienter producere poſſet; quia nimirum ejusmodi concauſas admittit ex liberalitate, non autem ex virtutis defectu, ac neceſſitate: ergo etiam non derogatur efficaciæ, ac perfectioni meritorum Chriſti, quòd ipſe opera noſtra ſatisfactoria, ad ſalutem noſtram procurandam adhibeat, quam ſola Chriſti ſatisfactio, tanquam cauſa meritoria univerſalis, ſufficienter procurare potuiſſet; quia etiam iſtiusmodi cauſas particulares cooperatrices adhibet ex liberalitate, non autem ex defectu virtutis ſuæ, ac neceſſitate. Præterea hoc ſapientiſſimè ordinatum eſt; ſiquidem nobis ſubſtrahitur occaſio, nè deſides ſtertamus, & penes peccata multiplicemus, Chriſti exempla ad ſanctè vivendum negligamus. &c. Ergo.

§. II.

§. II.

Solvuntur objectiones contra secundam partem Thesis, quæ dicit: quòd Christus non meruerit sibi defactò unionem hypostaticam, & substantiam Incarnationis. Neque absoluiè mereri potuerit, proùt hæc, hìc & nunc prædestinata, decreta, & facta est.

55. OBjicies 1mò. Ex eo: *quòd Christus videatur sibi defactò meruisse Incarnationem.* Unde sic: *Psalmo 44.* dicitur de Christo: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleô lætitiæ, præ consortibus tuis*; atqui per *ly unxit* S. Anselmus intelligit unionem hypostaticam; per *ly* autem *propterea* intelligit causam meritoriam: ergo Christus meruit sibi defactò Incarnationem, & unionem hypostaticam. *Resp.* 1mò. Si per *ly unxit* intelligatur unio hypostatica, tunc *ly propterea* non significat causam meritoriam, sed finalem, ut sensus sit: *ideò unxit te Deus, ut diligeres justitiam, & odiô haberes iniquitatem.* Quæ expositio est *S. August.* in allatum psalmum, & aliorum SS. Patrum. *Resp.* 2dò. Si per *ly propterea* intelligatur causa meritoria: tunc per unctionem & oleum, non potest intelligi unio hypostatica, sed unctio, & oleum lætitiæ illius, & exultationis, quâ Christus delibutus fuit in resurrectione per gloriam, & exaltationem sui nominis, quam suis meritis obtinuit. Ità *S. Athanasius, S. Hieronymus*, & alij SS. Patres.

56. *Objicies 2dò.* Apocalypsis *5. v. 12.* dicitur: *Dignus est Agnus, qui occisus est accipere Divinitatem*: ergo Christus defactò meruit Incarnationem. *Resp. Explican-*

plicando textum cum D. Thom. Et ille intelligendus eſt pro manifeſtatione Divinitatis, in Chriſto latentis, aut de reunitione totius humanitatis, quæ facta eſt poſt occiſionem Agni in reſurrectione, *Conced.* Intelligendus eſt, quòd Chriſtus ſibi defactò meruerit ſubſtantiam Incarnationis, & unionem hydoſtaticam, *Neg.* textum.

Objicies 3tiò. Ex eo: *quòd videatur potuiſſe ſibi mereri Chriſtus Incarnationem, per opera eandem Incarnationem naturâ antecedentia.* Jam ſic: Potuit in natu- 57.
ra humana Chriſti, præcedere gratia habitualis priùs naturâ, antequam uniretur Verbo: ergo potuit præcedere aliquod opus meritorium Incarnationis & unionis hypoſtaticæ. *Reſp. Neg. Ant.* Ratio eſt: *1mò.* Quia nulla natùra poteſt perfici accidentaliter per gratiam, nisì priùs ſubſtantialiter compleatur per ſubſiſtentiam. *2dò.* Gratia habitualis fuit data Chriſto, ratione unionis hypoſtaticæ, tanquam proprietas conſequens ad illam, *ùt ſuperiùs n. 24. dictum eſt*: ergo gratia habitualis non poteſt concipi naturâ prior, unione hypoſtaticâ. *3tiò.* Actiones, & operationes ſunt ſuppoſitorum: ergo non poteſt natura humana Chriſti operari, nisì ſubſiſtat per ſubſiſtentiam Verbi, ùt bene obſervat *Sylveſter Maurus hic q. 30. n. 7.* ergo neque poteſt mereri Incarnationem, antequam ſubſiſtat per ſubſiſtentiam Verbi.

Replicabis. Saltèm potuit humanitas Chriſti eodem 58.
inſtanti actum elicere, naturâ priorem ad unionem hypoſtaticam, quem pro ſigno poſteriori dignificâſſet Perſonalitas Verbi: ergo. *Prob. Ant.* Contritio tali modô elicitur pro ſigno priori ante gratiam, & deinde pro poſteriori dignificatur per gratiam: ergo. *Reſp. Neg. Ant. Ad Probat. Diſt. Ant.* Dignificatur pro poſteriori per gratiam ſanctificantem ad abtinen-

dam

dam gloriam, *Conced.* Ad obtinendam gratiam sanctificantem, tanquam præmium, *Neg. Ant. & Conseq.* Impossibile enim est, ut contritio dignificetur per gratiam sanctificantem, ad obtinendam gratiam sanctificantem, quia *principium meriti, non potest cadere sub illud meritum, cujus est principium*; atqui gratia sanctificans est principium omnis meriti de condigno, & gratia actualis est principium omnis omnino meriti: ergo.

59. *Objicies 4tò.* Angeli meruerunt gratiam habitualem per opera, quæ non præcesserunt illam reali duratione: ergo etiam humanitas Christi potuit sic mereri gratiam unionis, saltèm de potentia absoluta. *Resp. Trans. Ant. Neg. Conseq. Dispar. est:* Quia productio Angeli non habuit necessariam connexionem cum receptione gratiæ: ergo mirum non est, quòd potuerit inter productionem Angeli, & gratiæ receptionem, intercedere meritum de congruo, gratiæ sanctificantis; at verò productio humanitatis, habet necessariam connexionem cum propria, vel aliena subsistentia: ergo. *Mastrius hic Disp. 3. de merito Christi. q. 12. a. 1. n. 439.*

60. *Objicies 5tò.* Humanitas Christi est producta actione ejusdem rationis, cum productione humanitatis nostræ, & prorsus independenter à productione unionis hypostaticæ: ergo in aliquo priori naturæ ad illam, potuit habere operationem ipsius meritoriam. *Resp. Trans. Ant. Neg. Conseq.* Quia, sicut post productionem humanitatis, id, quod statim est, & prius reliquis, est productio seu pullulatio propriæ subsistentiæ (*sive in positivo, sive in negativo consistat,*) ità, ut inter productionem substantiæ, & productionem subsistentiæ, nequeat intelligi actio media, quæ prioritate naturæ productionem propriæ subsistentiæ præ-

præcedat; ſic productio unionis cum Verbo, quod ſuccedit locò propriæ ſubſiſtentiæ, ità ſtatim ſubſequitur ad humanitatis productionem, ut inter ambas, nulla queat intelligi media actio, quæ priorem immediatè ſequatur, & alteram præcedat prioritate naturæ. *Scotus in 3. Diſt. 2. q. 2. A. & G.*

Objicies 6tò: Licèt humanitati debeatur ſubſiſtentia creata, tamen non debetur ipſi divina: ergo ſubſiſtentia divina potuit ſinè inconvenienti dari poſt operationem. *Reſp. cum Cardinali de Lugo Diſp. 8. ſect. 1. Diſt. Ant.* Non debetur ipſi divina, & tamen datur pro ea, quæ debetur humanitati, *Conced.* Et non datur pro ea, quæ debetur humanitati, *Neg. Ant. & Conſeq.* Licet enim ſubſiſtentia divina non debeatur humanitati, datur tamen pro ea, quæ ipſi erat debita; & ideò debet dari pro eodem ſigno, & independenter ab actibus; ſicut, licèt non debeatur ulli naturæ optimum temperamentum, ſed aliquod, nemo tamen dixerit, quòd Chriſtus ſe diſpoſuerit per meritum præcedens ad aliquod temperamentum: ergo. 61.

Objicies 7mò. Cum Amico *hic Diſp. 126. ſect. 7. n. 104.* Non minùs natura in operando à parte rei pendet ab aliqua præſentia in loco, & coëxiſtentia in tempore, quàm ab aliqua ſubſiſtentia; atqui potuit hæc Chriſti humanitas priùs ratione cum principijs ad agendum requiſitis, quàm cum aliqua determinata præſentia in loco, aut coëxiſtentia in tempore à Deo decerni, atque prævideri: ergo etiam potuit hæc eadem humanitas priùs ratione cum ſuis principijs proximè, & determinatè ad agendum requiſitis, decerni; & per conſequens prævideri ùt operatura, quàm cum aliqua determinata ſubſiſtentia ſubſiſtens. *Reſp. Tranſ. Maj. Et Min. Neg. Conſeq.* Quia, licèt præſentia in loco, & coëxiſtentia in tempore, ſint acci- 62.

dentia

dentia necessariò connexa cum natura operante, non tamen tribuitur ipsis operatio cum tanta proprietate, ùt observat *Mastrius hìc Disp. 3. de merito Christi. q. 12. a. 1. n. 439.* cum quanta tribuitur subsistentiæ; non enim ità propriè dicitur ubicatum operari, vel durans, sicut suppositum; est enim famigeratum dictum: *Actiones sunt suppositorum*; non verò *ubicatorum*, vel *duratorum*; adeoque signum evidens est, quòd specialem habeant dependentiam operationes à *supposito*, quam non habent ab *Ubi*, & *Duratione*. Et ratio est: quia *subsistentia* in natura operante, aliquomodò se habet antecedenter ad operationem; *ubicatio* autem, & *duratio*, merè concomitanter; adeoque opera provenientia ab humanitate Christi, nullô modô potuerunt priùs prævideri, quàm prævideretur talis natura *ùt subsistens*, vel propriâ, vel alienâ subsistentiâ; ex eo, quòd ordo naturæ ad propriam personalitatem, sit ordo *per se*, & *necessarius*, ità, ut statim naturæ insit, quando inesse potest; ordo autem ipsius naturæ ad operationem, sit ordo per accidens: ergo.

63. *Objicies 8vò.* Licèt anima rationalis separata, non subsistat per subsistentiam, tamen potest operari: ergo etiam, licèt humanitas Christi non substitisset, tamen potuisset operari. *Resp. Neg. Ant.* Quia, licèt anima rationalis separata non habeat subsistentiam totalem, habet tamen subsistentiam partialem, sicut & partialem existentiam, ùt supponimus ex Philosophia. Præterea: *Mastrius loc. sup. cit. n. 441. Negat Conseq.* & ità discurrit: Ex hoc enim, quòd anima separata operari possit, quæ tamen non subsistit, solùm sequitur, subsistentiam non esse conditionem universaliter necessariam ad operandum in quacunque natura, sed tantùm in natura suppositata, vel suppositabili: ergo &c. *Ob-*

Objicies 9nò. Licèt accidentia non habeant proprium ſubjectum in Evchariſtia, tamen poſſunt operari: ergo etiam, licèt humanitas Chriſti non habuiſſet propriam ſubſiſtentiam, tamen potuiſſet operari. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt: imò.* Quia ſubjectum non eſt ultimum complementum, vi cujus poſſit aliquod ens operari; at verò ſubſiſtentia eſt ultimum complementum: ergo mirum non eſt, quòd humanitas Chriſti nihil potuerit ſinè ſubſiſtentia operari; hinc ſi accidentia in Evchariſtia non haberent proprias partiales ſubſiſtentias, neque illa quidquam operari poſſent. *2dò Diſp. eſt*: Quia, ùt obſervat *Maſtrius loc. ſup. cit. n. 441.* fide docemur, accidentia in Evchariſtia exiſtere, & operari ſinè ſubjecto; at verò non docemur fide, ſubſtantiam exiſtere ſinè ſubſiſtentia propria vel aliena, & tamen operari. Hinc clarè deducitur, quòd ſubſtantia magìs dependeat quoad operari à ſubſiſtentia, quàm accidens à ſubjecto: ergo. 64.

Objicies 10mò. Juxta Ariſtotelem *lib. 1. Metaph. cap. 1. Actiones ſunt ſingularium, non verò ſuppoſitorum*; atqui humanitas Chriſti priùs naturâ, quàm uniretur Verbo, fuit ſingularis, & individua: ergo priùs naturâ potuit mereri. *Reſp. 1mò.* Quòd Ariſtoteles pro eodem acceperit naturam ſingularem, & ſubſiſtentem; quia diſtinctio ſubſiſtentiæ à ſingularitate, & individuatione, non innotuit nisì per fidem, quâ Ariſtoteles deſtitutus erat. *Reſp. 2dò. Explicando textum Ariſtotelis.* Actiones ſunt ſingularium, ità, ut natura ſingularis, & individua, ſit principium *ùt quo*, ſuppoſitum autem ſit principium *ùt quod* actionis, *Conced.* Ità, ut natura ſingularis ſeclusâ ſubſiſtentiâ ſit principium *ùt quod*; *Neg. textum Ariſtotelis.* Et *Transmiſſa Min. Neg. Conſeq.* 65.

Obji-

66\. *Objicies 11mò.* Decebat, ut humanitas ornata, & priùs dignè diſpoſita, aſſumeretur à Verbo, quàm ſinè prævio ornamento, & merito: ergo dignum erat, ut priùs mereretur unionem hypoſtaticam. *Prob. Ant.* Decentiùs eſt, ut Rex ducturus conjugem inferioris conditionis, priùs illam nobilitet, & ornet: ergo à pari. *Reſp. Neg. Ant. Ad Prob. Neg. Conſeq. Diſp. eſt*: quia per aſſumptionem in Reginam, non acquirit eô ipsô conjunx inferioris ordinis, omnes dotes, & qualitates, quas ante aſſumptionem non habebat; at verò humanitas per aſſumptionem in Deum, acquirit, & acquiſivit plenitudinem Divinitatis, quam ante aſſumptionem non habebat: ergo &c.

67\. *Objicies 12mò.* Qui defactò poteſt mereri plùs, poteſt etiam minùs; atqui defactò beatitudo eſt plùs, quàm unio hypoſtatica, illam tamen Chriſtus meritus eſt: ergo. *Prob. Min.* Finis eſt plùs, quàm ea quæ ſunt ad finem; atqui beatitudo eſt finis, reliqua verò omnia ſunt conducentia ad eam: ergo. *Reſp. Neg. Min. Ad Prob. Diſt. Maj.* Finis eſt plùs, quàm ea, quæ ſunt ad finem, hoc eſt: quæ ſunt mera media, nec habent ullam aliam æſtimabilitatem, quàm medij, *Conced.* Quæ non ſunt præcisè ad finem, ſed habent ſuam propriam æſtimabilitatem independentem à fine, proùt habet unio hypoſtatica, *Neg. Maj. Similiter Diſt. Min. Et Neg. Conſeq.* Incarnatio enim non eſt purum medium, ſed ex ratione ſuæ excellentiæ eſt finis intrinſecus, & propinqviſſimus fini ultimo, qui eſt Deus.

68\. *Objicies 13tiò.* Viſio beatifica æquè unit, & poſſidet Deum, ſicut Incarnatio: ergo, ſi viſio cadit ſub meritum, cadet etiam Incarnatio. *Reſp.Neg.Ant.* Nam viſio tantùm unit extrinſecè,& poſſidetDeum duntaxat intentio-

tentionaliter; at verò Incarnatio unit, & possidet Deum intrinsecè, & ùt loquitur *S. Thom. hic q. 2. a. 11. in* ☉ in Esse Personali: ergo.

Objicies 14tò. Ex eo: *quòd Christus potuerit mereri Incarnationem, & unionem hypostaticam, per opera concomitantia.* Unde sic: Potest aliquis effectus esse causa suæ causæ in diverso genere, ùt patet in cognitione, cujus intellectus est causa efficiens, & vicissim ipsa, est causa formalis respectu intellectûs, in quantùm in eodem recipitur, tanquam actio immanens. *Item:* Eadem qualitas v. g. color, potest esse emanans ex forma ignis, adeoque hujus formæ effectus, & tamen potest simul esse dispositio, aptans subjectum ad talem formam, & sic potest esse prior in diverso genere causandi: ergo à pari potest idem meritum Christi, esse prius unione hypostaticâ, in genere causæ, saltèm dispositivæ, & materialis, licèt sit posterius eadem unione in genere causæ moralis, & efficientis physicæ; adeoque potuit sibi Christus mereri Incarnationem, & unionem hypostaticam per opera concomitantia. *Resp. 1mò. Dist. Ant.* Potest esse aliquis effectus causa suæ causæ, quoad illud esse, quod sua causa præhabet, antequam producat talem effectum, *Neg.* Quoad aliud esse, quod causa non supponitur præhabere ante talem effectum, *Conced. Ant. Resp. 2dò. Neg. Conseq. Disp. est:* Quia effectus potest citiùs existere quoad aliquod esse, quàm causa; at verò nulla operatio Christi, potest existere ante Christum, sed Christus ante omnem suam operationem debet intelligi existens, & subsistens; adeoque ùt præhabens unionem hypostaticam: ergo nulla operatio Christi potest esse causa inductiva unionis hypostaticæ quoad suam substantiam, neque in genere causæ moralis efficientis, 69.

neque in genere causæ dispositivæ, & materialis: ergo Christus non potuit sibi mereri Incarnationem, & unionem hypostaticam, per ullum opus concomitans.

70. *Objicies 15tò.* Finis potest esse prior & posterior se ipsô: ergo etiam unio hypostatica potest esse prior tanquam principium meriti, & posterior tanquam ejusdem præmium. *Resp. Neg. Conseq.* Quia principium meriti non est in genere causæ finalis, quæ est solùm prior in intentione, sed est in genere causæ efficientis; adeoque debet esse, & existere in se ipso, vel in absoluta prævisione præmiantis.

71. *Objicies 16tò.* Datur mutua prioritas inter causam finalem, & physicam: ergo etiam inter meritoriam, & physicam. *Resp. Neg. Conseq. Disp. est:* Quia finis solùm causat intentionaliter, movendo tantùm ùt est ponibilis, seu ùt sit; adeoque non debet præsupponi, nisì ùt existens intentionaliter ante causam physicam; at verò meritum inductivum movet moraliter, quia est, vel in se realiter, vel in *absoluta prævisione* præmiantis; nemo enim præmiat merita *purè possibilia*: ergo meritum debet, vel in se *realiter*, vel prævisum *absolutè* præsupponi ante præmium; si autem præmium vicissim esset principium meriti, deberet præsupponi ùt actu existens: ergo mutua præexistentia realis deberet haberi, quod repugnat: ergo &c.

72. *Observandum est:* quòd hæc sit differentia inter causam *finalem* & *meritoriam*: licèt enim finis & meritum in hoc conveniant, quòd, ut causent, non debeant semper *actualiter* existere à parte rei, dum causant, sed sufficit, si existant *objectivè* in mente; cùm hoc sufficiat, ut mediâ sui apprehensione moveant voluntatem agentis propter finem, ad ponenda media,

&

& præmiantis ad danda præmia, nihilominùs in modo causandi valdè discrepant. Nam finis non causat *quia est*, sed *ut sit*; ac proinde non causat per suam existentiam actualem, neque per cognitam, ùt absolutè futuram in aliqua temporis differentia, sed solùm per suum esse *apprehensum*, *ùt bonum*, & *possibile*; per consequens respectu ejusdem medij non est causans, & causatum secundùm idem esse, sed secundùm diversum, nempe: causans secundùm *esse objectivum* in mente, causatum autem secundùm *esse actuale* à parte rei, in quo nulla est difficultas. At verò meritum causat, *quia est*, vel quia cognoscitur *absolutè futurum* in aliqua temporis differentia; unde, si causaret principium à quo procedit, in genere causæ efficientis, vel formalis seu dignificantis, cujus existentiam actualem necessariò præsupponit, causaret illud per suum esse actuale in aliqua differentia temporis existens; adeoque causaret id, à quo ùt præexistente accipit idem esse actuale in ista differentia temporis; ac proinde secundùm idem esse actuale esset prius & posterius, existentiâ actuali sui principij, quod manifestè repugnat: ergo. &c.

Replicabis. Causalitas physica & moralis, est di- 73.
versi generis: ergo hæc mutua causalitas non repugnat. *Resp. Dist. Ant.* causalitas physica & moralis, est diversi generis in ratione entis, *Conced.* In ratione causæ, *Neg. Ant. & Conseq.* Utraque enim est in genere causæ efficientis: ergo.

Objicies 17mò. Licèt gloria, ùt corona, in ordine in- 74.
tentionis, non cadat sub meritum prædestinati; in ordine tamen executionis cadere potest sub meritum; quia, licèt prædestinatus non mereatur primam sui electionem ad gloriam, meretur tamen illius executionem: ergo à pari, licèt Christus non potue-

 rit

rit mereri prædeſtinationem Incarnationis, potuit tamen mereri illius executionem. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſp. eſt:* Quia homo prædeſtinatus ad gloriam, abſolutè exiſtit ante ſuam glorificationem; adeoque poteſt talam mereri meritô inductivô; at verò Chriſtus non exſtitit ante executionem Incarnationis; nec poteſt videri ùt abſolutè exſtiturus, nisì priùs intelligatur decretum abſolutum de executione Incarnationis facienda: ergo.

75. *Objicies 18vò.* Poterat Chriſtus mereri conſervationem unionis hypoſtaticæ: ergo etiam primam illius productionem. *Prob. Conſeq.* Conſervatio & prima productio ſunt idem: ergo. *Reſp. Tranſ. Ant.* Quia multi Theologi contrarium docet, ùt videre eſt apud *Salmanticenſes tract:* 21. *Diſp.* 7. *dub.* 2. §. 5. *Neg. Conſeq. Ad Prob. Diſt. Ant.* Sunt idem phyſicè, *Conced.* Sunt idem moraliter, & in ordine ad libertatem cauſæ conſervantis, *Neg. Ant. & Conſeq.* Deus enim, ſi nullum meritum conſervationis intercedat, poteſt absque læſione juſtitiæ, *unionem hypoſtaticam* deſtruere; ſuppoſitô autem meritô, tenetur eam conſervare; & ſic evaderet abſolutè indeſtruibilis ex ſuppoſitione conſequenti.

76. *Objicies 19nò.* Ex eo: *quòd Chriſtus potuerit mereri Incarnationem per opera ſubſequentia.* Jam ſic: Opera ſubſequentia unionem hypoſtaticam, ſunt valoris ſimpliciter infiniti; adeoque habent æqualitatem cum gratia unionis: ergo Chriſtus per talia opera ſubſequentia, potuit mereri unionem hypoſtaticam. *Reſp. Diſt. Conſeq.* Ità, ut hæc opera eſſent meritum purè compenſativum unionis hypoſtaticæ, *Conced.* Ut eſſent meritum inductivum ejuſdem unionis hypoſtaticæ, *Neg. Conſeq.*

77. *Replicabis.* Nullibi fit mentio apud Theologos meriti

riti compensativi : ergo videtur esse purè ad placitum de novo inventum : ergo nulla solutio. *Resp. Neg. Ant.* Meminit etenim hujus meriti *Vasquez hìc Disp. 21. cap. 5. Cardinalis de Lugo Disp. 27. de Incarnatione sect. 3. Haunoldus lib. 4. tract. 1. cap. 7. controvers. 1. Coninck dub. 7. de act. supernatur.* Et plures alij apud *Haunoldum* relati.

Objicies 2domò. Principium meriti potest aliquando 78.
esse præmium ejusdem : ergo potuit Christus mereri unionem hypostaticam per opera subsequentia. *Prob. Ant.* Potest Rex, aut Dux per modum anticipatæ retributionis dare militi arma, & eqvum, in præmium victoriæ obtinendæ per arma, & eqvum ; atqui in tali casu arma, & eqvus essent principium victoriæ, & simul præmium : ergo *Resp. Neg. Ant. Ad Prob. Dist. Maj.* Potest Rex dare militi arma & eqvum, hoc est : purum usum armorum & equi, non tamen jus absolutum, & dominium armorum, quod erit præmium obtinendum per victoriam, *Conced.* Potest dare militi arma, & eqvum, hoc est : ipsum jus absolutum, & dominium armorum in præmium victoriæ per arma obtinendæ, *Neg. Maj. similiter Dist. Min.* Atqui in tali casu arma, & eqvus, hoc est, usus eorum erit principium victoriæ, dominium verò, & jus absolutum erit præmium victoriæ. *Conced.* Ipsum jus absolutum erit principium victoriæ, & simul præmium consequens victoriam, *Neg. Min. & Conseq.* Usus rei juxta probabiliorem sententiam est separabilis à dominio rei, sicut etiam dominium conditionatum ab absoluto ; potest itaque Rex conferre militi usum armorum, tanquam principium victoriæ, & ei conferre dominium armorum, tanquam præmium victoriæ, quin principium meriti cadat sub meritum : ergo.

79\. *Objic. 2imò.* Miles per uſum armorum, tanquam per principium meriti, poteſt ſibi mereri dominium armorum, tanquam præmium: ergo etiam Chriſtus per uſum unionis hypoſtaticæ, tanquam per principium meriti, poterat ſibi mereri unionem hypoſtaticam, tanquam præmium. *Confirmatur.* Unio hypoſtatica potuit Chriſto dari ſub conditione, ſicut militi poſſunt dari arma & eqvus ſub conditione, ut nempe, ſtrenuè pugnando mereatur illa: ergo potuiſſet Chriſtus tali caſu mereri unionem hypoſtaticam, per opera ſubſequentia. *Reſp. ad Arg. Neg. Conſeq. Diſp. eſt: 1mò.* Quia unio hypoſtatica non poteſt dari præcisè ad uſum, ſed debet ſtatim conferri abſolutè, & ſimpliciter appropriari Chriſto, cùm ſit proprium ſubſtantiale Chriſti complementum; at verò arma & eqvus, poſſunt dari ad uſum: ergo. *Diſp. eſt: 2dò.* Quia miles poteſt exiſtere à parte rei independenter à dominio armorum; adeoque poteſt Dux belli cum illo paciſci de dominio armorum; at verò Chriſtus non poterat exiſtere independenter ab unione hypoſtaca, & ſic non poterat Deus cum Chriſto paciſci de danda unione in præmium meriti ſubſequentis. Si autem ſit ſermo de ſola humanitate, etiam hæc non poterat producere opera proportionata pro unione hypoſtatica, ùt patet ex dictis: ergo. *Diſp. eſt: 3tiò.* Quia valor meritorum Chriſti deſumitur ab unione hypoſtatica tanquam à forma dignificante, adeoque hæc forma debet eſſe propriè merentis, cùm meritum, ejúsque valor ſint ſub dominio merentis; at verò valor meriti ponendi à milite, non deſumitur ab armis, & eorum dominio, ſed à virtute & dexteritate militis, ſtrenuè illis armis pugnantis; ùt obſervat *Maſtrius hìc Diſp. 3. q. 12. a. 3. n. 456.* ergo arma poſſunt cadere

cadere ſub meritum, quoad eorum dominium; non verò unio hypoſtatica, cùm ſit forma dignificans; ſic enim caderet ſub meritum ipſa etiam forma ejusdem meriti, quod implicat; quia meritum cauſaret ſe ipſum, utpote cauſans formam ſui conſtitutivam. Ex his apparet, quid dicendum ſit ad Confirmationem: ergo.

Objicies 22dò. Ad rationem meriti non requiritur, ut 80.
ſemper re ipſâ exiſtat phyſicè, priusquàm conferatur prœmium, ſed ſufficit, ut prævideatur abſolutè futurum; atqui ante executionem Incarnationis, Deus prævidit merita Chriſti abſolutè futura: ergo per hæc merita poterat Chriſtus mereri Incarnationem. *Reſp. Diſt. Min* Ante executionem Incarnationis, ùt factam in tempore, Dèus prævidit merita Chriſti, *Conced.* Ante executionem, ùt decretam ab æterno, *Neg. Min.* Pro meliori intelligentia hujus ſolutionis.

Sciendum eſt: quòd abſoluta futuritio operationis, ſupponat abſolutam futuritonem operantis; effectus enim non poteſt eſſe prior ſuâ causâ effectivâ; quia verò abſoluta futuritio Chriſti non poteſt intelligi, nisì ſupponatur decretum executivum, quô Deus ab æterno decrevit Chriſtum executivè ponere cum omnibus operationibus, & partialibus circumſtantijs, cum quibus re ipſa eſt poſitus; ideò non potuit ante hoc decretum executivum, prævideri ulla operatio Chriſti, abſolutè futura: ergo implicat, ut Chriſtus per operationem abſolutè futuram, mereatur unionem hypoſtaticam executivè ponendam.

Objicies 23tiò. Poterat dari hominibus gratia & An- 81.
gelis, propter merita Chriſti abſolutè prævisa: ergo etiam propter eadem merita poterat dari Chriſto unio hypoſtatica. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſp. eſt*: Quia me-

merita Christi poterant, & re ipsâ præcesserunt gratiam dandam hominibus; at verò non poterant præcedere unionem hypostaticam, utpote posteriora ipsâ; priùs enim est existere, & postea operari, cùm operari sequatur ad esse; atqui merita sunt *quoddam operari*, unio autem est *quoddam esse*: ergo &c.

82. *Objicies 24tò.* Poterat Christus mereri circumstantias Incarnationis meritô inductivô: ergo etiam ipsam unionem. *Resp. Dist. Ant.* Aliquas, *Conced.* Omnes *Neg. Ant. & Conseq.* Illas circumstantias poterat mereri Christus, ùt communior Theologorum docet sententia, quibus erat prior, non autem eas, quibus erat posterior. Et quia circumstantijs antecedentibus erat posterior, qualis est: *annuntiatio* futuræ Incarnationis per Gabrielem &c. Item concomitantium, nimirum: ut tali *tempore*, tali *locô*, ex tali *stirpe*, & ex tali *Matre* carnem assumeret; ideo has mereri non potuit. Quia verò aliquibus circumstantijs erat prior, quales sunt: *Adoratio* pastorum, & magorum, *laudes* in nativitate Angelorum &c. Ideò has mereri potuit, cùm mereri potuerit, & meritus sit multa, statim in primo instanti suæ conceptionis: ergo.

83. *Replicabis.* Poterat Christus mereri aliquas circumstantias: ergo etiam unionem hypostaticam. *Resp. Neg. Conseq. Disp.* patet ex immediatè dictis: Quia fuit, & potuit esse prior aliquibus circumstantijs: ergo mirùm non est, quòd potuerit illas mereri; at verò non fuit, nec potuit esse prior unione hypostaticâ: ergo mirum non est, quòd Christus illam nòn potuerit mereri, ídque nec per opera subsequentia.

THE-

THESIS III.

Licèt (1mò.) nullus purus homo meruerit, nec mereri potuerit substantiam Incarnationis: ùt docet S. Thomas *hìc q. 2. a. 11.* Poncius *Disp. 38. q. 5.* Et quoad meritum condignum, tanquam certum supponit Leonardus Penafiel *hìc Disp. 7. Sect. 4.* Quoad meritum congruum est Scoti *in 4. Dist. 2. q. 1.* Vasquez *Disp. 22. cap. 4.* Cardinalis de Lugo *hìc Disp. 8. Sect. 4.* & aliorum plùrimorum, quos pro hac sententia adducit Leonardus Penafiel *loc. sup. cit. Tamen (2dò.) antiqui Patres aliquas circumstantias, saltèm de congruo meriti sunt, & Beata Virgo maternitatem; idque meritô dispositivô, non verò causativô* Ità quoad antiquos Patres, tenet Vasquez *Disp. 23. cap. 5.* Suarez *Disp. 10. Sect. 6.* Amicus *Disp. 27. Sect. 8. n. 152.* Leonardus Penafiel *Disp. 7. Sect. 5.* Comptonus *hìc Disp. 47. Sect. 6.* Quoad Beatam Virginem verò S. Thom. *loc. sup. cit. ad 3.* Godoy *hic q. 2. tract. 2. Disp. 13. §. 2. n. 18.* Cardinalis de Lugo *Disp. 8. Sect. 5.* Gonet *hic Disp. 8. a. 4. §. 3.* Suarez *Disp. 10. Sect. 8.* Reding. *hìc q. 5. a. 1. Controvers. 3. n. 13.* Et alij.

PRobatur 1ma *pars Thesis. 1mò:* Authoritate S. Scripturæ. Ex eo: *quòd defactò nullus purus homo meruerit substantiam Incarnationis.* Unde sic: 1.
In varijs scripturæ locis hoc mysterium, non nostris meritis, sed immensæ Dei misericordiæ ac benigni-

tati tribuitur; imò ab ipſo humana merita removentur; ſic ad *Titum* 3. *v.* 4. & 5. Apoſtolus dicit: *Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit.* Idem ſonant illa verba *Lucæ* 2. *v.* 78. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto.* Et iſta ad *Epheſ.* 2. *v.* 4. *Propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos* (nempe Deus,) *cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto.* Ea ipſa de cauſa Chriſtus ad *Hebr.* 2. *v.* 9. dicitur: *Gratia Dei.* Ergo ex ſcriptura conſtat, quòd nullus purus homo defactò meruerit ſubſtantiam Incarnationis.

2. *Probatur* 2dò. Ex eo: *quòd nullus purus homo potuerit mereri de congruo ſubſtantiam Incarnationis.* Jam ſic: Sicut ſe habet ordo naturæ ad ordinem gratiæ, ità ſe habet ordo gratiæ ad ordinem unionis hypoſtaticæ; atqui nihil eſt in toto ordine naturæ, quòd poſſit mereri, *etiam de congruo* ordinem gratiæ, vel aliquid ad ipſum pertinens: ergo etiam nihil eſt in ordine gratiæ, quod poſſit mereri ordinem unionis hypoſtaticæ, vel aliquid ad ipſum pertinens.

Confirmatur. Opera ordinis gratiæ, magìs ſunt improportionata unioni hypoſtaticæ, quàm opera naturalia ipſi gratiæ: ergo, ſi per opera naturalia, non poteſt homo *de congruo* mereri primam gratiam, à fortiori non poterit per opera ordinis gratiæ, mereri unionem hypoſtaticam. *Conſeq. eſt legitima. Ant. etiam eſt manifeſtum.* Cùm enim ordo hypoſtaticus involvat perſonam Verbi divini, quæ eſt infinitæ dignitatis, & perfectionis; ideò velutì in infinitum excedit ordinem gratiæ. Hic autem, cùm ſit finitus, ſolummodò finitô modô diſtat ab ordine naturæ: ergo.

Pro-

Probatur 3tiò. Si aliquis purus homo potuiſſet mereri *de congruo* ſubſtantiam Incarnationis, debuiſſet illam poſſe mereri vi gratiæ, vel à ſolo Deo gratiosè, & liberaliter collatæ, (*naturaliter etenim, & absque auxilio gratiæ ſupernaturalis, nemo poterat hoc myſterium, utpote omnes vires naturæ ſuperans mereri, ùt fides docet contra Pelagium,*) vel dependenter à meritis Chriſti; atqui neutrô modô potuit illam purus homo mereri: ergo. *Prob. Min. Quoad primam partem.* Defactò puri homines, nullam habuerunt gratiam ex ſola liberalitate Dei, ſed omnes ex merito Chriſti, *ùt præcedente Theſi oſtenſum eſt*: ergo. *Prob. eadem Min. quoad alteram partem:* Principium meriti non cadit ſub illud meritum, cujus eſt principium; atqui ſi purus homo, id eſt: qui non eſt ſimul Deus, meruiſſet de congruo ſubſtantiam Incarnationis, per gratiam ex meritis Chriſti acceptam, principium meriti caderet ſub meritum: ergo. *Prob. Min.* Hoc meritum puri hominis ſupponeret gratiam vel actualem vel habitualem, tanquam ſuum principium; gratia autem puri hominis, ſupponeret meritum Chriſti, tanquam ſuum principium, per conſequens Incarnationem quoad ſubſtantiam, ſeu Chriſtum, ùt principium meriti; proinde etiam ùt principium meriti à puro homine eliciti: ergo, ſi purus homo meruiſſet ſubſtantiam Incarnationis, per gratiam ex meritis Chriſti acceptam, principium meriti caderet ſub meritum; atqui implicat, ut principium meriti cadat ſub meritum: ergo. *Declaratur hoc ſubſumptum.* Abſolutè repugnat, ut aliqua res ſit ſui ipſius cauſâ; atqui ſi principium meriti caderet ſub meritum, tunc meritum eſſet ſui ipſius cauſa: ergo. *Prob. Min.* Quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati; atqui meritum eſſet cauſatum, & etiam eſ-

ſet

ſet cauſa ſuæ cauſæ, ſeu principij merentis: ergo eſſet cauſa ſui ipſius; utì etiam *Theſi præcedente ad prop. 9. 2dæ partis dictum eſt:* ergo.

4. *Probatur 4tò.* Implicat mutua cauſalitas; atqui, ſi purus homo poſſet mereri ſubſtantiam Incarnationis *de congruo*, daretur mutua cauſalitas: ergo. *Prob. Min.* Meritum Chriſti, & Chriſtus merens, eſſet naturâ prior in genere cauſæ moralis meritoriæ, quàm meritum puri hominis; quia eſſet ſic prior, quàm gratia illius, quæ eſt principium meriti; & meritum puri hominis in eodem genere cauſæ moralis meritoriæ, eſſet naturâ prius, quàm meritum Chriſti: quia eſſet naturâ prius, quàm Chriſtus merens, & principium meriti ſui: ergo ſi purus homo poſſet mereri *de congruo* ſubſtantiam Incarnationis, daretur mutua cauſalitas quoad idem eſſe, & in eodem genere cauſæ; quod implicat: ergo nullus purus homo potuit mereri de congruo ſubſtantiam Incarnationis.

5. *Dices.* Potuit purus homo, gratiâ habituali inſtructus, mereri *de congruo* executionem Incarnationis: ergo etiam potuit mereri ſubſtantiam, & prædeſtinationem ejusdem. *Reſp. Diſt. Ant.* Si nomine executionis intelligatur circumſtantia accelerationis, *Tranſ.* Si intelligatur decretum executivum Incarnationis, aut ipſa ſubſtantia ejusdem, *Neg. Ant. & Conſeq.* Eôdem enim modô argumentandum eſt, teſte *Vaſquez hìc Diſp. 22. cap. 2.* de meritis reſpectu executionis, ac reſpectu prædeſtinationis; nam idem ordo, quem res inter ſe ſervant in tempore ſecundùm cauſam & cauſatum, ſervatur etiam in præſcientia, & prædeſtinatione Dei: ergo, ſi merita purorum hominum fuiſſent cauſa Incarnationis in executione, fuiſſent etiam cauſa in prædeſtinatione; quia juxta ſuperiùs dicta, ex ordine & cauſalitate

rerum ad invicem, desumitur earundem rerum ordo in prædestinatione, & præscientia divina. Hinc *S. August.* teste *Vasquez loc. sup. cit.* quotiescunque concedit dari nobis aliquid ex meritis, toties etiam concedit eligi merita ad illud, in præscientia, & prædestinatione divina.

Probatur 5tò. Ex eo: *quòd nullus purus homo potuerit mereri de condigno substantiam Incarnationis.* Jam sic: Nulli merito finito, debetur ex justitia præmium simpliciter infinitum, ùt communiter docent Theologi; adeoque nulla operatio finiti valoris, est de condigno meritoria præmij infiniti, meritum enim de condigno, requirit æqualitatem cum præmio, & vice versâ; atqui substantia Incarnationis est simpliciter infinita, cùm includat *substantiam infinitam Verbi*; merita autem puri hominis essent valoris finiti: ergo nullum tale meritum potuit elici, quô purus homo potuisset de condigno mereri executionem Incarnationis quoad substantiam; adeoque nullus purus homo potuit eandem mereri de condigno. 6.

Probatur 6tò. Opera purorum hominum justorum, propriè ordinantur ad beatitudinem supernaturalem, tanquam ad proprium, & adæquatum præmium; adeoque non sunt digna majore præmiô; aliàs eô ipsô beatitudo, non esset præmium adæquatum, respectu talium operum; atqui unio hypostatica est longè altioris ordinis, quàm beatitudo; adeoque præmium transcendens incomparabiliter beatitudinem; cùm Incarnatio sit unio physica, realis, & substantialis in esse personali, naturam assumptam tota Deitate indivisibiliter perfundens; beatitudo verò, ùt visio, sit unio solummodò *intentionalis*; amor autem benevolentiæ, sit unio solummodò *affectiva*, & *moralis*, utraque accidentalis, seu, ùt loquitur *S. Thom.* 7.

hic

hic q. 2. a. 11. in ☉ per actum fruentis : ergo nullus purus homo potuit de condigno mereri unionem hypostaticam , & substantiam Incarnationis.

8. *Probatur 7mò.* Ut aliqua creatura mereatur per suum actum præmium de condigno , debet ille actus esse æqualis valoris, & dignitatis cum ipso præmio; atqui nullus actus à pura creatura elicitus, potest esse ejusdem dignitatis , & valoris cum substantia Incarnationis : ergo nulla pura creatura potest de condigno mereri substantiam Incarnationis. *Maj. patet*; nam condignitas meriti consistit formaliter in æqualitate ad præmium, non quidem omnimodâ, sed proportionis; unde dicitur meritum condignum, quasi *simul* & *æqualiter dignum. Prob. itaque Min.* Actus, qui à pura creatura eliciuntur, nec sunt in eodem, nec in altiori ordine cum substantia Incarnationis , nec procedunt ex perfectiore gratia, quàm sit substantia Incarnationis ; atqui hæc est in altiori ordine : ergo nullus actus à pura creatura elicitus, potest esse ejusdem valoris & dignitatis , cum substantia Incarnationis ; per consequens nullus purus homo potuit mereri de condigno substantiam Incarnationis.

9. *Probatur 8vò.* Omne meritum puræ creaturæ, adæquatè compensatur per augmentum gratiæ habitualis, & præmium vitæ æternæ ; ùt cum *S. Thom.* communiter docent Theologi : quia gratia habitualis, & opera per illam dignificata, non habent naturalem, & intrinsecam condignitatem , nisì cum gloria , cujus gratia est veluti semen : ergo nulli merito à pura creatura elicito, debetur ex justitia, substantia Incarnationis.

10. *Probatur 9nò.* Ordo unionis hypostaticæ magìs excedit ordinem gratiæ creatæ, quàm ordo gratiæ excedat ordinem naturæ; *ùt superiùs n. 2. dictum est*; atqui

atqui in ordine naturæ, nullum eſt opus de condigno meritorium gratiæ habitualis: ergo neque in ordine gratiæ creatæ, eſt aliquod opus de condigno meritorium unionis hypoſtaticæ. Unde, cùm opera, & actus boni, à pura creatura, ante Incarnationem eliciti, tantùm ad ordinem gratiæ pertinuiſſent; ideò non habuiſſent æqualem valorem, & dignitatem cum Incarnatione, quæ eſt ordinis altioris, ſcilicèt: *hypoſtatici*, qui, cùm infinitam Verbi divini perſonalitatem involvat, eſt perfectionis quodammodò infinitæ, ùt docet *S. Thom.* 1. *p. q.* 25. *a.* 6. *ad* 4. Per conſequens actus illi à pura creatura eliciti, non fuiſſent de condigno meritorij unionis hypoſtaticæ, & ſubſtantiæ Incarnationis.

Probatur ſecùnda pars Theſis 1*mò*. Ex eo: *Quòd antiqui Patres aliquas circumſtantias Incarnationis de congruo, meruerint, ídque meritô diſpoſitivô, & minùs ſtrictè dictô; non verò cauſativô & ſtrictè dictô; & Beata Virgo Maternitatem.* Unde *quoad antiquos Patres* ſic: Antiqui Patres impetrârunt Redemptorem quoad circumſtantiam accelerationis, progeniei, & loci: ergo. *Prob. Ant.* de acceleratione. *Danielis* 9. ſic alloquitur Gabriel Danielem: Ab *exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo, ego autem veni, ut indicarem tibi, quia Vir deſideriorum es.* Et paulò poſt: *ſeptuaginta hebdomates abbreviatæ ſunt*; ergo. De progenie. *Ex Geneſi* 22. Ubi Deus Abrahæ promittit: *Quia feciſti hanc rem, - - benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* Ubi expreſsè notatur Abrahamum meruiſſe Chriſtum ex ſemine ſuo naſciturum, propter obedientiam præſtitam, volendo immolare filium ſuum Iſaac. De hoc ſemine autem loquitur *S. Paulus ad Galatas* 3. Quod eſt *Chriſtus*. Quoad locum probatur *ex pſalm.* 84. Ubi poſtquam orâſſet David: *Oſtende nobis Domine miſe-*

misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis; subjunxit: *Terra nostra dabit fructum suum.* Illa nimirum terra, in qua preces fundebantur, & in qua suspirabat fructum illum, de quo *Isaiæ 45.* dicitur: *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Atqui ex his textibus eruitur, quòd antiqui Patres meruerint circumstantias *accelerationis*, *progeniei*, & *loci*: ergo id dicendum est. *Subsumitur*: Atqui illas non meruerunt meritô de condigno: ergo saltèm illas meruerunt meritô de congruo, idque meritô *dispositivô*, & minus stricte dictô, non verò causativô, & strictè dictô. *Prob. subsum.* Inter meritum condignum & præmium, debet esse æqualitas; atqui inter meritum antiquorum Patrum, & circumstantias Incarnationis, non potuit esse æqualitas: ergo. *Prob. Min.* Meritum antiquorum Patrum, fuit ex ordine gratiæ, circumstantiæ Incarnationis ex ordine unionis hypostaticæ; atqui inter illa, quæ sunt ex ordine gratiæ, & inter illa, quæ sunt ex ordine unionis hypostaticæ, non potest esse perfecta æqualitas, ùt consideranti patet: ergo. *Item*: meritum de condigno tantùm ordinatur ad id promerendum, cum quo habet ex natura sua connexionem, ùt observat *Amicus hìc Disp. 26. sect. 8. n. 148.* Atqui meritum de condigno, cum solo argumento gratiæ, gloriæ, & virtutibus infusis, habet connexionem ex natura sua: ergo ad hæc tantùm promerenda ordinatur: ergo antiquì Patres non meruerunt has circumstantias de condigno, sed solummodò de congruo, ídque meritô *dispositivô* & minùs strictè dictô; non verò *causativô*, & stricte dictô.

12. *Probatur 2dò.* Antiqui Patres instanter petebant, & ferventer desiderabant accelerationem Incarnationis, (*quia Christum venturum certò credebant, adeoque*

que adventum ejus non deſiderabant) ùt patet ex illo Iſaiæ 45. *Rorate Cœli deſuper*, *& nubes pluant Juſtum*; atqui iſtæ, & ſimiles preces, ac deſideria, merebantur ſaltèm de congruo accelerationem, & alias circumſtantias Incarnationis: ergo. *Prob. Min.* Tum, quia congruum eſt, ut Deus exaudiat preces juſtorum, petentium res ad ſalutem neceſſarias vel utiles. Tum, quia illa Sancta deſideria, erant diſpoſitiones ſupernaturales, ad congruè, & convenienter recipiendum Chriſtum; atqui diſpoſitio ſupernaturalis, in perſona juſta, ad aliquem effectum, meretur ſaltèm de congruo, ſeu in genere cauſæ moralis diſpoſitivæ, talem effectum: ergo. &c.

Probatur 3*tiò. Quoad Maternitatem Beatæ Virginis.* 13.
Ex eo: *quòd eandem ſibi meruerit ſaltèm de congruo meritô diſpoſitivô.* Unde ſic: *Lucæ* 1. in Cantico Beata Virgo dicit: *Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ*: ergo humilitate meruit Maternitatem, diſponendo ſe pro illa. *Confirmatur.* Authorit. Eccleſiæ, quæ in Regina Cœli, ità cantat: *Quem meruiſti portare*; atqui Beata Virgo non meruit illum portare de condigno: ergo ſaltèm de congruo. *Prob. Min.* 1*mò.* Nullô meritô, à pura creatura elicitô, poteſt mereri de condigno præmium altioris ordinis, quàm ſit gratia, & gloria; atqui Maternitas Beatæ Virginis, eſt altioris ordinis, quàm ſit gratia & gloria: ergo. *Prob. Min.* Hæc Maternitas facit Matrem Dei naturalem, gratia autem & gloria, facit filium Dei tantùm adoptivum; atqui præſtantiùs eſt eſſe Matrem Dei naturalem, quàm filium adoptivum, ùt communi æſtimatur judiciô: ergo. 2*dò.* Gratia & gloria non merentur Hyperduliam, Maternitas illam meretur: ergo Maternitas eſt majoris æſtimationis, quàm gratia & gloria. 3*tiò.* Maternitas Beatæ Vir-

ginis, utpote ad Christum Deum & hominem terminata, Incarnationem involvit; unde, quod de Incarnatione dictum est, idem de Maternitate Beatæ Virginis dici debet, ùt observat *Gonet hic Disp. 8. a. 4. §. 3.* atqui nulla pura creatura, adeoque nec Beata Virgo, potuit mereri Incarnationem de condigno: ergo neque suam maternitatem. *4tò.* Merita Beatæ Virginis procedebant ex gratia adoptionis, quæ ùt sic, solùm respicit, & inclinatur ad acquirendam beatitudinem, non autem ad promerenda ea, quæ sunt altioris ordinis; atqui Maternitas Beatæ Virginis est altioris ordinis: ergo illam non meruit de condigno; *5tò.* Maternitas Beatæ Virginis est bonum aliquomodo infinitum, merita autem Beatæ Virginis erant simpliciter finita; atqui per merita finita, non potest mereri bonum infinitum, & præsertim illud, quod est altioris ordinis: ergo.

Probatur 4tò. Authorit. *S. Bernardi, qui sermon. de*
14. *Aquæ ductu.* ità dicit: Sed *quomodo noster hìc Aquæ ductus, fontem illum attigit tam sublimen? Quomodo putas, nisì vehementiâ desiderij, nisì fervore devotionis, nisì puritate orationis? sicut scriptum est: oratio justi penetrat cœlos, & quis justus, si non Maria justa, de quo sol justitiæ ortus est nobis? Quomodo ergo inaccessam attigit majestatem, nisì pulsando, petendo, quærendo?* Ergo juxta S. Bernardum, Beata Virgo meruit Maternitatem; atqui illam non meruit de condigno, ùt patet ex dictis: ergo de congruo, disponendo se pro illa.

Confirmatur. Authorit. aliorum SS. Patrum, qui unô ore fatentur, Beatam Virginem propter vitæ sanctitatem, & eximiam puritatem, meruisse concipere Regem Cœlorum & Dominum. *S. Ambrosius* enim *lib. 2. de virginibus* ità inquit: *Maria digna exstitit, ex qua*

qua Dei Filius nasceretur. S. Augustinus lib. de nativit. & gratia. cap. 30. ità ait: *Beata Maria concipere Deum meruit, & parere.* Similiter *S. Hieronymus Epist. 22. ad Eustachium de custodia Virginitatis* ità scribit: *Propone tibi Mariam, quæ tantæ exstitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur:* ergo.

Probatur 5tò. Ratione cum Gonet *hic. Disp.* 8. *a.* 4. 15.
§. 3. Meritum de congruo, fundatur in legibus amicitiæ, secundùm quas congruum est, ut amicus amicum exaudiat, quando petit, quæ justa sunt; atqui Beata Virgo erat inter omnes magìs amica Dei, & aliàs valde probabile est, quòd instanter oraverit Deum, ut Filium suum mitteret in mundum, ad redimendum genus humanum à Dæmonis, & peccati servitute; & quidem ferventiùs, & instantiùs, quàm fecerint antiqui Patres: ergo congruum fuit, ut propter ejus orationes & desideria, non solùm Deus mitteret Filium suum in mundum, sed etiam, ut faceret Beatam Virginem esse ejus Matrem.

Probatur 6tò. Aliqui ex antiquis Patribus meruerunt de congruo, ut Christus ex ipsis originem duceret, ùt patet ex dictis de Abrahamo: ergo etiam Beata Virgo de congruo meruit, ut esset ejus Mater; siquidem omne meritum, quod conceditur alijs sanctis, concedendum etiam est Beatæ Virgini, & in gradu magìs perfectò; sicut, & in gradu perfectiori fuit amica Dei. 16.

Probatur 7timò. Beatæ Virginis actus, utpote ex- 17.
cellentissimi, habuerunt sufficientem proportionem geometricam, seu congruentiam dignitatis, ad hanc Matris dignitatem impetrandam ac obtinendam, suppositâ ordinatione Dei, de assumenda carne ex Virgine; & consensus Beatæ Virginis fuit in hunc finem directus, atque à Deo intentus; atqui hoc est esse

meritum de congruo: ergo. Præterea: Beata Virgo erat gratiâ plena, & elicuit plurimos actus meritorios, per quos se disposuit, ut esset digna Mater Christi; atqui isti actus non erant meritorij de condigno, ùt patet ex dictis: ergo erant meritorij saltèm de congruo.

§. I.

Solvuntur objectiones contra primam partem Thesis, quæ dicit: quòd nullus purus homo meruerit, nec mereri potuerit substantiam Incarnationis.

18. OBjicies primò. Ex eo: *quòd antiqui Patres videantur meruisse de condigno substantiam Incarnationis.* Unde sic: Quicunque meretur de condigno aliquod præmium, meretur similiter de condigno omne id, sinè quo tale præmium obtineri non potest; atqui antiqui Patres (*idem est de Beata Virgine,*) meriti sunt de condigno suam beatitudinem in ordine executionis: ergo etiam in ordine executionis meriti sunt Christum; cùm beatitudo non possit obtineri, nisì per Christum. *Resp. Neg. Maj.* Nam sinè existentia Dei, & ipsiusmet merentis, non potest obtinere præmium vitæ æternæ, & tamen is, qui de condigno meretur præmium vitæ æternæ, nullô modô meretur existentiam Dei, aut sui ipsius: ergo idem dicendum est hìc.

19. *Objicies 2dò.* Quicunque de condigno potest mereri majus, potest etiam minus; atqui beatitudo, quam Antiqui Patres de condigno meriti sunt, est majus bonum, quàm Incarnatio Christi: ergo. *Prob. Min.* Beatitudo est finis simpliciter ultimus: ergo. *Resp. Neg.*

Neg. Min. Ad Prob. Dist. Ant. Beatitudo objectiva, nempe, ipſe Deus, eſt finis ſimpliciter ultimus, *Conced.* Beatitudo formalis, nempe, viſio & amor beatificus, quô beati poſſident Deum, *Neg. Ant. & Conſeq.*

Objicies 3tiò. Suppoſitô pactò & promiſſione Dei, cuilibet merito debetur præmium; atqui Deus Antiquis Patribus promiſit Chriſtum: ergo illum ſunt meriti, & quidem de condigno. *Reſp. Diſt. Maj.* Suppoſitô pactô, & promiſſione Dei, debetur ex fidelitate cuilibet merito præmium, *Conced.* Debetur ex juſtitia, & condignitate meriti, *Neg. Maj.* Ad meritum enim de condigno, præter pactum & promiſſionem, requiritur inſuper æqualitas; atqui merita antiquorum Patrum, non fuerunt æqualia cum Incarnatione, ùt patet ex dictis: ergo. 20.

Objicies 4tò. Antiqui Patres potuerunt mereri de condigno apertionem regni cœlorum; atqui apertio regni cœlorum, eſt effectus Incarnationis: ergo etiam potuerunt mereri de condigno Incarnationem. *Reſp. Diſt. Maj.* Potuerunt mereri apertionem regni cœlorum, proût hæc dicit remotionem impedimenti, quod ſe tenet ex parte cujuslibet particularis hominis, *Conced.* Proût importat remotionem impedimenti, quod ſe tenet ex parte naturæ, per peccatum originale vitiatæ, *Neg. Maj.* Duo claudebant regnum cœlorum ante Incarnationem Verbi, ùt obſervat *Gonet hic Diſp. 7. a. 4. §. 2. 1mò.* Culpa totius naturæ humanæ. *2dò.* Indignitas cujuslibet particularis perſonæ. Et, licèt antiqui Patres per proprium meritum, hoc ſecundum impedimentum removere potuerint, non tamen primum; quia ad removendum illud impedimentum, requiritur gratia capitalis, quam antiqui Patres non habuerunt, ſed ſolus Chriſtus: 21.

 ergo.

ergo. Hinc *S. Thom. in 3. Dist. 18. q. 1. a. 6. quæstiuncul. 2. ad 2.* ità dicit : *Quòd antiqui Patres meruerunt introitum paradisi, quantùm ad id, quod personæ est, sicut & nos; tamen, quò removeretur impedimentum, quod erat ex parte naturæ, mereri non potuerunt; & ideò eis semper remanebat janua clausa.*

22. *Objicies 5tò.* Gratia habitualis, & merita per ipsam dignificata, sunt inferioris ordinis, quàm gloria, & tamen suppositô pactô illam antiqui Patres de condigno meruerunt : ergo idem dicendum est de unione hypostatica. *Resp. Dist. Ant.* Gratia habitualis est ordinis inferioris, quàm gloria, si gratia & gloria præcisè considerentur, prout constituunt duos diversos ordines, & gradus divinæ communicationis, *Conced.* Si considerentur secundùm proportionem intrinsecam, quam ad invicem habent ex natura rei, *Neg. Ant. & conseq.* Sic *materia prima* considerata præcisè ùt est *ens materiale*, est inferioris ordinis, quàm *anima rationalis*, quæ est *ens spirituale*; considerata tamen ùt potentia ad actum suum substantialem, & anima considerata, ùt actus corporis organici, pertinent ad eundem ordinem entis naturalis; hinc etiam, licèt gratia sit inferior & imperfectior modus divinæ communicationis ad extra, quàm sit gloria, quia tamen gratiæ ex natura rei debetur gloria, tanquam *fructus radici*, & tanquam *finis medio proportionato*; idcirco, inquantùm sibi ex natura rei proportionantur, & se mutuò exigunt, in tantùm pertinent ad eundem ordinem. Proinde merita nostra, quæ à gratia habituali procedunt, non acquirunt à pacto & promissione Dei *condignitatem*, & naturalem proportionem cum gloria, sed tantùm acquirunt novum *titulum justitiæ*, ut nimirum gloria, quæ antea meritis secundùm se consideratis debebatur titulô connaturalitatis

tis, accedente pactô, debeatur etiam ipsis titulô justitiæ, saltèm minùs rigorosè sumptæ.

Objicies 6tò. Potuit Deus per suam assistentiam ex- 23.
trinsecam supplere illam improportionem, & inæqualitatem actuum, à pura creatura elicitorum: ergo de absoluta potentia Dei, potuit purus homo mereri de condigno substantiam Incarnationis. *Resp.* cum Gonet *hîc Disp.* 7. *a.* 4. *§.* 1. *n.* 91. *Neg. Ant.* Nam assistentia illa extrinseca Dei non elevâsset illos actus supra ordinem gratiæ: ergo non tribuisset illis valorem meritorium de condigno Incarnationis, & intrinsecam proportionem cum illa; per consequens nec ipsam, stante tali assistentiâ extrinsecâ, reciperent. *Prob. Ant.* Illa assistentiâ extrinsecâ Dei, non fecisset, quòd hujusmodi actus fuissent eliciti à principio intrinseco digniore, quàm sit gratia: ergo non elevâsset illos supra ordinem gratiæ; nec per consequens reddidisset illos proportionatos ordine hypostaticô, cùm ad hoc, ut aliquis actus censeatur esse ex ordine hypostatico, requiratur, ut sit elicitus à persona infinitè digna, tanquam principio, & forma valorante, & dignificante in genere moris actus, illósque ad altiorem statum elevante: ergo &c.

Replicabis. Potest Deus per suam assistentiam ex- 24.
trinsecam supplere improportionem intellectûs, respectu visionis beatificæ: ergo etiam potest supplere, improportionem actuum, à pura creatura elicitorum, ità, ut purus homo possit mereri substantiam Incarnationis. *Resp. 1mò.* Quòd Thomistæ *negent Ant.* Asserentes nec divinitùs posse videri ab intellectu Deum, sinè intrinseco lumine gloriæ. *Resp. 2dò. Dist. Ant.* Potest Deus supplere improportionem intellectûs per respectum ad id, ad quod concurrere debuit lumen gloriæ in genere causæ efficientis, *Con-*

ced. Per respectum ad id, ad quod concurrere debuit in genere causæ formalis, *Neg. Ant.* Lumen gloriæ duplicem exercet causalitatem respectu intellectûs. *1mò.* In genere causæ efficientis, juvando intellectum ad visionem beatificam; & hanc causalitatem potest Deus supplere. *2dò.* In genere causæ formalis, inquantùm lumen gloriæ recipitur in intellectu tanquam aliqua forma accidentalis, & cum intellectu constituit aliquod compositum accidentale. Et hoc Deus non potest supplere. *Resp. 3tiò. Neg. Conseq. Disp. est:* Quia intellectus cum lumine gloriæ concurrit ad eliciendam visionem in genere causæ efficientis: ergo mirum non est, quòd improportionem intellectûs, & defectum luminis gloriæ possit Deus supplere; at verò persona infinitè digna, concurrit in genere causæ formalis, vel quasi formalis ad dignificationem actuum: ergo mirum non est, quòd improportionem actuum, & defectum personæ infinitè dignæ, non possit Deus per solam assistentiam extrinsecam supplere.

25. *Objicies 7mò.* Ex eo: *quòd videatur purus homo potuisse mereri saltèm de congruo Unionem hypostaticam, & substantiam Incarnationis.* Unde sic: *Isaiæ* 64. *v.* 1. dicitur: *Utinam disrumperes cælos, & descenderes.* Et *Psalm.* 105. *Visita nos in salutari tuo &c.* Atqui hæ preces impetrârunt saltèm de congruo Redemptorem; non videntur enim fuisse vacuæ: ergo. *Resp. Dist. Min.* Impetrârunt Redemptorem quoad aliquas circumstantias v. g. accelerationis, &c. *Conced.* Quoad substantiam, *Neg. Min. & Conseq.*

26. *Objicies 8vò.* S. Thom. *hic q.* 2. *a.* 11. *in* ⊙ sic habet: *Ex congruo meruerunt SS. Patres Incarnationem desiderando, & petendo, congruum enim erat, ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant;* ergo. *Resp. Explicando*

do textum S. Thom. Et ille intelligendus eſt de aliquibus circumſtantijs Incarnationis, *Conced.* Intelligendus eſt de ſubſtantia Incarnationis, *Neg. textum.* Quod autem ibidem *S. Thom.* non de ſubſtantia, ſed de circumſtantijs Incarnationis loquatur, patet ex eodem *art. cit.* in quo *ad* 3. negat, quòd Beata Virgo meruerit Incarnationem, & tamen concedit, quòd congruè meruerit Maternitatem: ergo hoc meritum, quod concedit reſpectu Maternitatis, negat reſpectu Incarnationis; atqui, ſi Deipara non meruit de congruo ſubſtantiam Incarnationis, multò minùs illam meruerunt alij: ergo.

Objicies 9nò. Antiqui Patres, & Beata Virgo erant 27.
ante Incarnationem: ergo poterant illam ſaltèm de congruo mereri. *Reſp. Diſt. Ant.* Erant ante Incarnationem citiùs tempore, & ùt in tempore poſitam, *Conced.* Erant citiùs naturâ, & ùt ab æterno decretam, *Neg. Ant.* Deus enim decretô ſuô citiùs poſuit Chriſtum, quàm antiquos Patres, qui ratione Chriſti omnes gratias acceperunt, & ſic Chriſtus fuit naturâ prior, quàm antiqui Patres; per conſequens non poterant mereri Incarnationis ſubſtantiam de congruo.

Objicies 10mò. Ad meritum de congruo non requi- 28.
ritur ſtatus gratiæ, ſed ſufficit opus naturale honeſtum: ergo antiqui Patres poterant mereri Chriſtum, ſinè ejus gratia. *Reſp. Neg. Ant.* Licèt enim non requiratur ſtatus gratiæ, requiritur tamen aliqua gratia, ſaltèm actualis, tanquam principium omnis omnino meriti; ſi etenim propter opus purum naturale honeſtum, daretur præmium ſupernaturale, eô ipsô ordo naturæ attingeret ordinem gratiæ; atqui hoc eſt Pelagianum, & pridem damnatum: ergo antiqui Patres ſinè gratia Chriſti, non poterant quidquam mereri.

Re-

29. *Replicabis. Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, juxta commune Theologorum axioma: ergo, si aliquis Ethnicus honestè vivat, Deus ipsi dabit gratias, & per consequens opus naturale honestum, potest esse de congruo meritorium gratiæ supernaturalis. *Resp. Explicando Axioma*: Facienti, id est, cooperanti primæ gratiæ, Deus non denegat ulteriores gratias, *Conced.* Facienti aliquod opus purè naturale, Deus propter tale opus, non denegat gratias supernaturales, *Neg. Axioma.*

30. *Objicies 11mò.* Antiqui Patres desiderabant, & petebant executivè Incarnationem; atqui hæc desideria, & preces merebantur de congruo Incarnationem: ergo. *Prob. Min.* Illa desideria erant actus supernaturales: ergo meritorij saltèm de congruo. *Resp. Neg. Min. Ad Prob. Neg. Conseq. Ratio est*: Quia ad meritum de congruo non sufficit, si actus sit supernaturalis, sed necessarium est, ut sit etiam prior naturâ ad præmium; atqui actus supernaturales antiquorum Patrum non fuerunt naturâ priores, sed posteriores Incarnatione: ergo.

31. *Objicies 12mò.* Antiquis Patribus fuit collata gratia ex meritis Christi. *ùt prævisis*, non autem *ùt realiter existentibus*, ante collatam gratiam: ergo illa gratia supponebat tantùm Incarnationem *ùt decretam*, non autem *ùt re ipsa factam*: ergo antiqui Patres potuerunt se ad illam disponere, dispositione causativâ, & sic illam mereri de congruo. *Resp. Dist. Ant.* Antiquis Patribus collata fuit gratia ex meritis Christi prævisis, non tamen existentibus prioritate, & duratione temporali, *Conced.* Non tamen ùt existentibus prioritate naturæ, *Neg. Ant. Similiter Dist. Conseq.* Ergo illa gratia non præsupponebat Incarnationis executionem, ùt re ipsâ factam, & tempore priorem,

rem, *Conced.* Non præſupponebat naturâ priorem, *Neg. Conſeq.* Poteſt autem bene aliquid eſſe naturâ priùs, quamvìs ſit tempore poſterius, ùt obſervat *Haunoldus lib. 4. tract. 1. cap. 7. Controverſ. 2.* Præſertim, ſi illud naturâ prius, ſit cauſa præcisè moralis, quæ non requirit exiſtentiam ſui phyſicam.

Objicies 13tiò. Non minùs eſt efficax gratia collata 32.
per Chriſtum ad merendam Incarnationem, quàm collata à ſolo Deo, absque ullo intuitu meritorum Chriſti; atqui gratiâ â ſolo Deo liberaliter collatâ, poſſet quis congruè mereri Incarnationem: ergo, & gratiâ per Chriſtum collatâ. *Reſp. Diſt. Maj.* Si ſpectetur gratia ſecundùm ſe, non minùs eſt efficax ad merendam Incarnationem collata per Chriſtum, quàm collata à ſolo Deo, *Tranſ.* Si ſpectetur proùt eſt præmium meritorum Chriſti, *Neg. Maj.* Quamvìs enim gratia ex meritis Chriſti data, ſit ejusdem virtutis, ac data à ſolo Deo, tamen dum datur ex meritis Chriſti, hoc habet peculiare, quòd ordine naturæ, ſupponat ipſam Incarnationem, tanquam principium gratiæ; atqui *principium gratiæ non poteſt cadere ſub meritum ejusdem gratiæ, cujus eſt principium:* ergo.

Objicies 14tò. Gratia ex hoc, quòd detur ex meri- 33.
tis Chriſti non amittit vim ſuam merendi: ergo licèt antiquis Patribus collata fuerit gratia ex meritis Chriſti, tamen poterant per illam mereri Incarnationem. *Reſp. Diſt. Ant.* Non amittit vim ſuam merendi remotam, *Conced.* Proximam, & expeditam, *Neg. Ant. & Conſeq.* Eô ipsô enim, quòd gratia ſit per Chriſtum, tanquam per cauſam, non poteſt eſſe prior Chriſtô in ratione cauſæ: ergo non habet vim proximam merendi Chriſtum, & ſubſtantiam Incarnationis.

§. II.

§. II.

Solvuntur Objectiones contra secundam partem Thesis, quæ dicit: quòd Antiqui Patres aliquas circumstantias de congruo meriti sint, & Beata Virgo Maternitatem.

34. OBjicies *imò.* Ex eo: *quòd Antiqui Patres nullas circumstantias Incarnationis potuerint mereri.* Unde sic: Si potuissent aliquas circumstantias Incarnationis antiqui Patres mereri, tunc potuissent mereri circumstantias *progenitorum, loci,* & *temporis;* atqui has non potuerunt mereri: ergo. *Prob. Min.* Hæ circumstantiæ sunt per se requisitæ ad existentiam Christi: ergo sunt per se pro priori ad meritum: ergo Antiqui Patres non poterant illas mereri. *Prob. Ant.* Hæ circumstantiæ individuant Christum, juxta illud vulgatum: *Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus. Unum perpetuâ reddere lege solent:* ergo. *Resp. Neg. Min. Ad Prob. Dist. Ant.* Hæ determinatæ circumstantiæ sunt per se requisitæ ad existentiam Christi, *Neg.* Aliquæ indeterminatè sumptæ, sunt per se, id est, connaturaliter requisitæ, *Transf. Ant.* Quia ad rationem meriti formaliter sumpti, utpote actus liberi, omnes illæ circumstantiæ se habent per accidens, esétque idem omninò meritum, si poneretur Christus à solo Deo extra locum, tempus &c. *Ad ulteriorem Prob. Dist. Ant.* Illæ circumstantiæ individuant Christum quoad nos, *Conced.* Quoad se, *Neg. Ant. & Conseq.* Et sic accipiendus est antiqvus ille versus.

35. *Replicabis imò.* Approximatio agentis ad passum v. g. ignis requiritur per se saltèm ùt conditio pro

priori ad effectum : ergo etiam illæ circumstantiæ. *Resp. Dist. Ant.* Aliqua approximatio requiritur pro priori ad effectum, *Conced.* Hæc in individuo, *Neg. Ant. Dist. etiam Conseq.* Ergo etiam illæ circumstantiæ per se requiruntur, acceptæ secundùm speciem, & indeterminatè, *Transf.* Acceptæ quoad individuum, & determinatè, *Neg. Conseq.*

Replicabis 2dò. Quidquid complet inesse, est prius 36.
quàm agere ; atqui illæ circumstantiæ complent Christum inesse : ergo sunt priores. *Resp. Dist. Maj.* Quidquid substantialiter, aut per se complet inesse, est prius quàm agere, *Conced.* Quidquid complet per accidens, seu in tali esse, quod ad hoc agere se habet impertinenter, *Neg. Mai. Similiter Dist. Min. & Neg. Conseq.* Hæ autem circumstantiæ impertinenter se habebant ad Christi esse, adeoque poterant illas Antiqui Patres, saltèm de congruo mereri, cùm respectu substantiæ Incarnationis sint extrinsecæ, ùt observat *Gonet hic Disp. 7. a. 4. §. 1.*

Objicies 2dò. Christus nullô modô potuit mereri 37.
circumstantias suæ Incarnationis : ergo neque Antiqui Patres. *Resp. Dist. Ant.* Non potuit mereri omnes circumstantias suæ Incarnationis, *Conced.* Aliquas, *Neg. Ant.* Quænam autem illæ circumstantiæ sint, quas Christus mereri potuit, dictum est *Thesi præcedente* §. 2. *n.* 82. Aut aliter *Dist. Idem Ant.* Non potuit mereri circumstantias sibi ex natura rei, & connaturaliter debitas, *Conced.* Circumstantias sibi non debitas connaturaliter, & ex natura rei, *Neg. Ant.* Aliqui enim Theologi docent: quòd Christus probabiliter sibi defactò meruerit circumstantias aliquas, & quidem illas, quæ ipsi connaturaliter non debebantur, v. g. Ut nasceretur in *tali loco, tali tempore,* &c. Nam, licèt Christo connaturaliter debeatur

aliquis locus, *aliquod tempus* &c. Non debetur tamen illi ex natura rei, & per se *hic locus*, *hoc tempus* &c. ergo.

38. *Replicabis*. Christus non potuit mereri circumstantias sibi connaturaliter debitas : ergo neque alias, licèt ipsi fuerint connaturaliter indebitæ. *Resp.* *Neg. Conseq. Disp. est :* Quia circumstantiæ connaturaliter indebitæ, non constituunt per se causam physicè effectivam actûs meritorij, nec quidquam conferunt, sive ad valorem objectivum, sive ad personalem; ùt per se patet, sed habent se purè per accidens; at verò circumstantiæ connaturaliter debitæ, constituunt causam physicè effectivam actûs meritorij: ergo.

39. *Objicies 3tiò.* Deus ab æterno prædefinivit certum tempus, (*idem est de stirpe & loco*,) in quo executurus erat Incarnationem; adeoque hoc tempus nec accelerari potuit, nec prolongari, cùm omne decretum Dei efficax sit immutabile : ergo circumstantia *temporis* &c. non potuit cadere sub meritum congruum Antiquorum Patrum. *Resp. Dist. Ant.* Deus pro executione Incarnationis prædefinivit ab æterno certum tempus, dependenter tamen à prævisione *orationum*, & *desideriorum*, quibus Antiqui Patres erant petituri accelerationem Incarnationis, *Conced.* Prædefinivit hoc tempus independenter à prævisione talium meritorum, & desideriorum, *Neg. Ant.* Proinde, dum dicitur : Quòd Antiqui Patres meruerint accelerationem Incarnationis, non est sensus: quòd Deus priùs habuerit aliquod decretum differendi diutiùs Incarnationem, & postmodum propter desideria Patrum mutaverit hoc decretum, & determinaverit aliud tempus anterius, sed sensus est: (*ùt observat Leonardus Penafiel Disp. 7. sect. 5.*) quòd Deus

ab

ab æterno propter præviſa Patrum merita decreverit, ut Chriſtus in hoc determinato tempore incarnaretur, decreturus ab æterno aliud tempus poſterius, nisì futura Patrum deſideria prævidiſſet. *Diſt. etiam Conſeq.* Ergo circumſtantia temporis non potuit cadere ſub meritum congruum cauſativum, & ſtrictè dictum, *Conced.* ſub meritum congruum diſpoſitivum & minùs ſtrictè dictum, *Neg. Conſeq.* Illa itaque deſideria Patrum & orationes, erant diſpoſitiones pro futura Incarnatione.

Objicies 4tò. Antiqui Patres omnem gratiam ad 40.
merendum habuerunt ex meritis Chriſti: ergo Chriſtus præviſus fuit ùt merens, independenter à meritis Patrum, adeoque merita Chriſti fuerunt priora in præviſione Dei, quàm merita Patrum: ergo non potuerunt mereri ullam circumſtantiam Incarnationis. *Reſp. Diſt. ultimum Conſeq.* Non potuerunt mereri ullam circumſtantiam Incarnationis meritô cauſativô, & ſtrictè dictô, *Conced.* Meritô diſpoſitivô, & minùs ſtrictè dictô, *Neg. Conſeq.* Merita itaque Antiquorum Patrum, non erant cauſativa & inductiva præmij, adeoque non erant ſtricta merita de congruo, ſed diſpoſitiones pro futura Incarnatione.

Objicies 5tò. Ex eo: *quòd Beata Virgo videatur ſi-* 41.
bi meruiſſe Maternitatem de condigno. Jam ſic: Augmentum gratiæ eſt quid majus, quàm Maternitas Dei; atqui Beata Virgo meruit ſibi de condigno augmentum gratiæ, & charitatis: ergo à fortiori Maternitatem Dei. *Prob. Maj.* Ex illo *Lucæ* 11. ubi, cùm mulier quædam extollens vocem dixiſſet ad Chriſtum: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.* ſubjunxit Chriſtus: *Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Quibus verbis, ùt annotat Gloſſa ibidem, præpoſuit Chriſtus ſancti-

ſanctitatem vitæ, dignitati Matris Dei: ergo. *Reſp. Neg. Maj.* Nam eſſe Matrem Dei, eſt aliquomodo cooperari proximè ad unionem hypoſtaticam, miniſtrando ſcilicet, materiam proli concipiendæ, quæ eſt Deus, ac proinde importat dignitatem quandam infinitam, ùt docet *D. Thom.* 1. *p.q.* 25. *a.* 6. *ad* 4. Quod attinet ſanctitatem Beatæ Virginis, poteſt dici: quòd ipſi magìs proficua fuerit ſanctitas perſonalis (*loquendo formaliter,*) quàm dignitas Matris; quia per ſanctitatem fuit intrinſecè perfecta per plura dona ſupernaturalia, quod non habuit per maternitatem, nisì cauſaliter, imò nec phyſicè, (*ùt obſervat Gonet. hìc Diſp.* 7. *a.* 4. §. 3.) ſed ſolùm moraliter, quatenùs, ſcilicèt congruum erat, ut Mater Dei haberet præ cæteris ſanctis plùs gratiæ, & puritatis. Et hoc eſt, quod voluit Chriſtus *Lucæ* 11.

42. *Objicies 6tò.* Maternitas non fuit infinitæ dignitatis: ergo potuit cadere ſub meritum condignum: ergo illam ſibi meruit de condigno Beata Virgo. *Reſp. Diſt. Ant.* Non fuit infinitæ dignitatis, neque etiam in altiori ordine, *Neg.* Et fuit in altiori ordine, *Conced. Ant.* Maternitas enim importat quandam affinitatem cum Deo, teſte *S. Thom.* 2. 2. *q.* 103. *a.* 4. *ad* 2. ratione cujus conſtituitur in altiori ordine; unde, licèt non ſit dignitatis infinitæ, quia tamen eſt altioris ordinis, ideò non poteſt cadere ſub meritum condignum. Sicut, licèt peccatum non ſit malitiæ ſimpliciter infinitæ, quia tamen eſt in altiori ordine, ideò nulla pura creatura poteſt pro illo condignè ſatisfacere.

43. *Objicies 7timò.* Fides videtur fundare majores prærogativas, quàm Maternitas: ergo Maternitas non fuit tantæ dignitatis, ut non potuiſſet illam B. V. mereri de condigno. *Reſp. Neg. Ant.* Maternitas enim fun-

fundat immunitatem à peccato originali, & ab omni culpa perſonali, tam mortali, quàm veniali; imò fundat tantam gratiam, quantam nec Adamus, nec omnes ſimul ſumpti homines, & Angeli habuerunt; ex his tamen nihil præſtat Fides: ergo.

Replicabis. S. Auguſt. *lib. de Virginitate. cap.* 3. ità ait: *Beatior fuit Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo Verbum:* ergo tamen fides videtur fundare majores prærogativas. *Reſp. Explicando S. Auguſt.* cum diſtinctione: Beatior fuit, id eſt: utiliùs erat Mariæ percipere fidem, quàm concipere Verbum, *Tranſ.* Digniùs erat, & ex natura ſua excellentiùs, *Neg. Ant. & Conſeq.* Hæc autem utilitas non eſt tanta prærogativa; ſiquidem etiam naturæ humanæ eſt utilior viſio beatifica, quàm unio hypoſtatica, non tamen dignior; unde poteſt eſſe ſæpiùs res utilior, non tamen dignior; nos autem hic loquimur de dignitate, non verò de utilitate. 44.

Objicies 8vò. Qui meretur ultimam diſpoſitionem de condigno, meretur ipſam formam de condigno; atqui Beata Virgo meruit de condigno ultimam diſpoſitionem ad Maternitatem, juxta illam orationem poſt ſalve Regina: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ Virginis Matris Mariæ corpus & animam, ut dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sanctô cooperante præparâſti:* ergo. *Reſp. Diſt. Maj.* Qui meretur de condigno ultimam diſpoſitionem, cui ex natura rei debetur forma, meretur ſimiliter & ipſam formam, *Conced.* Qui meretur de condigno diſpoſitionem ultimam, cui tantùm ex quodam congruitate, & decentia debetur forma, meretur de condigno ipſam formam, *Neg. Maj.* Maternitas autem illi diſpoſitioni non debebatur ex natura rei, ſeu ex condignitate, & juſtitia, ſed tantùm ex congruita- 45.

te & decentia; unde etiam Beata Virgo meritô congruô, non quidem causativô & inductivô, merita est maternitatem, sed tantùm meritô dispositivô, teste *Esparza*. Hinc aliqui Theologi dicunt, quòd Beata Virgo fuerit condignè disposita, pro maternitate, non tamen illam condignè meruerit. *Ità Haunoldus hic cap. 7. controvers. 2. §. 1. n. 344. Reding. q. 5. a. 1. controvers. 3. n. 12. Et* alij.

46. *Objicies 9nò.* Christus est meritus Maternitatem Beatæ Virgini: ergo illa non poterat mereri eandem de congruo. *Resp. 1mò.* Quòd aliqui Theologi sic *Distinguant Ant.* Est meritus Maternitatem meritô compensativô, *Concedunt.* Meritô inductivô, *Negant Ant.* Alij *Negant Ant.* Ex eo: quòd Christus fuerit posterior stante hoc rerum ordine, Beata Virgine ùt Matre. Alij sic *Distingvunt Ant.* Christus qui Filius, materialiter, & secundùm se sumptus meruit B. V. Maternitatem, *Concedunt.* Quà Filius *Negant. Ant.* Quia merita Christi quà Filij (*ùt ipsi volunt,*) erant posteriora Maternitate in præscientia divina considerata. Alij dicunt Matrem Christi fuisse quidem priorem tempore & in executione, non tamen naturâ & in intentione; adeoque docent, quòd Christus potuerit B. V. mereri Maternitatem, & debuerit, tanquam principium omnis omninò meriti, & prior in intentione. *Resp. 2dò.* conformiter ad nostra principia *Dist. Conseq.* Ergo illa non poterat eandem mereri meritô de congruo causativô, inductivô, & strictè dictô, *Conced.* Meritô dispositivô, & minùs strictè dictô, *Neg. Conseq.* Licèt enim Antiqui Patres aliquas circumstantias Incarnationis, & Beata Virgo Maternitatem meruerit de congruo, hoc tamen meritum non erat causativum & strictè dictum, sed tantùm dispositivum; quia omnia merita eorundem

dem dependebant à meritis Christi, ùt absolutè prævisis.

Replicabis. Divisio meriti in causativum & dispo- 47.
sitivum, est nova, & in scholis inaudita: ergo si B. V. non meruit sibi Maternitatem de congruo, meritô causativô, & strictè dictô, neque meruit sibi eandem meritô dispositivô, & minùs strictè dictô. *Resp. Neg. Ant.* Quòd etenim B. V. meruerit sibi Maternitatem meritô dispositivô, docet *P. Haunoldus lib. 4. Tract. 1. cap. 7. Controvers. 2.* Unde Divisio meriti in causativum & dispositivum non est nova, & in scholis inaudita. Audiatur præfatus Author *loc. cit. n. 344.* ità concludens: Dico secundò. Beatissima Virgo fuit condignè disposita, seu dispositivè digna, dignéque præparata, quæ assumeretur in Matrem Dei. Conclusionem firmant locutiones Patrum, & Ecclesiæ, & est res indubitata inter Catholicos; fuit enim tam quoad corpus, quàm quoad animam mundissima, non solùm ab omni culpa actuali & personali, sed etiam originali; ornata insuper gratiâ sanctificante supra omnes alias puras creaturas. Ità ille. Si ergo juxta hunc Authorum potuit se B. V. condignè disponere pro Matre Dei, potuit etiam se de congruo disponere, & vi hujus dispositionis Maternitatem sibi mereri, meritô dispositivô, & minùs strictè dictô: ergo &c.



THESIS IV.

Unio Hypostatica (1mò.) est aliquid modaliter distinctum ab extremis. Ut colligitur ex D. Thom. *hic q. 2. a. 6. & 7.* Accedit Scotus *in 3. Dist. 1. q. 1. §. ad primum dico.* cum Scotistis. Suarez *3. p. Disp. 8. sect. 3.* Vasquez *Disp. 18. cap. 3.* Sylvester Maurus *hic q. 3. a. 7.* Salmanticenses *hic Tract. 21. Disp. 4. dub. 1. §. 1. cum plurimis.* Gormaz *hic Disp. 13. sect. 1.* Et alij plures, quos refert, & sequitur Amicus *hic Disp. 8. sect. 2. n. 66. Quæ unio (2dò.) non est facta in natura, sed in persona.* Est Dogma fidei, definitum in Concilio *Ephesino 1.* Chalcedonensi *actione 1. & 5.* In *Lateranensi sub Martino I. consultatione 5. can. 4. usque ad 9.* In alio *Lateranensi sub Innocentio 3.* ùt habetur *cap. Firmiter, de summa Trinitate & fide catholica*; adeoque est omnium Catholicorum Theologorum.

1. PRobatur 1ma pars Thesis. 1mò. *Authorit. S. Thomæ.* Ex eo: *quòd unio hypostatica sit aliqui modaliter distinctum ab extremis.* Unde sic: *S. Thom.* 3. *p. q.* 2. in titulo unionem vocat *modum*; ibidem *articulo 6.* probat esse *substantialem*; *a. 7. creatum*, & ipsissimam unionem hypostaticam asserit esse *relationem*, dum in ☉ ità ait: *Unio de qua loquimur, est relatio quædam, quæ consideratur inter divinam naturam, & humanam, secundùm quod conveniunt in una persona Filij Dei. Sicut autem (in prima parte q. 13. a. 7.) dictum est: omnis relatio, quæ consideratur inter Deum & creaturam, realiter quidem est in creatura, per cujus mutationem talis relatio innascitur, non autem est realiter*

in

in Deo, quia non innascitur secundùm mutationem Dei; sic ergo dicendum est: quòd hæc unio de qua loquimur, non est in Deo realiter, sed secundùm rationem tantùm, in humana autem natura, quæ creatura quædam est, realiter est; & ideò oportet dicere, quòd sit quid creatum. Ergo, cùm juxta S. Thomam unio hypostatica sit modus, substantialis, creatus, & relatio quædam; signum est, quòd modaliter distinguatur ab extremis. Unde propter hanc authoritatem *S. Thom:* ex Thomistis istam sententiam amplexus est, *Herreta* Tarozonensis Episcopus. *Aravio* Episcopus Segobiensis. Et *Godoy* Episcopus Oxomensis,

Probatur 2dò. Et declaratur hæc doctrina *D. Thom.* 2.
quòd videlicet unio hypostatica sit: 1mò. Aliquid creatum. Jam sic: Nihil increatum incipit esse in tempore; nam omne increatum identificatur Deo, essentialiter æterno; atqui unio hypostatica non fuit ab æterno, sed incepit in medio annorum, in plenitudine temporis: ergo unio hypostatica non est aliquid increatum, sed creatum. 2*dò.* Quòd unio hypostatica sit aliquid *substantiale. Ratio est:* Tum, quia modus desumit suam speciem à modificato; atqui unio hypostatica est modus, ùt immediatè videbimus, modificatum autem est substantia, videlicet natura humana: ergo. Tum, quia hoc definitum est in Concilio Lateranensi sub *Martino I. consult. 5. Canone* 6. his verbis: *si quis secundùm SS. Patres non confitetur propriè substantialem unionem, condemnatus sit.* Tum, quia substantiale est, quod pertinet ad intrinsecam rationem substantiæ, atqui unio hypostatica pertinet ad intrinsecam rationem substantiæ, nempe Christi: ergo. 3*tiò.* Quòd sit *modus. Ratio est:* quia modus est ultimata actualitas, tollens intrinsecam indifferentiam extremorum; atqui unio hypostatica

est hujusmodi actualitas, ùt mox patebit: ergo unio hypostatica est quid creatum, substantiale, & modale; adeoque modaliter distinctum ab extremis.

3. *Probatur 3tiò.* Pro illo priori signo naturæ, in quo humanitas Christi fuit producta, priùs naturâ, quàm fuerit assumpta à Verbo, fuit intrinsecè indifferens ad hoc, ut pro posteriori assumeretur, vel à Patre, vel à Spiritu S. ergo hæc intrinseca indifferentia debuit *formaliter* tolli per aliquid, per quod humanitas *formaliter* pro posteriori determinaretur ad hoc, ut *substantialiter* potiùs uniretur Filio, quàm Patri, vel Spiritui S. Atqui hæc intrinseca indifferentia non potest tolli, nisi per modum intrinsecum, cujus essentia sit, hanc numerô humanitatem conjungere *substantialiter* Verbo, non autem Patri, aut Spiritui S. qui modus intrinsecus non est alius, quàm unio hypostatica: ergo. *Prob. subsum.* sublativum hujus indifferentiæ. *1mò.* Non potest esse carentia propriæ subsistentiæ creatæ; quia stante hac carentiâ, humanitas est æquè indifferens, ut assumatur à Patre vel Spiritu S. *2dò.* Non *intima præsentia*, *coëxistentia*, aut *coubicatio*; quia omnes tres Personæ Divinæ sunt æquè intimè præsentes, & coëxistentes humanitati. *3tiò.* Nec potest esse decretum Dei volentis, ut hæc humanitas potiùs uniretur Verbo, quàm reliquis Personis Divinis, quia illud decretum est humanitati extrinsecum; indifferentia autem est intrinseca: ergo. *Præterea:* huic decreto debet assignari aliquod objectum, atqui non aliud, quàm unio hypostatica: ergo. *4tò.* Non dispositio ultima; quia hæc concurrit in genere causæ efficientis; non est autem ratio formalis: ergo sublativum hujus indifferentiæ, debet esse unio hypostatica; per consequens est modus ab extremis modaliter distinctus.

4. *Probatur 4tò.* Humanitas ex non unita intrinsecè, fa-

cta est intrinsecè unita Verbo; adeoque de uno contradictorio *intrinseco* & *physico*, transivit in alterum contradictorium interinsecum, & physicum; atqui implicat de contradictorio *intrinseco*, & *physico*, transire in alterum contradictorium intrinsecum & physicum, absque physica mutatione transeuntis: ergo humanitas non potuit ex non unita *intrinsecè*, fieri unita *intrinsecè*, absque *intrinseca* & *physica* mutatione sui; atqui id, quod per mutationem intrinsecam recipit humanitas, manifestè est unio: ergo unio hypostatica est distincta ab extremis; atqui non est entitas absoluta, quia sic esset indifferens ad extrema, & ad tollendam hanc ultimatè indifferentiam, necessaria foret alia actualitas, de qua rediret quæstio, & processus in infinitum: ergo est *entitas modalis*, & per consequens modaliter distincta ab extremis. 5.

Probatur 5tò. Cum Gormaz. Qui *Disp*. 13. *hâc sect*. 1. hôc, aut saltèm simili modô discurrit. Verbum caro factum est; atqui non ratione solius humanitatis factæ: quia humanitas fuit facta pro priori naturæ ante assumptionem; neque aliud est assignabile, quàm unio substantialis facta per actionem incarnativam: ergo Verbum est caro factum ratione unionis substantialis factæ & humanitati superadditæ, adeoque cùm unio sit facta, est quid *creatum*; cùm autem sit superaddita humanitati, est quid ab illa *distinctum*; atqui non aliter quàm *modaliter*, cùm non sit quid absolutum: ergo. 6.

Probatur 6tò. Distinctis actionibus debent assignari distincti termini; atqui actio productiva, & actio unitiva sunt distinctæ actiones: ergo debent ipsis assignari distincti termini. Atqui terminus actionis productivæ est humanitas: ergo terminus actionis unitivæ erit unio humanitatis ad Verbum: ergo.

Probatur 7timò. Denominatio realis, est enuntiatio 7.

tio mentalis de rebus proùt ſunt in ſe ipſis : ergo implicat, ut nova realis denominatio duobus extremis *formaliter* conveniat, nisì ſaltèm alterutri extremorum adveniat aliquid reale, ſeu forma nova realis, *ùt obſervant Salmanticenſes Tract.* 21. *Diſp.* 4. *dub.* 1. §. 2. *n.* 9. quæ ſit fundamentum illius denominationis *realiter* ac *formaliter* verificativum; atqui Verbum in tempore denominatur *phyſicè* ac *realiter unitum* humanitati; & humanitas veritate fidei dicitur, *realiter*, *intrinſecè unita* Verbo : ergo alterutri ineſt aliqua forma realis. *Subſumitur:* atqui non ineſt Verbo, quod eſt actus purus, expers omnis potentiæ realiter receptivæ: ergo illa forma realis, nempe unio hypoſtatica, ineſt humanitati; ergo &c.

8. *Probatur* 8vò. De fide eſt, quòd humana natura intrinſecè realiter, ac phyſicè unita ſit Verbo Divino; item, quòd divina Verbi perſonalitas realiter ac phyſicè unita ſit naturæ humanæ: ergo certum eſt, quòd detur realis ac phyſica unio inter naturam humanam, & Divinam Verbi Perſonalitatem. Atqui id, per quod ejusmodi propoſitiones verificantur, non eſt divina Verbi perſonalitas, neque humanæ naturæ entitas: ergo eſt aliquid illi ſuperadditum, & ab ipſis diſtinctum. *Probat. ſubſump.* Verbum Divinum exſtitit ab æterno, nec tamen ab æterno fuit realiter unitum naturæ humanæ; natura enim humana potuit exiſtere à parte rei, quin *realiter phyſicè*, ac *intrinſecè* uniretur divinæ Perſonalitati; tum, quia unio iſta eſt ſupernaturalis; tum, quia natura humana, quæ defactò eſt in Chriſto, eſt ejuſdem ſpeciei cum naturis cæterorum hominum; hæ autem poſſunt exiſtere à parte rei, licèt non uniantur Divinæ Perſonalitati: ergo, & illa potuit: ergo verificativum hujusmodi propoſitionum, eſt aliquid

Ver-

Verbo, ac humanæ naturæ ſuperadditum; atque ab ijsdem diſtinctum. *Confirmatur* cum Eſparza *lib. 9. de Myſterio Incarnat. q. 20. a. 2.* Quæ ſunt realiter ſeparabilia, non ſunt realiter idem; nihil enim eſt realiter ſeparabile à ſe ipſo; atqui Verbum & natura humana ſunt entitates ab unione hypoſtatica ſeparabiles, ùt conſtat ex immediatè dictis: ergo non ſunt realiter idem: ergo ſunt aliquid diſtinctum; atqui non aliter, quàm modaliter: ergo.

Probatur 9nò. Incarnatio eſt actio realis alicujus in tempore productiva: ergo unio hypoſtatica diſtinguitur ab extremis quæ unit. *Ant.* eſt certum apud Theologos ex Concilio Lateranenſi *cap. Firmiter. de ſumma Trinitate.* Sextâ ſynodo Generali Conſtantinopolitana. Concilio Toletano 6. & 11. Ubi definitur: *Totam Trinitatem eſſe cauſam efficientem Incarnationis; quia opera Trinitatis ad extra omnibus tribus perſonis ſunt communia. Prob.* itaque *Conſeq.* Quia per actionem incarnativam, utpotè effectivam, producitur aliquis terminus realis; atqui non Verbum, quia hoc æternum eſt. Non etiam ſola humanitas, quia hæc producitur per actionem naturalem ejuſdem ſpeciei, cum actione cæterarum humanitatum productiva; actio autem incarnativa eſt ſupernaturalis, adeoque eſt diverſæ rationis ab actione humanitatis productiva: ergo per actionem incarnativam producitur unio hypoſtatica ab extremis modaliter diſtincta. 9.

Probatur 10mò. Modus, habitudo, ſeu relatio ſubſtantialis ex definitione, ac eſſentia ſua, eſt realis formalitas, per quam duo ſubſtantialia ad ſe invicem indifferentia, *ultimatè* & *formaliter* determinantur; atqui unio hypoſtatica eſt hujusmodi formalitas: ergo. *Prob. Min.* Formalis unio hypoſtatica, eſſentialiter, intrinſecè ac formaliter determinat hanc naturam 10.

turam humanam, ad hanc (*nempe divini Verbi,*) Personalitatem, ut illa, ab hac *ſubſtantialiter* ineſſe ſuppoſiti terminetur; ut perſonalitati huic, præ alijs connectatur; ut ad hanc, præ alijs referatur; atqui tam Perſonalitas Verbi divini, quàm humanitas, ſunt extrema ſubſtantialia ad ſe invicem indifferentia; nam Verbum divinum de ſe eſt indifferens, ut terminet naturam vel Angelicam vel humanam, & inter naturas humanas hanc vel aliam numerô; & humanitas etiam eſt indifferens, ut terminetur ſubſtantialiter per ſubſiſtentiam creatam vel increatam; & inter increatas, ut terminetur formaliter à Perſonalitate Patris, vel Perſonalitate Filij, vel Spiritûs S. ergo.

11. *Probatur* 11*mò.* Unio hypoſtatica eſt aliquid creatum, ùt conſtat ex *n.* 2. Eſt aliquid ſubſtantiale, ùt patet ex *n. eodem.* Atqui aliquid ab extremis diſtinctum, ùt probatum eſt *n.* 5. Atqui non eſt aliquid abſolutum, diſtinctione reali majore diſtinctum, atque ex eſſentia ſua indifferens ad hæc, vel alia extrema formaliter intrinſecè unienda, ùt dictum eſt *n.* 4. Ergo eſt aliqùid relativum ex eſſentia ſua determinatum ad hæc, & non alia extrema, inter ſe formaliter intrinſecè unienda: ergo eſt modus.

12. *Probatur 2da pars Theſis* 1*mò.* Ex eo: *quòd unio hypoſtatica in Chriſto non ſit facta in natura, ſed in Perſona, ſeu quòd Natura divina & humana in Chriſto, non fuerint factæ per unionem natura unica, ùt voluit Eutiches, & Dioſcorus, ſed ſit facta unica Perſona, ùt negavit Neſtorius.* Jam ſic: Chriſtus Dominus poſt unionem factam, manſit verus Deus, & homo: ergo in illo poſt unionem, fuit Natura divina & humana. *Conſeq.* eſt legitima. *Ant.* eſt de fide, & patet ex illo *Iſaiæ* 9. Quòd videlicet Chriſtus fuerit verus Deus,

Deus, ubi ità dicitur: *Parvulus natus, & Filius datus est nobis, & vocabitur nomen ejus, consiliarius admirabilis, Deus fortis.* Et ibidem *cap. 35.* ità habetur: *Deus ipse veniet, & salvabit nos:* ergo. Quòd autem fuerit etiam verus homo, patet, tum, ex innumeris veteris testamenti locis, in quibus dicitur: quòd Christus sit futurus ex semine Abrahæ, ex fœmore Jacob, Filius David &c. Tum, ex illo *Joannis 8.* ubi Christus de se ipso dixit: *Quæritis me hominem interficere, qui veritatem vobis locutus sum.* Et ibidem *cap. 9.* ubi dixit à nativitate cœcus: *Ille homo, qui dicitur JESUS, fecit lutum.* Quem Christus non correxit, sed tantùm ulteriùs petijt, ut crederet quoque se esse Filium Dei: ergo. Cùm itaque fuerit verus homo, evidenter sequitur, quòd etiam habuerit verum corpus, & non purè phantasticum, ùt docuit *Manetes Persa*, qui se Manichæum appellavit; neque ex materia cœlesti, ùt voluit *Valentinus* Hæreticus, sed ex carne humana assumptum: ergo.

Probatur 2dò. Christus est perfectus Deus, & homo, ùt constat ex symbolo S. Athanasij, qui dicit: 13. *Perfectus Deus perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens:* ergo ex natura humana & divina unitis, tanquam ex duobus imperfectis, non resultavit in Christo Domino una natura, ùt volunt Hæretici. *Conseq.* patet. Quia non stat perfectus Deus sinè Deitate perfecta, nec absque humanitate perfecta, potest perfectus homo consurgere; sicut absque albedine perfecta non potest perfectum album esse; nam universaliter repugnat (ùt observat *Godoy q. 2. de Incarnatione. tract. 2. Disp. 9. §. 1.*) perfectio in concreto, absque perfectione formæ concretum constituentis: ergo si Christus est perfectus Deus, & perfectus homo, non componitur ex Deitate & hu-

humanitate imperfectis, (ùt magìs *n.* 16. declarabitur,) ſed in illo Deitas & humanitas perfectè inveniuntur.

14. *Probatur 3tiò.* Si in Chriſto per unionem facta fuiſſet una natura ex duabus, vel hoc factum fuiſſet per converſionem Naturæ divinæ in humanam, aut viciſſim, proùt volebat Evtiches. Vel per utriusque confuſionem, & mixtionem ſubſtantialem eô modò, quô ex elementis fit una natura, ſeu ſubſtantia mixta, ùt volebat Dioſcorus; atqui nullô hôc modô facta eſt una: ergo. *Prob. Min.* 1*mò.* Non eſt facta una per converſionem Naturæ Divinæ in humanam; quia Natura Divina eſt eſſentialiter immutabilis, & indeſtruibilis; illud autem quod convertitur in alterum, mutatur & deſinit eſſe: ergo. 2*dò.* Neque eſt facta una per converſionem naturæ humanæ in Divinam; quia ſiç deſijſſet natura humana in Chriſto; adeoque Chriſtus non eſſet verus homo, quod eſt contra fidem. 3*tiò.* Etiam non eſt facta una per mixtionem ſubſtantialem utriusque naturæ; quia in mixtione ſubſtantiali miſcibilia corrumpuntur, & generatur ex illis novum mixtum diverſæ ſpeciei, quòd Naturæ Divinæ convenire non poteſt: ergo.

15. *Confirmatur.* Inter extrema multùm diſtantia non poteſt mixtio fieri, ex eo, quòd unum ob exceſſum activitatis, quâ eminet ſuper aliud, illud in ſui naturam convertat, ùt patet; ſic, ſi aliquis guttam aquæ infundat amphoræ vini, non reſultat ex illis tertia ſpecies, ſed aqua in vinum convertitur, ob exceſſum quantitatis vini; atqui Natura Divina in infinitum excedit humanam: ergo talis mixtio ex illis fieri non poteſt, ut ex utraque fiat una natura, ſed Natura Divina convertet in ſe naturam humanam, ſolúmque Dei Natura remanebit in Chriſto, quod eſt con-

contra fidem mysterij, quâ credimus, Christum esse verum Deum, verúmque hominem: ergo.

Probatur 4tò. Si ex Natura Divina & humana in Christo, fuisset facta una natura, tunc fuisset facta tanquam ex duobus imperfectis; atqui non potuit fieri tanquam ex duobus imperfectis: ergo. *Prob. Min.* Unum ex duobus imperfectis solùm esse potest, vel per modum partium quantitativarum, ex quibus totum integrale resultat, vel per modum materiæ & formæ, ex quibus totum physicum componitur; atqui Natura Divina nullô ex his modis potuit cum natura humana fieri una: ergo. *Prob. Min.* Imprimis non potuit primô modô fieri una, quia partes quantitativæ sunt corporeæ; atqui Natura Divina non est corporea, imò summè incorporea: ergo in hac compositione & unitate, non potuit se habere ùt pars quantitativa. Atqui etiam non potuit fieri una, eô modô, quô ex materia & forma fit unum compositum: ergo. *Prob. subsump.* De ratione formæ est informatio, de ratione materiæ est potentialitas, de ratione utriusque, est dependentia à toto, ad cujus compositionem, ùt ad finem ordinantur; atqui repugnat Naturæ Divinæ *informatio*, *potentialitas*, & *dependentia*, ùt per se patet: ergo Natura Divina in Christo nec materia, nec forma esse potuit; & per consequens ex illa & humanitate, unitis per modum materiæ & formæ, non potuit tertia resultare natura. 16.

Confirmatur. Quod ex materia & forma resultat, si 17.
forma non adæquet materiam, est numerô multiplicabile, & communicabile pluribus numerô tantùm distinctis; atqui, si Divinitas esset forma humanitatis, non adæquaret materiam, quam informabat, cum aliæ humanitates non essent ab illa informatæ:

ergo

ergo natura ex Divinitate ùt forma, & humanitate ùt materia resultans, esset pluribus communicabilis & multiplicabilis numerô, & per consequens non esset tantùm unus Christus, sed plures, quod est contra S. Athanasium in symbolo ità dicentem : *Non duo tamen, sed unus est Christus*; adeoque non potuit ex Divinitate ùt forma, & humanitate ùt materia, tertia resultare natura.

18. *Probatur 5tò.* Species juxta Philosophum habent se sicut numeri, ità ut additâ quâlibet differentiâ, species varietur, sicut numerus additâ quâlibet unitate variatur specificè in ratione numeri: ergo, si ex natura humana & Divina, resultâsset una natura per additionem naturæ ad naturam, Christus neque esset Divinæ neque humanæ naturæ, sed alterius, ab utraque specificè distinctæ ; siquidem additâ naturâ, superadditur differentia. Ex quo ulteriùs sequitur, quòd nec esset homo, per consequens nec illius operationes essent Dei, & hominis ; atqui hoc est contra expressa S. Scripturæ testimonia, ex quibus habetur, Christum esse verum Deum, & verum hominem, ejúsque operationes esse Dei & hominis : ergo &c.

19. *Probatur 6tò.* Ex eo : *quòd unio hypostatica facta sit in persona Verbi, adeoque, quòd in Christo una tantùm sit persona.* Et quidem Authoritate Concilij Alexandrini ubi contra Nestorium definitum est : *unam tantùm in Christo esse personam*; quam definitionem approbavit Concilium Ephesinum I. Constantinopolitanum V. *Collat. 8.* Chalcedonense *Collat.* 1. Et specialiter in synodo Ephesina *can.* 2. ità definitum est: *Si quis non confitetur carni secundùm subsistentiam unitum esse Verbum, quod est à Deo Patre, & unum esse Christum cum sua carne, eundem, videlicet Deum simul, & hominem, anathema sit.* Confirmatur Authorit.

S. Athâ-

S. Athanasij, qui in suo symbolo ità dicit: *Qui licèt Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus*; atqui si in Christo darentur duæ naturæ, & duæ personæ, ùt voluit Nestorius, essent duo Christi: ergo. Eidem veritati consentiunt omnes Ecclesiæ Doctores. Cyrillus *Opuscul. ad Evoptium*. Damascenus *lib. 3. de fide. cap. 12.* Nazianzenus *Oratione 1. ad Dedanium.* S. Thom. *3. p. q. 2. a. 2.* Et plures alij, quos referunt commentatores *D. Thom.* in præsentem locum.

Probatur 7mò. Natura humana est verè & realiter 20.
unita Verbo Divino; atqui hæc unio non est facta in Natura Verbi, ùt patet ex immediatè dictis: ergo facta est in Persona Verbi. *Confirmatur.* Duo concreta non possunt de se invicem prædicari, nisì formæ talium concretorum uniantur eidem supposito, & personæ; atqui ratione unionis hypostaticæ, Deus & homo de se invicem prædicantur in concreto; bene enim dico: *Deus est homo, homo est Deus*: ergo. *Prob. Maj.* Non potest dici: *album est dulce*, nisì albedo & dulcedo eidem subjecto uniantur: ergo duo concreta non possunt de se invicem prædicari, nisì formæ talium concretorum uniantur eidem supposito, & personæ; & per consequens natura humana & Divina debent respicere tantùm unam personam.

Probatur 8vò. Cum Godoy *q. 2. de Incarnatione. Tract.* 21.
2. Disp. 9. §. 8. Unio illorum, ex quibus una resultat persona, est unio facta in persona; atqui ex unione Verbi ad humanitatem, una resultavit persona, subsistens in duabus naturis, humanâ nempe & Divinâ, quæ est, & dicitur Christus: ergo unio Verbi ad humanitatem, facta est in persona. *Major est certa*; hâc enim solâ ratione Nestorius, & illius sequaces negabant unionem Verbi ad humanitatem in perso-

na

na factam esse, quia non recognoscebant in Christo unam personam ex natura humana & divina resultâsse, sed asserebant Christum esse purum hominem, distinctum personaliter à Verbo Dei, illíque solùm accidentaliter esse unitum, per effectum specialem, & tanquam inhabitanti in templo suo per gratiam. *Prob. Min.* Quam Nestoriani negant, ex Symbolo S. Athanasij, in quo dicitur: *sicut anima rationalis & caro unus est homo, ità Deus & homo unus est Christus*; atqui ex anima rationali, & humana carne unitis, resultat una persona: ergo etiam ex humanitate & Divinitate unitis, resultavit una persona Christi.

22. *Confirmatur 1mò.* S. Paulus 1. *ad Corinth. 8.* ità dicit: *Unus est Dominus JESUS Christus, per quem omnia*; atqui esse, per quem omnia, non convenit Christo ratione humanitatis, quia hæc est aliquid creatum, adeoque omnium principium esse non potest: ergo illi convenit ratione *Divinitatis*, & *omnipotentiæ*, in qua cum Patre identificatur, tanquam principio omnium rerum; adeóque Christus, proùt ex Divinitate, & humanitate resultat, est unus; & per consequens una persona, non duæ, ùt asserebant Nestoriani.

23. *Confirmatur 2dò:* Idem S. *Paulus ad Colossenses 1.* ità ait: *In ipso condita sunt universa in cœlo & in terra.* Et postea subdit: *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis.* Ex quibus verbis sic arguitur: Esse primogenitum ex mortuis, convenit Christo; esse, in quo condita sunt omnia, convenit filio Dei, nempe Verbo; atqui idem ipse est, in quo universa sunt condita, & qui est Primogenitus ex mortuis, ùt expresse *S. Paulus in allegato testimonio* testatur: ergo Christus, & Verbum Dei idem sunt; atqui non sunt idem naturâ, ùt patet ex dictis: ergo sunt unum idémque personâ.

Pro-

Probatur 9nò. Ratione D. Thom. *hìc q. 2. a. 2.* ad 24.
hanc formam reducta. Omne, quod intrinſecè alicui convenit, unitur illi in perſona; atqui Verbum intrinſecè eſt homo; & conſequenter humanitas illi convenit intrinſecè: ergo humanitas fuit unita Verbo in perſona. Vel ſic poteſt ratio *D. Thom.* proponi: Omne, quod de aliquo prædicatur in quid, vel denominativè, denominatione intrinſeca, eſt unum cum eo ſecundùm ſuppoſitum, & ideò hæc propoſitio eſt falſa: *Petrus eſt Paulus*; quia ſuppoſitaliter differunt. Item, hæc propoſitio in Deo eſt falſa: *Pater eſt Filius*; quia perſonaliter & ſuppoſitaliter diſtingvuntur; atqui ſecundùm fidem, natura humana prædicatur de Filio Dei *concretivè*, & *in quid*, ac *intrinſecâ denominatione*: ergo homo & Filius Dei, non diſtingvuntur ſuppoſitaliter, ſed ſunt unum ſuppoſitum, & per conſequens unio humanitatis ad Verbum, facta eſt in ſuppoſito, & non in natura.

§. I.

Solvuntur objectiones, contra primam partem Theſis, *quæ dicit: quòd unio hypoſtatica ſit aliquid modaliter diſtinctum ab extremis.*

OBjicies *1mò.* Ex eo: *quòd unio hypoſtatica non videatur eſſe aliquid modaliter diſtinctum ab extremis.* Unde ſic: In naturali compoſito ex materia & forma ſubſtantiali, non eſt opus ullâ mediâ unione modaliter, ſeu ex natura rei diſtincta ab extremis: ergo nec in compoſito Theandrico, in quo duæ naturæ conſtituunt unum eſſe perſonale. *Prob. Ant.* authorit. S. Thom. Qui *2. contra Gentes. cap. 71.* ità ait: *Forma unitur materiæ absque omni medio, nec eſt* 25.

aliquid unum faciens ex materia & forma, nisi agens, quod potentiam reducit in actum: ergo. *Resp.* 1mò *Transf. Ant. Neg. Conseq. Disp. est:* Quia materia potest per aliquas accidentales dispositiones, v. g. per calorem *ùt* 8. ultimatè, & intrinsecè determinari ad formam ignis, adeoque indifferentia materiæ ad formam ignis, posset intrinsecè tolli per ejusmodi prævias dispositiones, quæ naturaliter exigunt determinatam formam substantialem; at verò in humanitate ante subsistentiam, nullæ possunt recipi dispositiones accidentales; & quamvìs recipi possent, nulla tamen est assignabilis dispositio, quæ ex natura rei exigeret determinatam subsistentiam Verbi, præ Patris, aut Spiritûs S.: ergo, licèt nulla admitteretur distincta unio in compositis naturalibus, adhuc tamen necessariò admittenda esset, & est in composito Theandrico. *Resp.* 2dò. *Neg. Ant.* Quia in nostris principijs probabilius est, & verius absolutè putant *Salmanticenses Tract.* 21. *hìc Disp.* 4. *dub.* 1. §. 7. *n.* 41. quòd etiam inter materiam & formam detur modus unionis illas nectens, & ab eis distinctus. *Ad Prob.* dico: quòd *S. Thomas loc. cit.* & alijs, præcisè excluserit medium *ùt quod*, non autem *ùt quo*; agit enim ibidem partim contra Averoëm, qui dicebat animam rationalem uniri corpori mediantibus phantasmatibus; partim contra Platonicos, qui eam dicebant uniri corpori corruptibili, mediante quodam corpore incorruptibili, & inseparabili ab anima; partim contra alios, qui dicebant eam uniri mediante Spiritu corporali; nunquam autem exclusit medium uniens *ùt quo*, proùt plurimi fatentur Thomistæ.

26. *Objicies* 2dò. cum Gonet *hìc Disp.* 6. *a.* 3. Nihil creatum potest esse actuale exercitium, seu actus secundus illius potentiæ divinæ, quâ Verbum terminat

nat humanitatem: ergo Verbum per ſe ipſum, & ſinè ullo medio, exercet formaliter rationem termini, & per ſolam ſuam perſonalitatem, ſeclusô omni mediô, terminat in actu ſecundo humanitatem. *Reſp.* 1*mò. Diſt. Ant.* Nihil creatum poteſt eſſe actuale exercitium intrinſecum, ſeu actus ſecundus intrinſecus illius potentiæ divinæ, quâ Verbum terminat humanitatem, *Conced.* Nihil creatum poteſt eſſe extrinſecum exercitium, ſeu actus ſecundus, extrinſecè denominans Verbum in tempore aſſumens, ac terminans humanitatem, *Neg. Ant. & Conſeq.* Illa enim aſſumptio, & terminatio, quâ mediante Verbum formaliter terminat humanitatem, eſt Verbo extrinſeca, & ſoli humanitati intrinſeca, ùt docet *D. Thom. hìc q.* 2. *a.* 7. *Reſp.* 2*dò.* cum Gormaz *hìc Diſp.* 13. *de conſtitutivo hypoſtaticæ unionis. Sect.* 2. *n.* 546. *Diſt. Conſeq.* Ergo Verbum per ſe ipſum exercet formaliter rationem termini ùt quod, *Conced.* Exercet formaliter rationem termini ùt quo, *Neg. Conſeq.* Licèt enim Perſonalitas Verbi, ſit ille terminus, qui ſe habet *ùt quod*, & qui complet humanitatem *ùt quod*, non tamen eſt ille, qui ſe habet *ùt quo*, qualiter ſe habet unio hypoſtatica: ergo.

Objicies 3tiò. Actuale exercitium Omnipotentiæ 27
divinæ, creaturas producentis, non eſt aliquid creatum, modaliter ab ipſa Omnipotentia diſtinctum: ergo neque actuale exercitium Perſonalitatis Divinæ, terminantis humanitatem, eſt aliquid creatum modaliter diſtinctum. *Prob. Conſeq.* Ideò actuale exercitium Omnipotentiæ Divinæ, non eſt diſtinctum ab illa, quia hæc eſt actus purus in ratione principij productivi; atqui etiam Perſonalitas Verbi eſt actus purus in ratione principij terminativi: ergo. *Reſp. Diſt. Ant.* Actuale exercitium Omnipotentiæ Divinæ non eſt aliquid

quid ab ea modaliter distinctum, tanquam aliquid intrinsecè superadditum omnipotentiæ Divinæ productivæ, *Conced.* Tanquam aliquid intrinsecè superadditum creaturæ productæ, & extrinsecè denominans omnipotentiam producentem creaturas in tempore, *Neg. Ant. & Conseq.* Nec omnipotentia Divina, nec Verbum, ùtpote actus purus, possunt reduci in actum secundum per aliqud superadditum ipsis intrinsecum, nullus tamen effectus creatus potest ab Omnipotentia Dei, ad extra produci, nisi per *productionem* seu *actionem* in effectu *intrinsecè* receptam, per quam effectus *formaliter* denominatur *intrinsecè* productus, & Omnipotentia actu producens.

28. *Objicies 4tò.* Posità agente extrinsecô, quod humanitatem ad Verbum extrinsecè, & ultimatè determinat, nulla superest extremorum ad se invicem indifferentia: ergo positô agente extrinsecô, nullâ est opus unione superadditâ. *Confirmatur.* Positâ actione unitivâ humanitatis ad Verbum, humanitas necessariò unitur Verbo: ergo ad hanc unionem sufficit Verbi, humanitatis, & actionis unitivæ coëxistentia. *Resp. Dist. Ant.* Positô agente extrinsecè, & ultimatè determinante, nulla superest extremorum indifferentia extrinseca, *Conced.* Intrinseca, *Neg. Ant. & Conseq.* Imò repugnare videtur in terminis, determinatio purè extrinseca, & simul ultimata. Si enim est purè extrinseca, nondum est ultimata, quia nondum intrinseca: Si autem est ultimata, non est purè extrinseca, cùm implicet, indifferentiam intrinsecam aliter tolli, nisì per determinationem intrinsecam. *Ad Confirm. Dist. Ant.* Positâ actione unitivâ, humanitas necessariò unitur Verbo efficienter, *Conced.* Eô ipsô etiam formaliter, *Neg. Ant. & Conseq.* Instat enim argumentum evidenter, si sic argueres: positâ actione cale-

calefactiva necessariò existit calidum : ergo ad calidum sufficit coëxistentia subjecti, & actionis calefactivæ absque superaddita forma caloris, quæ consequentia omninò est nulla; quia actio calefactiva non facit formaliter calidum, sed tantùm efficienter: ergo à pari. Quare, sicut per hoc, quòd actió calefactiva *essentialiter* inferat calorem, non excluditur, imò habetur necessitas formæ à calefactione distinctæ, per quam subjectum est *formaliter* calidum, ità per hoc, quòd actio unitiva *essentialiter* inferat unionem, non excluditur, sed potiùs habetur necessitas unionis, & quidem modalis, ac distinctæ ab extremis, per quam humanitas *formaliter* uniatur Verbo.

Objicies 5tò. Etiam Verbum est intrinsecè indifferens, ut terminet humanitatem; atqui hæc intrinseca indifferentia, non tollitur per unionem intrinsecam Verbo : ergo potest indifferentia intrinseca tolli, absque unione distincta. *Resp. Neg. Maj.* Quia Verbum non est intrinsecè complebile, adeoque nec intrinsecè indifferens ad hoc complementum : humanitas autem, quia est intrinsecè perfectibilis, & complebilis in ratione suppositi, est etiam intrinsecè indifferens ad hoc complementum: hinc unio hypostatica, licèt verè uniat Verbum humanitati, & humanitatem Verbo, non tamen eôdem modô afficit utrumque extremum; Verbum enim unitur humanitati quasi *activè*, communicando illi suam perfectionem; humanitas verò unitur *purè passivè* ùt recipiens, & non ùt conferens perfectionem; adeoque unio hypostatica determinat humanitatem, immutando illam intrinsecè, tanquam aliquid *ùt quo*, Verbum verò non determinat, immutando illud *intrinsecè*, sed tantùm *extrinsecè*. 29.

Objicies 6tò. Habitudo nova, quâ murus albus *A* 30. fit

fit ſimilis muro albo *B*, non eſt aliqua ſuperaddita entitas modalis in communiori ſententia : ergo nec illa habitudo, per quam extrema fiunt unum. *Reſp.* Neg. *Conſeq. Diſp. eſt:* Quia murus albus *A*, non eſt intrinſecè indifferens ad eſſe ſimile abſolutè, ſed tantùm indifferens extrinſecè, dependenter à conditione extrinſeca, nempe à termino, quô poſitô reſultat abſolutè denominatio ſimilis, quæ priùs per albedinem fuit conditionatè in muro albo *A*. Hinc implicat exiſtere duos muros albos, quin ſint formaliter ſimiles; at verò humanitas eſt intrinſecè indifferens ad ſimpliciter eſſe unitum Verbo; unde etiam poteſt coëxiſtere Verbo, quin ſit ei unita: ergo indiget determinatione modali intrinſecâ.

31. *Objicies 7mò.* Licèt unio diſtinguatur realiter ab extremis ſeorſim ſumptis, non diſtinguitur tamen realiter ab extremis ſimul & indiviſim ſumptis, & ſibi communicantibus aliquam perfectionem : ergo unio hypoſtatica non eſt modus ex natura rei diſtinctus ab humanitate, & Perſonalitate Verbi, ſimul ſumptis. *Reſp. Diſt. Ant.* Unio non diſtinguitur realiter ab extremis ſimul ſumptis, ſola ſimultaneitate temporis, aut loci, vel cognitionis, *Neg.* Non diſtinguitur realiter ab extremis ſimul ſumptis ſimultaneitate unionis, ſeu ab extremis ùt unitis, *ſubdiſt.* unio non diſtinguitur ab extremis adæquatè ùt unitis, *Conced.* Inadæquatè, & tanquam incluſum ab includente, *Neg. Ant. & Conſeq.* Sicut enim albedo diſtinguitur à muro ùt albo *inadæquatè*, tanquam incluſum ab includente; ità unio diſtinguitur ab extremis ùt unitis, quia extrema *ùt unita* præter unionem, dicunt ſuas proprias entitates, ſicut murus *ùt albus*, præter albedinem, dicit ſubjectum albedinis.

32. Rectè etiam hìc monet *Eſparza lib. 9. de Myſterio Incarnat.*

carnat. q. 20. quærendum esse ex adversarijs, utrùm istæ voces: *extrema simul sumpta*, significent aliquem diversum realem modum, & aliquam diversam realem habitudinem, quam non significant istæ voces: *extrema seorsim sumpta.* Si affirment? Ergo extrema simul sumpta includunt unionem realiter distinctam, qualem non includunt extrema seorsim sumpta, & sic sentiunt nobiscum. Si negent? Demonstrant se, solis verbis ludere; quandoquidem adhibent diversas voces, absque animo significandi diversas res, aut diversos realiter modos ejusdem rei. Quibuscunque autem vocibus denuò elabi conentur, urgendi iterum sunt simili interrogatione, circa significationem illarum vocum superadditarum, utrùm videlicet illæ novæ voces habeant novum significatum realiter distinctum, à significato priorum vocum? Neque desistendum est ab hac interrogatione, donec assignent diversitatem rei à parte rei significatæ, quod nunquam præstabunt, nisì significando aliquem modum realem superadditum extremis, secundùm se consideratis.

Objicies 8vò. Extrema simul sumi, nihil aliud est, quàm quando sumuntur cum intima Verbi inhabitatione, & carentia propriæ subsistentiæ: ergo possunt esse extrema inter se unita, sinè modali unione. *Resp. Neg. Ant.* Quia nisì per intimam præsentiam intelligatur realis, ac physicus nexus modalis, terminatus ad Verbum, sequeretur, quòd æquè Personalitas Patris ac Spiritûs S. unita sit humanitati ac Verbum; nam omnes tres personæ, ratione suæ immensitatis, sunt æqualiter *intimè* præsentes humanitati; humanitas etiam *ùt carens propriâ subsistentiâ*, est æquè indifferens, ut assumatur à Patre, vel Filio, vel Spiritu Sancto; & hæc carentia propriæ subsistentiæ non 33.

minùs adfuiſſet, ſi humanitas ſuiſſet unita Patri, aut Spiritui S. ergo in his non conſiſtit *formalis unio* humanitatis ad Verbum.

34. *Objicies 9nò.* cum Recentioribus Thomiſtis. Ultimata determinatio, formaliter fit per decretum Dei, quô Deus vult indiviſim hanc humanitatem unitam eſſe Verbo: ergo necdum eſt opus intrinſecâ unione modaliter ab extremis diſtinctâ. *Reſp. Neg. Ant.* Ratio eſt: *1mò.* Quia tale decretum eſt extrinſecum humanitati; unio autem eſt quædam entitas humanitati intrinſeca. *2dò.* Decretum Dei eſt aliquid increatum, unio autem hypoſtatica eſt aliquid creatum. *3tiò.* Decretum Dei, ſeu voluntas Dei præcisè quà talis, non alium effectum formalem, ſeu denominationem poteſt præſtare humanitati, quàm denominationem extrinſecam *voliti*, non autem intrinſecam denominationem *uniti*, adeoque, licèt decretum Dei tollat illam indifferentiam *cauſaliter*, non tamen tollit illam *formaliter.* *4tò.* Illud Decretum Dei eſt practicum & efficax: ergo ponit ſuum objectum: ergo efficit aliquid in humanitate; non enim efficit humanitatem ſecundùm ſe, quia hæc exiſtere poteſt, quin formaliter uniatur, ac dependeat à Verbo: ergo vult, & efficit ſuperadditam modalem unionem. *5tò.* Illud decretum Dei applicat omnipotentiam efficaciter ad executionem Incarnationis, ſeu unionis hypoſtaticæ: ergo unio formalis, eſt *naturâ* poſterior, tali decretô: ergo non poteſt in illo *formaliter* conſiſtere unio.

35. *Objicies 10mò.* Verbum poteſt immediatè, & formaliter terminare unionem hypoſtaticam: ergo etiam humanitatem: ergo diſtincta unio, ſuperfluè admittitur. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſp. eſt:* Quia unio modalis eſt eſſentialiter relatio dependens à ſuis extremis: ergo non eſt *intrinſecè* indifferens, per conſequens

nec

nec indiget ullô *intrinſecô determinativô* ; at verò natura humana ſecundùm ſe, & ſecundùm ſuam entitatem conſiderata, eſt indifferens : ergo.

Objicies 11mò. Subſiſtentia creata unitur naturæ, 36.
ſinè ullo medio ſuperaddito : ergo etiam Divina. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſp. eſt :* Quia ſubſiſtentia creata eſt modus; de eſſentia autem modi eſt, ut immediatè uniatur. At verò ſubſiſtentia Divina non eſt modus : ergo. Quòd autem modus debeat immediatè uniri, hoc non provenit ex aliqua perfectione, ſed potiùs ex imperfectione, ex eo, quòd *eſſentialiter* dependeat à ſuis extremis, ità, ut nec *divinitùs* ſinè illis exiſtere poſſit.

Objicies 12mò. Ideò inter materiam & formam de- 37.
bet admitti unio modalis diſtincta, ut habeatur cauſalitas materiæ ad formam, & viciſſim ; atqui nulla datur cauſalitas ſubſiſtentiarum in natura, nec viciſſim : ergo. *Reſp. Neg. Maj.* Sed propter indifferentiam intrinſecam, ut videlicet hæc tollatur per unionem, tanquam per aliquid intrinſecum.

Objicies 13tiò. Quod convenit alicui per eſſentiam, 38.
& per ſe, non convenit illi per aliud, & ratione alicujus medij, etiam tantùm modaliter diſtincti ; atqui Verbo divino per ſe convenit, eſſe ultimum formalem terminum naturæ, qui ſcilicet *formaliter* reddat naturam humanam in ratione perſonæ ſubſiſtentem : ergo hoc illi non convenit per unionem modalem diſtinctam. *Reſp. Diſt. Maj.* Quod convenit alicui per eſſentiam, & per ſe, tam in actu primo, quàm in actu ſecundo, non convenit ei per aliud, *Conced.* Quod convenit illi tantùm in actu primo, non autem in actu ſecundo, *Neg. Maj. Diſt. etiam Min.* Atqui Verbo divino convenit eſſe ultimum formalem terminum naturæ in actu primo, id eſt, potentem reddere naturam humanam in ratione perſonæ ſubſi-

ſten-

ſtentem, *Conced.* Convenit Verbo divino eſſe ultimum terminum formalem in actu ſecundo, id eſt: ſemper reddere naturam humanam in ratione perſonæ ſubſiſtentem, *Neg. Min. & Conſeq.* Ut itaque Verbum reddat naturam humanam in actu ſecundo ſubſiſtentem, neceſſaria eſt unio modalis ſuperaddita.

39. *Objicies 14tò.* Unio hypoſtatica, & humanitas, producuntur per eandem actionem: ergo non ſunt duo termini diſtincti. *Reſp. Neg. Ant.* Quia actio, quâ producitur humanitas, eſt quoad ſubſtantiam naturalis, cùm ipſa humanitas ſit naturalis; actio verò quâ producitur unio hypoſtatica, eſt quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, quia etiam unio hypoſtatica eſt quoad ſubſtantiam ſupernaturalis: ergo ſunt actiones diſtinctæ.

40. *Objicies 15tò.* Si unio hypoſtatica eſſet intrinſeca realis relatio, ſequeretur: *1mò.* Quòd eſſentialiter requireret Perſonalitatem divinam, tanquam terminum, & ſubſtantiale complementum humanitatis; atqui implicat, ut aliquid creatum exigat Perſonalitatem divinam: ergo. *Prob. Min.* Nullum ens creatum, eſt ejuſdem ordinis, cum Perſonalitate divina; atqui deberet eſſe: ergo. *2dò. ſequeretur*: quòd Deus nec per abſolutam ſuam omnipotentiam poſſet conſervare, aut ponere hanc unionem absque extremis, quæ eſſentialiter reſpicit; atqui hoc præjudicat abſolutiſſimo Dei dominio in omnes creaturas: ergo. *3tiò. ſequeretur*: quòd tota Trinitas aſſumpſerit humanitatem, quia tota Trinitas effecit realem intrinſecam, modalem unionem: ergo. *Reſp. ad 1mum, Neg. Min.* tum Argumenti, tum Probationis. Quia lumen gloriæ, & viſio beatifica, ſunt aliquid creatum, nec ſunt ejuſdem ordinis cum eſſentia divina, & tamen illam exigunt, ut uniatur intel-

intellectui creato per modum *formæ intelligibilis*: ergo idem dicendum de unione hypostatica, cùm etiam hæc tantùm sit aliquid, *quô essentialiter* exigitur Personalitas divina, non autem ens creatum, *quod essentialiter* exigit eandem Personalitatem: ergo. *Ad 2dum. Neg. Min.* Quia ad perfectum Dei Dominium nihil aliud pertinet, quàm, ut Deus quôlibet momentô possit rem eô modô ponere, quô ex essentia sua est ponibilis, & destruere eô modô, quô est destruibilis. Sic in sententia Adversariorum non læditur Dei Dominium, etiamsi Deus non possit ponere materiam primam sinè omni forma, vel, existentiam sinè essentia: ergo idem dicendum est in nostro casu. *Ad 3tium Neg. sequel.* Quia assumere humanitatem, est ipsam ad se sumere, hoc est: ad suum *esse Personale* trahere, communicando humanitati suam personalitatem; ùt terminum substantialem, adeoque suæ personalitati immediatè uniendo humanitatem. Licèt itaque tota SS. Trinitas uniat humanitatem, non tamen illam unit sibi toti, sed soli Verbo: ergo licèt tota Trinitas se habeat *activè* ad illam, non tamen *passivè*, sed solum Verbum. *Gormaz hic Disp. 13. sect. 2. n. 549.*

Objicies 16tò. Implicat substantia supernaturalis creata: ergo etiam unio substantialis supernaturalis creata: ergo, cùm unio hypostatica sit supernaturalis, non potest esse substantialis. *Resp. Neg. Conseq. Disp. est:* Quia substantia completa, est in se ens absolutum: ergo à nullo extrinseco potest specificari; & consequenter, si substantia esset supernaturalis, non esset talis per respectum ad Deum, ùt excedentem omnem ordinem rerum creatarum & creabilium, sed esset supernaturalis *per se*, & *per suam essentiam*, quod creaturæ repugnat; at verò modus substantialis est respectivus transcendentaliter, 41.

&

& ab extrinſeco poteſt ſpecificari, & ſic eſt ſupernaturalis non *per ſe*, ſed *ab alio*, nempe per ſpecificationem à Deo, ùt excedentem totum ordinem naturæ, quod non implicat: ergo.

42. *Replicabis.* Implicat modus, qui non ſit connaturalis naturæ, quam modificat: ergo implicat modus ſupernaturalis. *Reſp. Diſt. Ant.* Implicat modus, qui non ſit connaturalis naturæ, quam modificat, connaturalitate non mutuâ, *Conced.* Mutuâ, *Neg. Ant. & Conſeq.* Licèt enim modô ſupernaturali debeatur natura, quam modificat, non tamen viciſſim modus debetur illi naturæ. Inſtantia eſt in *gratia*, *lumine gloriæ*, & *viſione Dei*, quibus debetur natura intellectualis, non tamen viciſſim iſta debentur naturæ intellectuali: ergo.

43. *Objicies 17timò.* Si unio hypoſtatica eſſet modus, tot eſſent uniones, quot ſunt partes diſtinctæ in Chriſto; atqui hoc eſt multiplicare entia ſinè neceſſitate; ergo. *Reſp. 1mò.* Diſt. Maj. tot eſſent uniones, quot partes diſtinctæ in ratione ſuppoſiti, *Conced.* Quot partes diſtinctæ in ratione partis, *Neg. Maj. Reſp. 2dò. Diſt. aliter eandem Maj.* Tot eſſent uniones partiales, quot ſunt partes, *Conced.* Tot eſſent uniones totales, & ſubſtantiales, *Neg. Maj.* Unio hypoſtatica eſt totalis & ſubſtantialis: ergo eſt tantùm una. Inſuper, quia eſt ſubſtantialis, ideò fundat ſolam relationem tranſcendentalem, non verò prædicamentalem; quia hanc fundat ſolum accidens, ùt communiter docetur in Philoſophia.

44. *Objicies 18vò.* Si Pater, aut Spiritus S. uniretur humanitati, id fieret ſinè diſtincta unione: ergo etiam defactô Verbum eſt unitum eidem, ſinè unione diſtincta. *Conſequentia* patet à paritate rationis. *Prob. Ant.* Si Pater, aut Spiritus S. unirentur humanitati per

per diſtinctam unionem, hæc unio vel eſſet ejusdem ſpeciei, vel diverſæ ab unione, quâ Verbum defactò unitur humanitati; atqui neutrum dici poteſt: ergo. *Prob. Min.* Imprimis unio Patris æterni cum humanitate, non eſſet ejuſdem ſpeciei, quia reſpiceret diverſum ſpecie terminum, cùm Perſonæ Divinæ diſtinguantur inter ſe ſpecie, vel quaſi ſpecie. Atqui nec eſſet diverſæ ſpeciei, quia inter entia diverſæ ſpeciei, datur exceſſus & defectus quoad perfectionem ſpecificam; cùm ſpecies ſe habeant ſicut numeri, quorum alij ſunt excedentes, alij exceſſi; unio autem, quæ uniret humanitatem Patri, eſſet æqualis perfectionis cum illa, quæ defactò unit humanitatem Filio: ergo. *Reſp. Cum Salmanticenſibus Tract.* 21. *hic Diſp.* 4. *dub.* 1. §. 8. *n.* 44. *Neg. Ant. Ad Prob. Neg. Min.* Et dico: illas uniones fore diverſas eô modô, quò Perſonalitates Divinæ ſunt inter ſe diverſæ, quia modi relativi diverſificantur à ſuis terminis, quos eſſentialiter reſpiciunt. Nec opus eſſet, ut iſtæ uniones ſe mutuò excederent quoad perfectionem; quia licèt ſpecies in entibus abſolutis dicant ejusmodi exceſſum & defectum, quoad perfectiones ſpecificas; non tamen eundem dicunt ſpecies in entibus modalibus, & reſpectivis, niſi ipſi termini, quos eſſentialiter reſpiciunt, habeant ejuſmodi exceſſum, aut defectum.



§. II.

§. II.

Solvuntur objectiones contra secundam partem Thesis, quæ dicit : quòd unio non sit facta in natura, sed in persona.

45. OBjicies 1mò. Ex eo : *quòd unio hypostatica sit facta in natura.* Unde, sic: Quando *Joannis* 2. Aqua facta est in vinum, tunc verè est conversa in vinum: ergo etiam quando *Joannis* 1. Verbum caro factum est, verè est conversum in carnem; adeoque in Christo videtur tantùm esse una natura. *Resp. Neg. Conseq. Disp. est*: Quia aqua est coruptilis: ergo est capax conversionis, at verò Verbum Divinum non est corruptibile: ergo. Unde *ly factum* in scripturis, juxta dispositionem subjectæ materiæ accipiendum est, & exponendum; aliàs etiam sequeretur, quòd Christus conversus sit in peccatum, & maledictum; quia 2. *ad Corinth.* 5. dicitur: Christus pro nobis *peccatum factus.* Et ad *Galatas* 3. dicitur pro nobis *factus maledictum*; atqui hoc non, ergo nec illud.

46. *Objicies 2dò.* S. Athanasius in symbolo ità dicit: *Nam, sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ità Deus & homo unus est Christus*; atqui anima & caro constituunt unam integram hominis naturam: ergo etiam Deus & homo efficiunt unam Christi naturam. *Resp. cum Gonet. hic Disp.* 6. *a.* 1. §. 2. *& dico*: quòd S. Athanasius nihil aliud voluerit, quàm hoc, quòd sicut corpus & anima, quamvìs diversæ sint naturæ, tamen in una persona conveniant; ità divina & humana, quamvìs distinctæ sint, tamen in una persona copulentur. *Aut sic*: quòd, sicut corpus

pus trahitur ad esse animæ, ità humanitas assumpta sit, ad esse Verbi divini. Hinc *S. August. Epist. 3. ad Volusianum* ità dicit: *sicut in unitate personæ, anima unitur corpori, ut homo sit, ità in unitate personæ, Deus unitur humanitati, ut Christus sit*; adeoque in exemplo allato non est omnimoda paritas.

Objicies 3tiò. In Concilio Chalcedonensi *Actione* 1. 47.
refert Eustachius Episcopus verba S. Cyrilli Alexandrini dicentis: *Non oportet intelligere duas naturas, sed unam naturam Verbi Dei incarnatam:* ergo unio hypostatica facta est in natura. *Resp. S. Cyrillum sic explicandum esse*: non oportet intelligere duas naturas personaliter distinctas, *Conced.* Duas naturas personaliter unitas, *Neg.* S. Cyrillus hac locutione usus est contra *Nestorium*, qui asserebat in Christo esse duas naturas personaliter distinctas, & tantùm moraliter & affectivè unitas. Deinde, postquam *Dioscorus* & *Evtichiani* hac locutione S. Cyrilli pro suo errore abuti voluerunt, S. Cyrillus in Epist. 28. solemniter protestatur, se hanc propositionem non protulisse in sensu Evtichiano: ergo &c.

Objicies 4tò. Verbum eô modô caro factum est, 48.
quô panis fit corpus Christi in Evcharistia, ùt videtur sentire Justinus Martyr, *Apolog.* 2. S. Ambros. *lib. 4. de sacram. cap. 4.* & alij; Atqui panis fit corpus Christi per conversionem: ergo etiam Verbum caro factum est, per conversionem. *Resp. Neg. Maj.* Dum enim SS. Patres mysterium Evcharistiæ comparant cum mysterio incarnationis, hæc comparatio præcisè instituitur, ad probandam veritatem carnis in Evcharistia; non autem ad ostendendam paritatem fictionis; proinde in illis locis tantùm ostenditur, quòd sicut Verbum divinum veram carnem & sanguinem habuit, ità sub speciebus panis & vini post conse-

cratio-

crationem sit vera caro, & sanguis Christi. *Gonet hic Disp. 6. a. 1. §. 2. n. 15.*

49. *Objicies 5tò.* Si in Christo essent duæ naturæ, essent etiam duo Christi; sicut, quia in Trinitate est tantùm una natura divina, unus tantùm est Deus, & non plures Dij; atqui hoc non; ergo. *Resp. Neg. sequel. Maj. Ratio est :* quia ad hoc, ut concreta substantiva multiplicentur, & dicantur in plurali, non sufficit sola multiplicatio naturarum, aut sola multiplicatio personarum, sed requiritur multiplicatio utriusque; hìc autem est sola multiplicatio naturarum: ergo non sequitur esse duos Christos.

50. *Objicies 6tò.* Ex elementis potest fieri unum per mixtionem: ergo etiam ex natura divina & humana, una natura in Christo. *Resp. Neg. Conseq. Disp. est:* Quia ùt observat *Cardinalis de Lugo* in illa sententia philosophica, quæ docet, quòd elementa maneant formaliter in mixtis, elementorum naturæ non sunt *ultimatè completæ*, sed aliquomodo *incompletè & partiales:* ergo mirum non est, quòd ex ipsis possit fieri una natura; at verò natura humana, & Divina in ratione naturæ, sunt *ultimatè completæ :* ergo &c.

51. *Objicies 7mò.* Natura humana debet perfici in ordine ad actus supernaturales; atqui non aliter, quàm per commixtionem cum natura Divina: ergo. *Resp. Neg. Min.* Per hoc enim sufficienter perficitur natura humana, quòd compleatur à personalitate Verbi, quæ personalitas illi *immediatè* unitur, & hâc mediante, natura Divina. Insuper natura humana non perficitur ad actus supernaturales in ratione naturæ, sed in ratione principij, quia jam eô ipsô non esset natura, sed supra naturam: ergo &c.

52. *Objicies 8vò.* Natura Verbi divini est realiter identificata

tificata cum perſonalitate Verbi: ergo unio hypoſtatica non potuit immediatè terminari ad perſonalitatem Verbi, quin æquè immediatè fuerit terminata ad naturam Divinam. *Prob. Conſeq.* Non poſſunt de eadem indiviſibili re verificari duo prædicata contradictoria phyſica, ac realia; atqui uniri immediatè, & non uniri immediatè, ſunt duo prædicata contradictoria phyſica, ac realia: ergo non poſſunt verificari de Perſonalitate, & Natura divina, utpotè una eadémque realiter indiviſibili re.

Confirmatur. Viſio beatifica, eſt tantùm unio quæ- 53.
dam intentionalis hominis videntis, cum Deo viſo, & tamen hæc unio non poteſt immediatè terminari ad Perſonalitatem, quin etiam immediatè terminetur ad Naturam divinam; quia nimirum Perſonalitas & Natura divina, ſunt idem realiter: ergo à potiori unio hypoſtatica non poteſt phyſicè, realitérque immediatè terminari ad Perſonalitatem, quin ſimiliter terminetur ad Naturam divinam. Hujus difficultatis ſolutio ſumenda eſt ex *prima parte*, quò pertinet decidere, qualis inter Naturam divinam, & Perſonalitates diſtinctio requiratur, & ſufficiat ad verificandas ſinè contradictione haſce propoſitiones: *Natura Patris communicatur Filio; Paternitas non communicatur Filio. Paternitas generat Filium; natura non generat Filium*, &c. Cùm tamen fide divinâ certum ſit, naturam divinam eſſe realiter idem cum perſonalitatibus. Eâdem igitur reſponſione, quâ ſolvuntur illæ difficultates, præſens ſolvenda eſt. Unde *Reſp. imò. Conformiter ad doctrinam in Libello de Deo Uno & Trino, annô 1707. edito, Theſi 5. traditam, Diſt. Argumenti Ant.* Natura Verbi divini eſt realiter identificata cum perſonalitate Verbi, ità tamen, ut differant ſecundùm rationem & modum ſignificandi,

Conced. Ità, ut hôc modô non differant, *Neg. Ant.* *Dist.* etiam *Conseq.* Quin æquè terminaretur immediatè ad naturam, si Natura & Personalitas sumantur entitativè, & in sensu identico, *Conced.* si sumantur in sensu formali & reduplicativo, *Neg. Conseq.* In sensu identico eadem res, quæ est natura, unitur humanitati, attamen non sub ratione & formalitate naturæ, sed sub ratione ac formalitate personalitatis Verbi. *Ad Probat. Dist. Min.* Uniri immediatè, & non uniri immediatè, sunt prædicata contradictoria, si affirmentur, & negentur secundùm easdem rationes, & modos significandi, *Conced.* si affirmentur & negentur secundùm diversas rationes, & modos significandi, *Neg. Min. Et Conseq.* Prædictæ propositiones æquivalent istis: *Persona sub ratione personalitatis unitur, natura sub ratione naturæ non unitur*; atqui hæ propositiones non sunt contradictoriæ: ergo &c.

54. *Resp. 2dò. conformiter ad nostram doctrinam, Dist. Ant.* Natura Verbi est realiter idem cum personalitate Verbi in Filio, ità tamen, ut ab hac personalitate distinguatur realiter in tertio, videlicet, in Patre, aut Spiritu S. qui eandem numerô naturam Verbi identificant sibi realiter, non identificando sibi realiter personalitatem Verbi, *Conced.* Natura Verbi est ità realiter idem cum personalitate Verbi in Filio, ut neque in tertio, nimirum in Patre, aut Spiritu S. distinguatur realiter natura, à personalitate Verbi, *Neg. Ant. & Conseq.* Hæc distinctio ab aliquibus vocatur realis in tertio, ab alijs distinctio relationis, à *Patre Esparsa* distinctio innominata, quia extra Trinitatis mysterium, non habetur ullum ejus exemplum, de qua in *prima Parte.*

55. *Ad Confirmationem, Neg. Conseq. Disp. est:* Quia visio

visio respicit personas, *prout sunt à parte rei*; atqui à parte rei involvunt etiam naturam: ergo visio debet terminari etiam ad naturam, aliàs non esset intuitiva; at verò natura humana respicit suum complementum; atqui sola personalitas Verbi est tale complementum & non natura: ergo mirum non est, quòd unio hypostatica possit immediatè terminari ad personalitatem Verbi, quin similiter terminetur ad Naturam divinam.

Objicies 9nò. Secundùm eam rationem, Verbum divinum *immediatè*, ac *formaliter* unitur humanitati, secundùm quam *eminenter* continet perfectionem subsistentiæ humanæ; atqui illam continet secundùm rationem naturæ., non secundùm rationem proprietatis relativæ; quia relationes divinæ nullam dicunt formaliter perfectionem: ergo. *Resp. Dist. 2. partem Minoris.* Relationes divinæ nullam dicunt formaliter perfectionem secundùm rationem *Ad* consideratæ, *Conced.* secundùm rationem *In* consideratæ, *Neg. Min. & Conseq.* Relationes enim divinæ terminando Naturam divinam, inquantùm constituunt Personas divinas, in tantùm dicunt rationem *In*, & perfectionem infinitam; quatenùs verò præcisè unam personam alteri opponunt, eatenùs dicunt rationem *Ad*, nullámque explicant perfectionem; quia relationes quà tales, nihil ponunt in persona, sed tantùm unam alteri opponunt; omnis autem perfectio ponit aliquid in eo, cujus est perfectio: ergo. Et quia personalitas Verbi unitur humanitati secundùm rationem *In*, inquantùm videlicet personalitas Verbi subsistit in natura Divina, ideò communicat illi summam perfectionem. 56.

Objicies 10mò. Ex eo: *quòd unio hypostatica non videatur fuisse facta in Persona.* Jam sic: *S. August.* 57.

contra Felicianum cap. 11. ait : *In mediatore Dei & hominum, aliud Dei filius, & aliud Filius hominis fuit;* atqui aliud & aliud important duo diversa supposita: ergo. *Resp.* Explicando S. August: aliud fuit Dei Filius, & aliud filius hominis in ratione naturæ, *Conced.* Aliud in ratione personæ, *Neg.* textum S. August. Et ità se ipsum explicat *S. August.* dum ibidem ait: *aliud dicitur per distinctionem substantiæ, seu naturæ:* ergo.

58. *Objicies 11mò.* S. Hilarius, Cyprianus, & alij SS. Patres docent, Christum assumpsisse hominem; atqui homo est persona humana: ergo in Christo sunt duæ personæ. *Resp.* cum *Vasquez*, *Bellarmino*, & alijs explicando SS. Patres : docent assumpsisse hominem, prout *ly homo* significat humanitatem, seu naturam humanam in abstracto, *Conced.* Prout *ly homo* significat in concreto totum hominis suppositum, *Neg. SS. Patres ità locutos fuisse.* Aut potest dici: SS. Patres eô loquendi modô significâsse, quòd Christus assumpserit hominem in ratione suppositi constituendum, non autem præsuppositivè constitutum.

59. *Objicies 12mò.* Humanitas in Christo habet omnia, quæ spectant ad dignitatem naturæ humanæ; atqui personalitas propria, seu humana, spectat ad dignitatem naturæ humanæ, ùt patet ex *S. Thom. 1. p. q. 29. a. 3.* ergo humanitas in Christo habet personalitatem propriam seu humanam; atqui Natura divina in Christo etiam habet personalitatem suam propriam seu divinam: ergo. *Resp.* cum Sylvestro Mauro *hîc q. 24. Dist. Maj.* Habet omnia vel formaliter, vel æquivalenter & eminenter, *Conced.* Tantùm formaliter, *Neg. Maj.* Humanitas enim Christi longè meliori, dignorique modô subsistit in divina personalitate Verbi, quàm subsisteret per humanam propriam personalitatem: ergo. *Obji-*

Objicies 13tiò. Quando Christus dicitur Verbum, 60.
& Filius Dei, hoc non est intelligendum identicè, & substantialiter, sed accidentaliter, videlicet: ratione inhabitationis per gratiam, & propter singularitatem affectûs; sicut vir & uxor, dicuntur una caro ratione affectûs, quô se diligere debent: ergo. *Resp.* cum Godoy *q. 2. de Incarnat. Tract. 2. Disp. 9.* §. 6. *Neg. Ant.* Ratio est: quia, licèt Deus in multis justis inhabitet per gratiam, tamen non sequitur, nec licet dicere, quòd Deus fiat hic vel ille justus. *Item,* licèt uxor diligat maritum, aut vice versâ, tamen non sequitur, quòd per hoc fiat uxor maritus, aut vice versâ; atqui ex fide habemus, quòd Verbum sit caro factum, id est, Deus homo, seu Christus: ergo Christus non est solummodò Filius Dei ratione inhabitationis per gratiam, nec ratione specialis affectûs, sed ratione physicæ conjunctionis cum humanitate, in unitatem personæ.

Objicies 14tò. Terminus actionis non potest esse 61.
ante actionem; atqui persona Verbi erat ante actionem unitivam Verbi cum humanitate: ergo hæc persona, non fuit terminus actionis unitivæ, adeoque unio non est facta in persona Verbi. *Resp. Dist. Min.* Persona Verbi, ùt subsistens in sola Natura divina, erat ante hanc actionem unitivam, *Conced.* Ut subsistens in duabus naturis, videlicet divina, & humana, *Neg. Min.* Terminus enim resultans ex actione unitiva, est persona Verbi, ùt subsistens in duplici natura.

Objicies 15tò. Ubi sunt duæ generationes, ibi sunt 62.
duæ personæ, quia terminus generationis est persona seu suppositum; atqui in Christo sunt duæ generationes, nempe æterna, quâ generatur à Patre, & altera temporalis, quâ generatur à Matre Virgine: ergo. *Resp. Neg. Maj. Et Dist. ejus causalem.*

 Quia

Quia terminus totalis, & *ùt quod* generationis, est persona seu suppositum, *Conced.* Terminus formalis, & *ùt quo, Neg. causalem.* Concessâ *Min. Neg. Conseq.* Licèt enim persona terminet *ùt quod* generationem, adeoque sit id, *quod generatur*, ipsa tamen natura generationem terminat *ùt quo*, & per modum termini formalis ac specificativi; & sic natura est id, ratione cujus dicitur generari persona; unde, cùm in Christo sint duæ naturæ, potest eadem persona Verbi, proùt subsistit in Natura divina, terminare æternam generationem à Patre, & proùt subsistit in natura humana, terminare *ùt quod* generationem temporalem à Matre: ergo.

63. *Objicies 16tò.* Actiones totô genere diversæ, arguunt diversas personas; atqui in Christo sunt actiones totô genere diversæ, scilicet intellectio creata, & increata: ergo etiam sunt diversæ personæ. *Resp. Neg. Maj.* Quia idem suppositum humanum etiam, elicit operationes totô genere diversas, nempe naturales & supernaturales, & tamen homo non est duæ personæ: ergo à pari idem dicendum est de Christo. *Ratio autem à priori est:* quia subsistentia non est principium elicitivum operationis, sed tantùm conditio, ut natura operari possit: ergo.

64. *Objicies 17mò.* Natura humana, quam Verbum assumpsit, erat singularis, & individua; atqui omnis natura singularis & individua, si sit intellectualis, est persona: ergo illa natura humana, quam Verbum assumpsit, erat persona. *Prob. Min.* Juxta *Boëtium lib. de duabus naturis*, persona definitur: *Est intellectualis naturæ individua substantia:* ergo. *Resp. Neg. Min. Ad Probat.* Explico Boëtium cum *S. Thom. hìc q. 16. a. 12. ad 2.* Persona est intellectualis naturæ individua substantia, si in se, & per se subsistat, *Conced:* si

sub-

ſubſiſtat in alio, *Neg.* Natura autem humana aſſumpta à Verbo, ſubſiſtit in Verbo: ergo.

Objicies 18vò. Natura humana, eſt æquè completa ſubſtantialiter, & æquè perfecta in Chriſto, ſicut in alijs hominibus; atqui in alijs hominibus habet propriam ſubſiſtentiam: ergo etiam in Chriſto. *Reſp. Diſt. Maj.* Eſt æquè completa in ratione naturæ, *Conced.* In ratione perſonæ, *Neg. Maj.* Natura enim humana in Chriſto, in ratione perſonæ, eſt infinities perfectior, quàm in alijs hominibus; adeoque non eſt æquè completa, & perfecta. 65.

Objicies 19nò. Nullum nomen ſeu prædicatum, quod dicitur de pura creatura, poteſt univocè prædicari de perſona purè increata, & divina; atqui hoc nomen, *homo*, prædicatur univocè de Chriſto, & alijs hominibus, ùt fatentur omnes Theologi, contra paucos Nominales: ergo Chriſtus non eſt perſona, purè increata, ſed etiam creata, adeoque duplex eſt in Chriſto perſona. *Reſp. Diſt. Maj.* Nullum nomen, quòd prædicatur de pura creatura, poteſt univocè prædicari de perſona purè increata, quæ non eſt compoſita ex duabus naturis, nempe, creata, & increata, *Conced.* Quæ eſt ità compoſita, proùt eſt perſona Verbi poſt Incarnationem, *Neg. Maj.* Ad hoc enim, ut natura humana à ſuis individuis per intellectum abſtracta, prædicetur univocè de Chriſto, ſufficit, quòd in Chriſto ſit vera natura humana ſingularis, licèt ibi non ſit, ùt *in ſe, & per ſe ſubſiſtens*; ſpecies enim prædicatur immediatè de ſuis individuis, non autem ſuppoſitis. 66.

Objicies 20mò. Si Verbum ratione proprietatis relativæ, formaliter, ac immediatè uniretur humanitati, humanitas Chriſti referretur ad Patrem relatione originis; atqui hæc relatio intercedit ſolùm inter 67.

 Perſo-

Perſonas Divinas: ergo. *Reſp. Neg. ſequel. Maj.* Quia, ùt rectè docet *Suarez hìc Diſp.* 12. *Sect.* 2. licèt perſonalitas Chriſti referatur ad Patrem relatione originis, hâc tamen non refertur Chriſtus præcisè ùt homo, & ratione humanitatis, cùm Pater non generet humanitatem. Sicùt, quamvìs relatio filiationis terminet Divinitatem, non tamen ipſam Divinitatem refert ad Patrem, ſed ſolam perſonam Filij quâ talem; ità à pari proportionaliter eſt hìc diſcurrendum.

68. *Objicies 21mò.* Humanitas videtur ſolùm accidentaliter fuiſſe unita Verbo: ergo unio hypoſtatica non videtur fuiſſe facta in perſona. *Prob. Ant.* De Filio Dei *ad Philippenſes* 2. dicitur: Quòd ſit *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ùt homo*; atqui habitus unitur tantùm accidentaliter: ergo & humanitas. *Reſp. Neg. Ant. Ad Prob.* explico Apoſtolum. Et ille intelligendus eſt, quòd Dei Filius factus ſit in ſimilitudinem hominum, hoc ſenſu, quòd exteriùs ità ſe geſſerit, ac ſi non differret ab alijs hominibus, cùm tamen eſſet ſimul Deus, *Conced.* Quòd fuerit ad apparentiam homo, *Neg. textum Apoſtoli.* Cui autem illam ſpeciem & proprietatem naturæ humanæ, quam aſſumpſit Verbum, Apoſtolus vocet habitum, rationem dant Theologi cum *S. Auguſtino octuaginta trium quæſtionum, q.* 73. Quia, ſicut, dum homo induitur, veſtis mutat figuram, non homo indutus; ſic natura humana Divino Verbo unita, erat intrinſecè mutata & perfecta; Verbum tamen divinum per illam unionem nullô modô intrinſecè erat mutatum.

69. *Objicies 22dò.* Omne, quod unitur alteri ſubſtantialiter completo, unitur tantùm accidentaliter; atqui humanitas unita fuit perſonæ divinæ ſubſtantialiter completæ: ergo unita ipſi fuit, & eſt, acciden-

tali-

taliter: ergo unio non eſt facta ad perſonam Verbi. *Reſp. Diſt. Maj.* Quod unitur alteri ſubſtantialiter completo, ſi etiam hoc, quod unitur, ſit ſubſtantialiter completum, unitur tantùm accidentaliter, *Conced.* Si hoc, quod unitur, non ſit ſubſtantialiter completum, *Neg. Maj.* Natura autem humana, non erat ſubſtantialiter completa in ratione perſonæ, utpotè carens complementô ſubſtantiali, nempe propriâ ſubſiſtentiâ.

Objicies 23tiò. Quod unitur alteri ità, ut non ſpectet ad eſſentiam, unitur tantùm accidentaliter; atqui Verbum ità unitur humanitati, ut non ſpectet ad ejus eſſentiam: ergo. *Reſp. Diſt. Maj.* Quod unitur alteri, ità, ut non ſpectet ad eſſentiam, neque in eſſe compoſiti ac naturæ, neque in eſſe ſuppoſiti ac perſonæ, unitur tantùm accidentaliter, *Conced.* Quod ità unitur alteri, ut non ſpectet quidem ad eſſentiam in eſſe compoſiti, ſpectet tamen ad illam in eſſe ſuppoſiti, *Neg. Maj.* Similiter *Diſt. Min. & Neg. Conſeq.* Perſonalitas autem, licèt non ſpectet ad eſſentiam in eſſe compoſiti, ſpectat tamen formaliter ad eſſentiam ſubſtantiæ *per ſe ſubſiſtentis*, ac perſonæ; adeoque ad eſſentiam & ſubſtantiam in eſſe ſuppoſiti. 70.

Objicies 24tò. Inſtrumentum tantùm unitur accidentaliter ei, cujus eſt inſtrumentum; atqui humana natura in Chriſto, eſt inſtrumentum Verbi, ùt docet *S. Damaſcenus lib. 3. de fide. cap. 15.* ergo. *Reſp. Diſt. Maj.* Inſtrumentum ſeparatum, quod non trahitur ad unitatem ſuppoſiti, unitur tantùm accidentaliter ei, cujus eſt inſtrumentum, *Conced.* Quod trahitur in unitatem ſuppoſiti, *Neg. Maj.* Similiter *Diſt. Min. & Neg. Conſeq.* Licèt itaque humanitas ſit inſtrumentum Verbi divini, quia tamen trahitur in unitatem ſuppoſiti, ideò non unitur Verbo accidentaliter, ſed ſubſtantialiter: ergo &c. 71.

THE-

THESIS V.

Unio hypoſtatica (1mò.) tam in ratione unionis, quàm etiam in ratione doni, eſt omnium unionum maxima. Ità S. Thom. *3. p. q. 2. a. 11.* Scotus *in 3. Diſt. 6. q. 1.* Suarez *Diſp. 9. ſect. 1. & 2.* Amicus *Diſp. 8. ſect. 5. & 6.* Cum plurimis, quos ibidem pro hac ſententia adducit. De Rhodes *hìc Diſp. 2. q. 4. Sect. 2. §. 2.* Salmanticenſes *Tract. 21. hìc Diſp. 4. dub. 2. §. 2.* Et alij. *Chriſtus (2dò.) eſt verè, & propriè perſona compoſita.* Ità S. Thom. *3. p. q. 2. a. 4.* Godoy *Tract. 2. Diſp. 10. §. 1.* Gonet *Diſp. 6. a. 1. §. 1.* Et alij D. Thom. Diſcipuli. Eidem ſententiæ ſubſcribunt Vaſquez *Diſp. 16. cap. 2.* Cardinalis de Lugo *Diſp. 10.* Et alij plurimi, contra *Scotum in 3. Diſt. 2. q. 1.* Et alios Scotiſtas.

1. PRobatur 1ma pars Theſis. 1mò. Ex eo: *quòd unio hypoſtatica, tam in ratione unionis, quàm etiam in ratione doni, ſit omnium unionum maxima.* Unde, quòd ſit maxima in ratione unionis, ſic: *1mò.* Illa eſt maxima unio in ratione unionis, ex qua reſultat maxima unitas, poſt illam, quæ eſt in SS. Trinitate; atqui ex unione hypoſtatica reſultat maxima unitas poſt illam, quæ eſt in SS. Trinitate: ergo unio hypoſtatica eſt maxima unio in ratione unionis. *Prob. Min.* Authorit. S. Bernardi, qui *lib. 5. de conſid. ad Evgenium* ità dicit: *Inter omnia, quæ rectè unum dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis, quâ tres perſonæ una ſubſtantia ſunt; ſecundò locò illa præcellit, quâ è converſo*

tres substantiæ una in Christo persona sunt. Ex quo apparet, quòd S. Bernardus unionem hypostaticam præferat unioni naturali inter corpus & animam: ergo. *2dò.* Illa est maxima unio, in ratione unionis, per quam extrema ità uniuntur, ut inter illa fiat communicatio idiomatum; atqui per unionem hypostaticam fit communicatio idiomatum, ità, ut *homo* dicatur *Deus*, & *Deus homo*, quòd in nulla alia unione fit: ergo unio hypostatica est maxima in ratione unionis. *3tiò.* Quò magìs à se invicem distant extrema, & minùs unibilia sunt, eò perfectior, & major est unio, quæ talia extrema unit; atqui nulla extrema sunt magìs distantia, & minùs unibilia, quàm finitum & infinitum; Deus & creatura, cùm ad se nullam naturalem dicant propensionem, ùt observat *Amicus hic Disp. 8. sect. 5.* ergo. *4tò.* Illa unio est maxima simpliciter, in ratione unionis, quæ unit firmiùs & indissolubiliùs res substantiales, quarum utraque posset separatim existere; atqui unio hypostatica, ità unit humanitatem finitam, & personalitatem Verbi infinitam, uc nulla virtute creata dissolvi, & separari possint, cùm interim reliquæ res creatæ unitæ, à se invicem separari possint, destructâ unione ab agente naturali creato: ergo &c.

Confirmatur hoc ultimum cum Amico *Disp. 8. sect.* 2.
5. n. 128. Ideò visio beatifica inter omnes uniones maximè participat de immutabilitate, indissolubilitate, & perpetuitate visionis increatæ, (*ex qua ratione participata æternitas dicitur,*) quia inter omnes visiones creatas, proximè accedit ad visionem increatam, quâ Deus se ipsum immutabiliter contemplatur, & fruitur; atqui etiam unio hypostatica, inter omnes uniones creatas, proximè accedit ad increatam constitutionem, inter ipsas personalitates increatas, & Natu-

ram

ram divinam, non quidem quoad ſimplicitatem conſtitutionis, ſed quoad perfectionem conſtituti; cùm hæc unio includat pro extremo eandem increatam perſonalitatem Naturæ divinæ: ergo etiam unio hypoſtatica inter omnes uniones creatas, eſt maximè immutabilis, ac indiſſolubilis.

3. *Probatur 2dò.* Ex eo: *quòd unio hypoſtatica ſit etiam in ratione doni omnium unionum maxima.* Unde ſic: 1mò. S. Auguſt. *lib.* 13. *de Trinitate. cap.* 19. ità dicit: *Nulla major gratia eſt, quàm, quòd Deus fiat homo, & homo Deus, éſque tanta naturæ humanæ ſubvectio, ut, quò ampliùs attolleretur non haberet.* Idem habet *lib. de prædeſtinat. ſanctorum. cap.* 15. Ità inquiens: *Prædeſtinatio eſt iſta naturæ humanæ tanta, & tam celſa, & ſumma ſubvectio, ut quò attolleretur altiùs, non haberet.* Atqui ex his textibus clarè liquet, quòd unio hypoſtatica ſit omnium unionum maxima in ratione doni: ergo. *2dò.* Eò perfectius eſt donum, quô per ipſum perfectiùs communicatur eſſe Dei; atqui per unionem hypoſtaticam, perfectiſſimô modô communicatur eſſe Dei; nam per eam Deus fit homo, & homo Deus: ergo eſt in ratione doni omnium unionum maxima. Inſuper: ùt obſervat *Amicus hìc Diſp.* 8. *ſect.* 6. *n.* 148. ratione unionis hypoſtaticæ debetur naturæ humanæ cultus latriæ, ſeu talis adoratio, qualis Deo debetur, qui aliàs nulli creaturæ, quôcunque donô elevatæ, exhibetur: ergo. *3tiò.* Uniri ſubſtantialiter Deo, eſt perfectiùs, quàm eidem uniri tantùm accidentaliter, ùt teſtantur *Salmanticenſes Tract.* 21. *hìc Diſp.* 4. *dub.* 3. §. 1. *n.* 70. atqui per unionem hypoſtaticam unitur homo ſubſtantialiter Deo; per alias uniones, qualis etiam eſt beatifica, unitur tantùm accidentaliter, ùt omnes Theologi fatentur: ergo. *4tò.* Excellentiùs eſt, hominem fieri Deum,

quàm

quàm videre, vel amare Deum; atqui per unionem hypoſtaticam homo fit Deus; per unionem verò beatificam ſolùm videt, & amat Deum: ergo unio hypoſtatica eſt majus donum Dei, quàm viſio beatifica. 5tò. Excellentiùs eſt eſſe Filium Dei naturalem, quàm adoptivum tantùm; atqui per unionem hypoſtaticam redditur homo Filius Dei naturalis; per unionem verò luminis gloriæ, viſionis beatificæ, gratiæ, & charitatis, redditur tantùm filius adoptivus; imò horum omnium unio hypoſtatica eſt radix, & infert præfatas uniones, non tamen è converſo: ergo in ratione doni, eſt omnium unionum maxima.

Probatur 2da pars Theſis 1mò. Ex eo: *quòd Chriſtus ſit verè & propriè perſona compoſita.* Unde ſic: Quinta ſynodus generalis Conſtantinopolitana, poſtquam *actione 8. can. 4.* retuliſſet errorem Evtichetis, & Neſtorij, ità habet: *Sancta verò Dei Eccleſia, utriusque impietatem ejiciens, unitionem Verbi Dei ad carnem, ſecundùm compoſitionem confitetur, quod eſt ſecundùm ſubſiſtentiam; unitio enim per compoſitionem in myſterio Chriſti, non ſolùm inconfuſa, ea, quæ convenerunt, conſervat, ſed nec diviſionem ſuſcipit.* Quæ verba referuntur in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. *Conſultatione 4.* Et in eodem Concilio Canones *5tæ Synodi* confirmantur: ergo. 4.

Probatur 2dò. Authorit. SS. Patrum, præſertim S. Bernardi, qui *Sermon. 2. in Cantica*, ad illa verba: *Oſculetur me oſculô oris ſui*, ità dicit: *Attendite, ſit os oſculans Verbum aſſumens, oſculatum caro, quæ aſſumitur; oſculum verò quod pariter ab oſculante & oſculato conficitur, perſona ipſa ex utroque compacta, mediator Dei & hominum, homo Chriſtus JEſus*: ergo. Id ipſum docet S. Damaſcenus, qui *lib. 3. Fidei.* ità inquit: *In Domino JEſu Chriſto duas naturas agnoſcimus,* 5.

unam

unam autem hypostasim ex utraque compositam. Idem sentit S.Dionysius *de divinis nominibus. cap.* 4. Ubi hanc compositionem vocat : *Ineffabilem.* Et alij plurimi SS. Patres : ergo &c.

6. *Probatur 3tiò.* ratione, cum Godoy *Tract.* 2. *Disp.* 10. §. 1. Omnis unitas per se, aut est per simplicitatem, aut per compositionem; atqui Christus est per se unus, & non est unus per simplicitatem: ergo est unus per veram, & propriam compositionem. *Prob. Min:* Omnis simplicitas realem distinctionem constituentium excludit; atqui in Christo sunt plura realiter constituentia, & distincta: ergo Christus non est unus per simplicitatem, sed per veram compositionem. *Præterea:* illud est compositum, quod cùm unum sit, ex multis constat, ùt inquit *S. Basilius contra Evnomium*; atqui Christus unus est, & constat ex multis: ergo est verè, & propriè compositus.

7. *Probatùr 4tò.* cum Gonet *hìc Disp.* 6. *a.* 2. *n.* 27. Quod constat ex realiter distinctis, ad invicem unitis, est verè, & propriè compositum ex illis; *compositio enim est distinctorum unio*; atqui Christus constat ex realiter distinctis, ad invicem unitis, nempe, ex humanitate & personalitate Verbi : ergo est verè, & propriè persona composita.

8. *Probatur 5tò.* Terminus unionis hypostaticæ, non est aliquid simplex, sed compositum; atqui persona Christi, est terminus unionis hypostaticæ: ergo non est simplex sed composita. *Min. est certa. Prob. Maj.* Tum, quia contra rationem unionis est, terminari ad aliquid simplex, cùm semper unio sit respectu distinctorum. Tum etiam, quia extrema simplicia illius unionis præexistebant unioni; atqui quod præexistit unioni, non est terminus illius : ergo terminus unionis non est quid simplex, sed compositum.

Prô-

Probatur 6tò. Quod Concilia, & SS. Patres absque 9.
limitatione, & diminutione dicunt esse compositum, hoc dicendum est esse compositum sinè limitatione, & diminutione, teste *Godoy loc. sup. cit. n. 8.* Atqui Concilia, & SS. Patres supra relati, absolutè, & absque ulla limitatione, dicunt Personam Christi esse compositam: ergo id ipsum tenendum, & dicendum est. *Præterea:* Nam ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa; atqui in re ità est, quòd Christus sit persona composita: ergo id absolute dicendum est; nec in hoc modo loquendi est ulla convenientia cum Hæreticis, dicendo: quòd Christus sit persona propriè composita, ùt testatur *Godoy loc. sup. cit.*

Probatur 7mò. Compositio est distinctorum unio, ùt 10.
superiùs insinuatum est: ergo unio realis distinctorum realiter, est realis compositio; & unio propria extremorum propriè distinctorum, est verè & propriè compositio; atqui Christus constat ex pluribus propriè distinctis; nam humanitas distinguitur à Verbo Divino, & uniuntur sibi verè & propriè, cùm nulla ratio adsit, cur unio hypostatica non deberet dici propriè unio: ergo Christus est compositus verâ, & propriâ compositione.

Probatur 8vò. Ubi est multitudo rerum absque com- 11.
positione, necessarium est, ut ibi sit inordinata confusio, ùt patet in acervo lapidum; atqui in Christo est multitudo rerum, & persona Christi non est inordinata confusio naturarum: ergo persona Christi debet esse composita. Ex his

Colligitur, quòd ex immediata compositione huma- 12.
nitatis & personalitatis Verbi, consequatur mediata compositio duarum naturarum, nempe: Divinæ & humanæ in una persona; adeoque Christus est perso-

na verè & propriè composita etiam ex duabus naturis. *Ratio est*: quia persona Verbi in se realiter includit Naturam divinam: ergo hæc Natura divina, mediatè unitur naturæ humanæ, in una persona Verbi.

13. *Dices*. Concilium Constantiense *actione 15*. damnavit hunc articulum *4tum* Joannis Huss: *Christus est natura Divina & humana*; atqui Christus esset verè natura divina & humana, si ex utraque componeretur: ergo. *Resp*. Damnatam esse illam propositionem, propter pravum sensum, quô illam intelligebat *Huss*, qui secutus est *Wiclephum*; dicebat enim Christum esse naturam Divinam & humanam divisivè, non autem copulativè, ùt testatur *Valdensis lib. 1. fidei. a. 3. cap. 39. & 42.* Falsum autem est, Christum esse naturam Divinam & humanam divisivè, cùm compositio naturarum duarum, tollat earundem divisionem, licèt non tollat distinctionem, proùt distinctio opponitur identitati: ergo

§. I.

Solvuntur objectiones contra primam partem Thesis, *quæ dicit: quòd unio hypostatica, tam in ratione unionis, quàm in ratione doni sit, omnium unionum maxima.*

14. OBjicies *imò*. Ex eo: *quòd major sit unio inter materiam & formam, ùt vult Durandus, quàm inter humanitatem & Verbum divinum; adeoque quòd unio hypostatica in ratione unionis non sit omnium unionum maxima.* Unde sic: Illa est major unio in ratione unionis, ex qua fit aliquid magìs unum; atqui ex unione materiæ & formæ, fit aliquid magìs unum, quàm ex unione hypostatica: ergo unio materiæ

teriæ & formæ, eſt major in ratione unionis, quàm unio hypoſtatica. *Prob. Min.* Ex unione materiæ & formæ, fit aliquid unum in natura, & ſuppoſito; ex unione verò hypoſtatica, fit tantùm unum in ſuppoſito: ergo ex unione materiæ & formæ, fit aliquid magìs unum, quàm ex unione hypoſtatica. *Reſp.* *Neg. Min.* *Ad Prob. Diſt. Conſeq.* Fit aliquid magìs unum extenſivè, *Conced.* Intenſivè, de quo ſolummodò eſt quæſtio, *Neg. Conſeq.* Ex quo apparet, quòd unitas humanitatis cum Perſona divina, debeat dici ſimpliciter major, quàm unitas ex materia & forma. Hinc S. Thomas *hìc q.* 2. *a.* 9. *ad* 3. ità dicit: *Dicendum, quòd unitas divinæ Perſonæ eſt major, quàm ſit unitas & perſonæ, & naturæ in nobis: & ideò unio Incarnationis eſt major, quàm unio animæ, & corporis in nobis:* ergo &c.

Objicies 2dò. Illa magìs uniuntur, quæ minùs ſunt 15. ſeparabilia; atqui materia & forma ſunt minùs ſeparabiles, quàm duæ naturæ in Chriſto: ergo ſibi magìs uniuntur: ergo. *Reſp. cum Gonet hìc Diſp.* 6. *a.* 6. *n.* 110. *Neg. Maj.* Nam ſola inſeparabilitas, non eſt ſignum majoris unionis, aliàs unio quantitatis ad corpus, eſſet major, unione animæ cum corpore; cùm quantitas non poſſit ſeparari à corpore, bene tamen anima à materia. Unde *Neg. Min. & Conſeq.*

Objicies 3tiò. Materia & forma magìs ſibi propor- 16. tionantur, & magìs ad ſe invicem ordinantur, quàm humanitas & perſonalitas Verbi: ergo etiam ſibi magìs uniuntur. *Reſp. Diſt. Conſeq.* Magìs ſibi uniuntur, id eſt, faciliùs, *Conced.* Magìs, id eſt, ſimpliciùs, *Neg. Conſeq.* Simpliciùs enim unitur perſonalitas Verbi cum natura humana, quia perſonalitas Verbi non eſt pars, ſicut eſt forma; adeoque etiam inter perſonalitatem Verbi, & naturam humanam, di-

cenda est major unio: ergo. Aut etiam potest dici cum *Suarez hic Disp. 9. sect. 1.* Quòd inter materiam & formam sit major proportio naturalis, non autem obedientialis, quæ tamen inter humanitatem & Verbum intercedit, éstque altioris ordinis; unde sufficit, ut unio hypostatica possit dici major, quàm unio naturalis. Non negamus tamen, quòd unio inter materiam & formam possit dici major secundùm quid, & hoc videtur velle *Vasquez 3. p. Disp. 20. cap. 2.* dum in contrariam nclinat sententiam, nempe, propter quandam *facilitatem*; nam possunt sibi uniri etiam ab agente naturali creato; nihilominùs in ratione *efficaciæ*, & *vis uniendi*, unio hypostatica est major, quàm quæcunque unio naturalis, quia unit infinitè distantia.

17. *Objicies 4tò.* Unio, quâ uniuntur ità duo, ut non possint separari salvâ consistentiâ partium, est major unione, quâ duo ità uniuntur, ut possint separari salvâ consistentiâ partium; atqui anima & corpus, non possunt separari salvâ consistentiâ partium, natura autem humana & divina possunt separari salvâ consistentiâ partium: ergo. *Resp. cum Sylvestro Mauro hic, lib. 9. q. 27. Dist. Maj.* Unio, quâ uniuntur ità duo, ut non possint separari salvâ consistentiâ partium, est major unione, quâ duo ità uniuntur, ut possint separari salvâ consistentiâ partium, si cætera sint paria, &, si uniantur in aliquo æquè uno, *Conced.* Si uniantur in aliquo minùs uno, utì contingit de anima & corpore, *Neg. Maj.* Similiter *Dist. Min. & Neg. Conseq.* Præterea dico: quòd etiam natura humana Christi, non possit separari à Verbo salvâ consistentiâ, hoc est, salvâ totâ perfectione, quâ *intrinsecè substantialiter* perficitur, sicut anima rationalis non potest separari à corpore, salvâ totâ perfectione, quâ perficitur à corpore; adeoque ex hoc non potest inferri, quòd inter animam

& cor-

& corpus ſit major unio, quàm ſit unio hypoſtatica.

Objicies 5tò. Illud compoſitum eſt magis unum, 18.
quod conſtat ex partibus minùs diſtinctis; nam quæ habent minùs pluralitatis, plùs habent unitatis; atqui natura & ſuppoſitum creatum minùs diſtingvuntur, quàm humanitas & Verbum: ergo compoſitum ex natura & ſuppoſito creato, eſt magis unum, quàm compoſitum ex Verbo & humanitate: ergo unio hypoſtatica non eſt omnium unionum in ratione unionis maxima. *Reſp. cum de Rhodes Diſp. 2. q. 4. ſect. 2. §. 2. Diſt. Maj.* Illud plùs habet unitatis per ſimplicitatem, quod habet minùs pluralitatis, *Conced.* Illud plùs habet unitatis per unionem, quod habet minùs pluralitatis, *Neg. Maj.* Si enim duo realiter uniantur, quorum unum ſit *ſimpliciſſimum*, magis facient unum per compoſitionem, quàm ſi uniantur duo, quorum alterutrum ſit modaliter diſtinctum: ergo, licèt ſubſiſtentia creata diſtinguatur tantùm *modaliter* à natura creata, quia tamen perſonalitas Verbi eſt quid ſimpliciſſimum, ideò unita naturæ humanæ, magis facit unum, quàm ſubſiſtentia creata cum natura creata.

Objicies 6tò. Major eſt unitas eſſentiæ & naturæ, 19.
quàm unitas perſonæ: ergo major eſt unio ex qua reſultat unitas eſſentiæ & naturæ, quàm ſit illa, ex qua reſultat unitas ſolius perſonæ; atqui ex unione naturali cujuscunque compoſiti, reſultat unitas eſſentiæ; ex unione autem hypoſtatica reſultat tantùm unitas perſonæ: ergo major eſt unio naturalis cujuscunque compoſiti, quàm unio hypoſtatica. *Reſp. Diſt. Ant.* Major eſt unitas eſſentiæ creatæ, quàm unitas perſonæ creatæ, *Tranſ.* Major eſt unitas eſſentiæ creatæ, quàm unitas perſonæ increatæ ſubſiſtentis in natura creata, & increata, *Neg. Ant.* *Ratio hujus eſt:*

quia

quia ibi est major unitas, ubi est major simplicitas; ibi autem est major simplicitas, ubi minor est compositio; ibi verò minor est compositio, ubi componentia minùs habent rationem partis propriè dictæ; ibi autem componentia minùs habent rationem partis propriè dictæ, ubi saltèm unum componens non est *propriè pars perfectibilis* ab altera sua comparte; atqui sic se res habet in proposito, nam persona Verbi non est *perfectibilis* ab humanitate, sed est purè *perfectiva* illius: ergo compositio Christi ex humanitate, & personalitate Verbi, est minima, & consequenter unitas compositi, est maxima; quò enim minor est compositio, eò major est unitas: ergo & unio est maxima.

20. *Objicies 7mò.* Quæ maximè distant, non possunt maximè uniri; atqui verbum divinum, & natura humana maximè distant; Verbum enim divinum est infinitum, natura autem humana est finita: ergo. *Resp. Dist. Min.* Verbum divinum & natura humana maximè distant, in ratione entis & potentiæ naturalis, *Conced.* In ratione perfectibilis & perfectivi, ac in ratione potentiæ obedientialis, *Neg. Min. & Conseq.* Licèt enim Verbum divinum, & natura humana, maximè distent in *ratione entis & potentiæ naturalis*, cùm ad se invicem nullam dicant proportionem naturalem & inclinationem, non tamen à se invicem maximè distant in ratione *perfectibilis & perfectivi*; Siquidem Verbum divinum summè perficit naturam humanam in Christo, & illa perficitur summè à Verbo divino, stante potentiâ obedientiali: ergo &c.

21. *Objicies 8vò.* Unio maxima debet inferre maximam unitatem; atqui maxima unitas, est unitas simplicitatis, quam unio hypostatica non infert: ergo. *Resp. Dist. Maj.* Debet inferre maximam unitatem in suo genere, seu unitatem compositionis, *Conced.* Unitatem

tem diversi generis, qualis est unitas simplicitatis, *Neg. Maj.* Similiter *Dist. Min. & Neg. Conseq.*

Objicies 9nò. Major unitas est inter extrema, & 22.
prædicata identificata, quam inter personam Verbi & naturam humanam in Christo: ergo identitas est major unitas. *Resp. Dist. Conseq.* Identitas est major unitas simplicitatis, non præsupponens extremorum distinctionem, *Conced.* Est major unitas compositionis, quæ præsupponit extremorum distinctionem, *Neg. Conseq.* Nos præcisè dicimus, unionem hypostaticam esse maximam, inter unitates compositionis.

Objicies 10mò. Illud est magìs unum, quod per se, 23.
& ratione suæ unitatis est unum, quàm, quod est unum ex eo solùm, quia in eo plura conjuncta sunt; atqui unitas, quæ est principium numeri, est aliquid per se, & ratione suæ unitatis unum: ergo est magìs unum, quàm Christus. *Resp. Dist. Min.* Unitas quæ est principium numeri, est per se unum unitate simplicitatis, vel unitas in abstracto, *Conced.* Est unum unitate compositionis, vel unitas in concreto, quæ resultat ex unione, *Neg. Min. & Conseq.* Si enim unitas, quæ est principium numeri admittatur esse *una, unitate simplicitatis* vel *in abstracto*, tunc non bene arguitur ab illa ad unionem hypostaticam; Si verò illa unitas dicatur esse *una in concreto* & per unionem, tunc non potest dici magìs esse una, quàm unus sit Christus, ùt consideranti patet: ergo &c.

Objicies 11mò. Dantur uniones naturales, quæ tan- 24.
tam habent firmitatem, quantam unio hypostatica, quia etiam hæ nullâ virtute creatâ dissolvi possunt; talis est unio materiæ cum quantitate, animæ cum suis potentijs; item cujusvis naturæ puræ creatæ, cum suą propria subsistentia: ergo unio hypostatica non est omnium maxima, quoad firmitatem. *Resp.*

 Dist.

Dist. Ant. Dantur uniones naturales accidentales, nullâ virtute creatâ dissolubiles, *Conced.* Substantiales, *Neg. Ant. & Conseq.* Firmitatem unionis hypostaticæ, non comparamus cum unionibus *accidentalibus*, sed cum *substantialibus*; quia, cùm unio hypostatica sit substantialis, est major, & in altiori ordine, quàm omnes uniones accidentales. Proinde, licèt unio quantitatis physicæ cum materia, & potentiarum spiritualium cum anima, sit secundùm quid æqualis unioni hypostaticæ, scilicet, in ratione *firmitatis*, & *indissolubilitatis* per virtutem creatam; quia tamen utraque est accidentalis, ideò utraque est simpliciter minor, & inferior. Quamvìs autem natura purè creata, uniatur substantialiter suæ propriæ subsistentiæ, non tamen unitur illi per distinctam ab utroque extremo unionem; quia subsistentia creata per se ipsam, est *essentialiter* affixa suæ naturæ, hìc autem quæritur: utrùm unio hypostatica sit in ratione unionis maxima, inter omnes illas uniones *substantiales*, quæ ex natura rei distingvuntur à suis extremis: ergo.

25. *Objicies 12mò.* Si Verbum assumpsisset naturam Angelicam, illa unio fuisset major, quàm hæc cum natura humana: ergo unio hypostatica non est simpliciter maxima. *Resp. Dist. Ant.* Fuisset major extrinsecè & terminativè, propter majorem perfectionem extremorum, *Conced.* Fuisset major intrinsecè, formaliter, & in ratione unionis, *Neg. Ant. & Conseq.*

26. *Objicies 13tiò.* Ex eo: *quòd unio hypostatica non videatur esse maxima in ratione doni.* Jam sic: Gratia habitualis est majus, & præstantius donum, quàm unio hypostatica: ergo. *Prob. Ant.* Sicut per hanc unionem, humanitati datur persona Verbi, ità per gratiam datur homini Spiritus S.: ergo. *Resp. cum Salmanti-*

manticensibus Tract. 21. *Disp.* 4. *dub.* 3. §. 3. *Neg. Ant. Ratio est: imò.* Quia gratia habitualis, neque *ùt quod*, neque *ùt quo* constituit Filium Dei naturalem, sicut constituit unio hypostatica. *2dò.* Unio hypostatica nec debetur naturæ secundùm se, nec ùt habenti gratiam, quantumcunque perfectam; at verò gratia, licèt non debeatur naturæ secundùm se, debetur tamen naturæ, ùt habenti unionem ad Verbum. *Ad Probationem* Neg. paritatem Antecedentis, *Disp. est*: quia Verbum sic datur humanitati, ut cum illa unam substantiam componat; at verò per gratiam datur Spiritus S. sic, ut tamen per illam non componat cum creatura unum per se, & unam Substantiam: ergo &c.

Objicies 14tò. Saltèm visio beatifica est præstantius 27. donum: ergo. *Prob. Ant.* Visio est vitalis possessio Dei, non autem unio hypostatica: ergo visio beatifica est præstantior. *Resp. Neg. Ant. Ad Prob. Dist. Conseq.* Ergo visio beatifica est præstantior secundùm quid, nempe in ratione vitalitatis, *Conced.* Est simpliciter præstantior in ratione doni, *Neg. Conseq.* Aliàs etiam sensatio, cùm sit vitalis, esset simpliciter perfectior, quàm gratia habitualis, quod tamen à Theologis non admittitur: ergo.

Objicies 15tò. Visio beatifica est perfecta operatio 28. intellectualis naturæ; unio autem hypostatica est tantùm modus: ergo visio beatifica est perfectior unione hypostaticâ. *Resp. Neg. Conseq.* Ex Antecedenti enim non sequitur, quòd perfectior sit visio, sed tantùm arguitur peculiaris potentia, à qua elici debet visio; neque sequitur, visionem esse perfectiorem in entitate, sed tantùm in modo essendi, quatenùs scilicet unio est modus, *essentialiter* dependens ab extremis, non verò visio; aliàs etiam substantia esset perfectior, quàm gratia, aut quodcunque do-

num supernaturale, quia illa habet modum essendi *per se*, gratia verò *per accidens*; atqui hoc non: ergo nec illud.

29. *Objicies 16tò.* Illud est excellentius donum, quod soli creaturæ rationali concedi potest, quàm illud, quod etiam potest conferri creaturis irrationabilibus; atqui visio beatifica solis creaturis rationalibus concedi potest, unio autem hypostatica etiam irrationalibus: ergo visio beatifica est donum excellentius. *Resp. Neg. Maj.* Quia ex hac majori communicabilitate unionis hypostaticæ, potiùs debet inferri, eam esse perfectiorem, & excellentiorem; cùm enim omne bonum sit *sui communicativum*, quô magìs est aliquid *sui communicativum*, eò majus censetur esse bonum; adeoque cùm unio hypostatica sit magìs *sui communicativa*; ideò debet censeri esse majus bonum, visione beatificâ: ergo.

30. *Objicies 17mò.* Visio beatifica perficit videntem, unio hypostatica destruit propriam subsistentiam humanitatis: ergo visio beatifica est majus bonum, quàm unio hypostatica. *Resp. Dist. 2dam partem Anteced.* Unio hypostatica destruit propriam subsistentiam, ità tamen, ut illam suppleat modô longè perfectiori, *Conced.* ità ut illam non suppleat modô longè perfectiori, *Neg. 2dam partem Ant. & Conseq.*

31. *Objicies 18vò.* Per visionem beatificam communicatur nobis tota SS. Trinitas; per unionem verò hypostaticam, sola personalitas Verbi: ergo visio beatifica est major in ratione doni. *Resp. Dist. Ant.* Communicatur nobis tota SS. Trinitas accidentaliter, *Conced.* Substantialiter, *Neg. Ant. & Conseq.* Substantialis autem communicatio procul dubiò est major, quàm accidentalis: ergo.

32. *Objicies 19nò.* Unio hypostatica terminata ad omnes tres

tres Personas Divinas, esset perfectius donum, quàm, si sit tantùm terminata ad unam personam: ergo hæc unio non est maxima in ratione doni. *Confirmatur.* Visio omnium personarum est perfectior, quàm visio unius tantùm personæ: ergo etiam unio terminata ad plures personas est major, quàm terminata ad unam tantùm personam. *Resp. Dist. Ant. Argum.* Unio terminata ad tres Personas Divinas, esset perfectior extensivè intrà eundem ordinem, *Conced.* Intensivè, & extra eundem ordinem, *Neg. Ant.* Unio enim hypostatica ad omnes tres Personas Divinas terminata, non variaret ordinem, sed tantùm extenderet perfectionem intrà eundem ordinem; Sicut neque Natura Divina, ùt subsistens in tribus personis est intensivè, sed tantùm extensivè perfectior, quàm ùt subsistens in una persona. *Ad Confirmat. Dist. similiter Ant.* Visio omnium personarum est perfectior extensivè, quàm visio unius tantùm personæ, *Trans.* Intensivè, *Neg. Ant.* Et sub simili Distinctione, *Neg. Conseq.*

Objicies 2omò. Per Evcharistiam unitur nobis totus 33.
Christus, qui est donum infinitum: ergo Evcharistia est majus bonum. *Resp. cum Salmanticensibus loc. sup. cit. Dist. Ant.* Unitur nobis totus Christus, sed solummodò accidentaliter, & in ordine ad præstandos nobis effectus gratiæ per suam præsentiam realem, *Conced.* Unitur nobis substantialiter, & in ordine ad constituendum nobiscum unum suppositum, *Neg. Ant.* Plùs autem confertur gratiæ, ad exigentiam unionis hypostaticæ, quàm nobis conferatur per communionem Evcharistiæ, etiam quotidianam. *Præterea:* unio hypostatica fundat communicationem idiomatum inter Deum & hominem, quam non fundat communio Evcharistica: ergo &c.

§. II.

§. II.

Solvuntur objectiones contra secundam partem Thesis, quæ dicit: quòd Christus sit verè, & propriè persona composita.

84. OBjicies 1mò. Ex eo: *quòd in Christo non admittantur partes, adeoque nec vera & propria compositio.* Unde sic cum Scotistis: De ratione compositi est, ut componatur ex pluribus partibus; atqui Verbum non potest esse pars: ergo neque potest componi cum humanitate, ità, ut faciat propriè dictum compositum. *Major* videtur esse certa; quia componere, est totum ex partibus facere. *Min.* etiam est evidens. Nam omnis pars est quid incompletum, & imperfectum; Atqui Verbum divinum non potest esse quid incompletum, & imperfectum: ergo. *Resp. cum Gonet hìc Disp. 6. a. 2. §. 2. Neg. Maj.* Nam de ratione compositi ùt sic, est solùm, ut componatur ex pluribus à parte rei distinctis, sive illa plura se mutuò perficiant, sive non; si omnia, ex quibus aliquid componitur perficiant se mutuò, tunc componentia habent rationem partis, hoc est rationem *entis incompleti*, & *perfectibilis*. Si verò unum perficiatur, alterum purè perficiat, tunc illud solùm, quòd perficitur, habet rationem partis, non verò illud, quod perficit; unde compositum latiùs patet, quàm totum strictè acceptum, sicut latiùs patet actus, quàm forma. Quia verò Verbum divinum perficit humanitatem in Christo, & vice versâ non perficitur ab humanitate, ideò, licèt humanitas possit dici pars, Verbum tamen nullô modô

dô poteſt ſubire rationem partis, ùt obſervat *Sylveſter Maurus lib. 9. q. 24. n. 12.*

Objicies 2dò. Omne compoſitum dependet à ſuis 35. componentibus; atqui perſona Chriſti non poteſt dependere ab alio, cùm ſit increata: ergo Chriſtus non eſt verè, & propriè perſona compoſita. *Reſp. Diſt. Min.* Perſona Chriſti ùt terminans Naturam Divinam, non poteſt dependere ab alio, *Conced.* Ut terminans naturam humanam, *Subdiſt.* Non poteſt pendere ab alio ſecundùm id, quod dicit in recto, *Conced.* Secundùm id, quod dicit in obliquo, *Neg. Min. & Conſeq.* In Chriſto eſt perſona Verbi, terminans naturam Divinam, & ſic non eſt compoſita, quia realiter identificata; in quantùm verò eadem perſona Verbi terminat naturam humanam in Chriſto, in tantùm eſt compoſita; unde perſona Chriſti ſecundùm hunc obliqvum, & naturam humanam, dependet ab alio.

Objicies 3tiò. Omne compoſitum eſt melius & per- 36. fectius, quôcunque ex componentibus ſeorſim ſumptis; atqui Chriſtus non eſt quid melius, quàm ipſius componentia: ergo Chriſtus non eſt compoſitus. *Reſp. Diſt. Maj.* Omne compoſitum eſt melius, quàm componentia ſeorſim ſumpta, ſi utrumque componens ſit finitum, & incompletum, adeoque perfectibile, *Conced.* Si unum ſit infinitum, & continens eminenter omnem perfectionem alterius extremi, *Neg. Maj.* Verbum autem divinum eſt infinitum, & continet eminenter omnem perfectionem naturæ humanæ; adeoque Chriſtus non eſt perfectior, quàm Verbum divinum ſeorſim ſumptum, ſicut Deus & creatura ſimul non ſunt quid perfectius, quàm ſolus Deus, ſeorſim ſumptus. *Amicus hic Diſp. 9. ſect. 2. n. 23.* Aut etiam poteſt *ſic Diſtingui Maj. cum Sylveſtro Mau-*

ro lib. 9. q. 24. n. 14. compositum est melius componentibus seorsim sumptis, si componatur ex talibus, quorum singula sint pars, *Conced.* si componatur ex talibus, quorum singula non sint pars, utì hic contingit, *Neg. Maj.* similiter *Dist. Min: Et Neg. Conseq.*

37. *Objicies 4tò.* Quod est summè simplex, non potest componi cum alijs; atqui Verbum divinum est summè simplex: ergo non potest componi cum alijs, *Resp. cum Sylvestro Mauro lib. 9. q. 24. n. 12. Dist. Maj.* Quod est summè simplex, non potest componi cum alijs per modum partis perfectibilis, *Conced.* Per modum actûs purè perfectivi, *Neg. Maj.* Summa simplicitas consistit in hoc, ut ens habeat esse, ac perfectionem intrinsecam, non constantem ex pluribus realiter distinctis, sed sit totum suum esse, & tota sua perfectio; atqui hoc adhuc Verbo convenit, licèt uniatur naturæ humanæ: ergo.

38. *Objicies 5tò.* Omne compositum est posterius suis componentibus; atqui persona Verbi, non potest esse posterior: ergo neque componens. *Resp. Dist. Min.* Persona Verbi, ùt terminans Naturam divinam, non potest esse posterior, *Conced.* Ut terminans naturam humanam, *Neg. Min. Et Conseq.* Persona Verbi solummodò est posterior ratione terminationis, quod nullam involvit repugnantiam; non autem est posterior ratione existentiæ aut durationis, cùm persona Verbi fuerit ab æterno.

39. *Objicies 6tò.* Si Christus esset verè compositus, vera esset hæc propositio: *Verbum divinum est verè compositum*; quia, quæ dicuntur de Christo, possunt etiam per communicationem idiomatum, dici de Verbo divino; atqui hæc propositio est falsa: ergo. *Resp. Dist. Maj.* Hæc propositio esset vera: *Verbum divinum est verè compositum*; cum hoc addi-

addito, Verbum divinum ùt ſubſiſtens in natura humana, *Conced.* ſinè hoc addito, & intelligendo Verbum divinum præcisè ſecundùm ſe, &, ùt præcisè ſubſiſtens in ſola natura divina, *Neg. Maj.* Ad id verò quod additur de communicatione idiomatum, dicendum eſt: quòd ea, quæ abſolutè dicuntur de Chriſto, poſſint dici abſolutè de Verbo, & Filio Dei, nisì ſint talia, quæ determinant hoc ſubjectum *Chriſtus*, ad hoc, ut ſtet ſolùm pro compoſito ex natura humana & divinitate; hæc autem prædicata: *Chriſtus eſt compoſitus*; *Chriſtus eſt terminus reſultans ex unione perſonali duarum naturarum*; determinant ipſum Chriſtum ad ſtandum pro aggregato ex natura humana & Divinitate, & ſic non poſſunt dici ſinè addito de Filio Dei, aut de Verbo, ſed ſolummodò cum addito, quatenùs eſt perſona humana.

Objicies 7mò. Perſonalitas Verbi eſt medium, in 40
quo Natura Divina & humana uniuntur in Chriſto; atqui medium in quo extrema uniuntur, non eſt extremum componens: ergo perſonalitas Verbi non eſt extremum componens; & conſequenter Chriſtus non eſt compoſitus ex perſonalitate Verbi, & humanitate. *Reſp. Diſt. Maj.* Perſonalitas eſt purum medium, in quo uniuntur duæ naturæ, *Neg.* Eſt ità medium, ut ſub alio reſpectu ſit componens, *Conced. Maj.* Inſtantia eſt in quantitate; licèt enim quantitas ſit medium, in quo qualitas, v. g. albedo, unitur corpori, nihilominùs in quantùm eadem qualitas unitur etiam quantitati, hoc reſpectu qualitas eſt extremum, & reperitur vera compoſitio, non tantùm inter corpus & qualitatem, ſed etiam inter qualitatem & quantitatem. Hinc etiam quantitas ſeparata in Eucharistia, dicitur alba, adeoque facit compoſitionem cum albedine.

Obji-

41. *Objicies 8vò.* Si Christus esset compositus, sequeretur, quòd in illo essent duæ personæ; atqui hoc est hæreticum: ergo. *Prob. sequel. Maj.* Persona simplex, distinguitur à persona composita; atqui in Christo esset persona simplex, nempè Divina; & composita, nempe humana: ergo in Christo essent duæ personæ. *Resp. Neg. sequel. Maj. ad Prob. Dist. Maj.* Persona simplex distinguitur à composita, vel adæquatè, vel inadæquatè, *Conced.* semper adæquatè, *Neg. Maj.* Persona enim Divina, distinguitur tantùm à persona humana in obliquo considerata, nempe, ab humanitate, non autem à personalitate, ùt observat *Godoy q. 2. de Incarnatione. Tract. 2. Disp. 10. §. 2. n. 31.* Quia hæc est eadem; subit enim vices personalitatis creatæ, per consequens non dantur ibi duæ personæ; nam ad hoc, ut sint duæ personæ, requiritur, ut duæ naturæ habeant duas subsistentias ex natura rei distinctas, quod non contingit in Christo. Insuper aliqui Theologi dicunt, ùt videre est apud *Godoy loc. sup. cit. §. 5. n. 70.* Quòd persona Christi non sit composita compositione *hujus ex his*, sed *hujus ad hoc*, seu *cum his*. Ex eo, quòd omne compositum *compositione ex his*, dependeat à componentibus tanquam à partibus constituentibus ipsum, sitque illis posterius, saltèm ordine naturæ; atqui personalitas Christi non dependet à Natura Divina, & humana, tanquam à partibus constituentibus ipsam, nec est aliquid illis posterius, sed præexstitit uni ex illis, scilicet, naturæ humanæ: ergo persona Christi non est composita ex Natura Divina & humana, compositione *hujus ex his*, sed *hujus ad hoc*, seu *cum his.*

42. *Objicies 9nò.* Omne, quod componitur ex aliquibus, videtur esse homogeneum ex illis; ùt patet

tet in corporibus, ex quibus non componitur nisi corpus; atqui ex Verbo & natura humana, non potuit resultare aliquid homogeneum, aliàs unio fuisset facta in natura, quod est contra Thesim praecedentem: ergo neque compositum. *Resp.* Verbis S. Thomae *hic q. 2. a. 4. ad 3. Dicendum, quòd non in omni compositione hoc verificatur, quòd illud, quod componitur, sit homogeneum componentibus, sed solùm in partibus continui. Nam continuum non componitur nisi ex continuis, animal verò componitur ex anima & corpore, quorum neutrum est animal*; adeoque juxta S. Thomam non omne quod componitur ex aliquibus, debet necessariò esse homogeneum ex illis; unde *Neg. Maj.*

Objicies 10mò. Si persona Christi esset composita ex Verbo & natura humana, tunc Persona Christi esset minùs simplex, quàm natura humana, siquidem omne compositum est minùs simplex componentibus; atqui hoc non potest dici: ergo nec illud. *Resp. cum Sylvestro Mauro lib. 9. q. 24. n. 16. Dist. Maj.* Persona Christi esset minùs simplex, quàm natura humana, formaliter sumpta, & ùt subsistens in duabus naturis, *Conced.* Esset minùs simplex Personâ Christi secundùm se sumptâ, *Neg. Maj.* Similiter *Dist. Min. & Neg. Conseq.* 43.

Objicies 11mò. Persona Christi non potest dici verè facta; atqui si esset composita, posset dici verè facta: ergo. *Prob. Min.* Quod est posterius *naturâ* componentibus, est factum ex illis; atqui persona composita Christi, esset naturâ posterior componentibus: ergo esset facta. *Resp. cum Godoy q. 2. de Incarnat. tract. 2. Disp. 10. §. 2. n. 21. Dist. Maj.* Persona Christi non potest dici verè facta, proùt in Divinitate subsistit, *Conced.* Proùt subsistit in humanita- 44.

nitate, *Subdist.* Non est facta ratione Divinitatis, *Conced.* Non est facta ratione humanitatis, *Neg. Maj.* Licèt enim Persona Christi non possit dici absolutè facta, potest tamen dici facta ratione humanitatis, in quantùm in tempore incepit terminare naturam humanam, Personalitas Verbi, in Christo: ergo.

45. *Replicabis.* Persona Christi non potest dici absolutè facta: ergo etiam non potest dici absolutè composita. *Resp. Neg. Conseq. Ratio est*, quam adducit *Godoy loc. sup. cit.* Quia asserendo personam Christi esse absolutè compositam, non convenimus in modo loquendi cum Hæreticis, sed cum SS. Patribus, & Concilijs, in modo loquendi convenimus. At verò dicendo *absolutè* esse factam, seu esse creaturam, quod idem est, etsi in sensu cum hæreticis non conveniamus, convenimus tamen cum illis in modo loquendi. Et quia non solùm convenientia in sensu, sed etiam in Verbis, & in modo loquendi cum Hæreticis vitari debet; ideò potest dici *absolutè*, Personam Christi esse compositam, non tamen *absolutè* factam.

46. *Objicies 12mò.* Vera & propria compositio, est tantùm triplex. *Prima* compositio ex his, qualis est unio formæ & materiæ substantialis. *Secunda* compositio hujus cum hoc, qualis est unio accidentalis cum subjecto, aut numeri cum numero. *Tertia* compositio, horum in hoc, qualis est unio mediata duorum extremorum in aliquo tertio, tanquam in medio, quô pactô qualitas unitur corpori, mediante quantitate; atqui unio humanitatis cum Personalitate Verbi, neque est compositio *ex his*; quia Personalitas Divina non habet rationem partis, adeoque nec rationem materiæ aut formæ. Neque est compositio *hujus cum hoc*; quia Personalitas Divina non

non habet ſe ad naturam humanam, ſicut accidens ad ſubjectum. Neque eſt compoſitio *horum in hoc*; quia Perſonalitas Divina unitur immediatè humanitati: ergo hæc non eſt vera, & propria compoſitio. *Reſp.* 1*mò*. *Tranſ. Maj. Neg. primam partem Min.* Quia compoſitio *ex his*, non eſt tantùm compoſitio eſſentiæ ex materia & forma, ſed etiam ſuppoſiti ex natura & ſubſiſtentia; & ad hanc reductivè ſpectat hæc ſupernaturalis compoſitio Chriſti, ex Perſonalitate Verbi & humanitate. *Reſp.* 2*dò*. *Neg. Maj. Ratio eſt*: Quia vera & propria compoſitio dividitur: 1*mò*. In ſubſtantialem & accidentalem; ſubſtantialis dividitur in metaphyſicam ex genere & differentia, & in phyſicam, quæ ſubdividitur, 1*mò*. In compoſitionem eſſentiæ ſeu naturæ ex materia & forma. 2*dò*. ex natura & ſubſiſtentia. 3*tiò*. corporis heterogenei ex partibus integrantibus, v. g. capite, manibus, &c. 2*dò*. Compoſitio phyſica & ſubſtantialis ſuppoſiti, alia eſt naturalis, alia ſupernaturalis, qualis eſt Chriſti: ergo.

Objicies 3*tiò*. Ubi eſt compoſitio, ibi neque compoſitum de extremis, neque extrema de ſe invicem prædicantur; ùt patet in homine, qui nec prædicatur de anima vel corpore, nec corpus vel anima prædicantur de ſe invicem; atqui tam Chriſtus prædicatur de Verbo, & hoc homine, quàm Verbum, & hic homo, de ſe invicem: ergo Chriſtus non videtur eſſe perſona propriè compoſita: ergo. *Reſp.* *Cum Amico hîc Diſput.* 9. *ſect.* 2. *n.* 26. *Diſt. Maj.* Ubi eſt compoſitio in eſſe naturæ, ibi neque compoſitum de extremis, neque extrema de ſe invicem prædicantur, *Conced.* Ubi eſt compoſitio in eſſe ſuppoſiti, *Neg. Maj.* In Chriſto autem eſt compoſitio in eſſe ſuppoſiti: ergo mirum non eſt, quòd compoſitum de extremis, vel extrema de ſe invicem prædicari poſſint. 47.

N Re-


48. *Replicabis.* Ubi eſt compoſitio in eſſe naturæ, ibi neque compoſitum de extremis, neque extrema de ſe invicem prædicari poſſunt: ergo etiam, ubi eſt compoſitio in eſſe ſuppoſiti, non poterunt extrema de ſe invicem prædicari. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſp. dat Amicus loc. ſup. cit.* Quia in priori prædicatione, prædicatum non includitur in ſubjecto ex modo ſignificandi; at verò in poſteriori includitur: ergo.

49. *Objicies 14tò.* Ut ſit compoſitio vera & propria, debet eſſe realis; nam compoſitio rationis nec vera nec propria eſt compoſitio; atqui Perſona Chriſti non eſt compoſita reali compoſitione: ergo Chriſtus non eſt perſona propriè compoſita. *Prob. Min.* Perſona Chriſti eſt compoſita ex alia, & alia ratione ſubſiſtendi, ùt docet *D. Thomas hìc q. 2. a. 4.* atqui ex alia, & alia ratione ſubſiſtendi, non poteſt reſultare realis compoſitio: ergo. *Reſp. Neg. Min. Ad Prob. Diſt. Min.* Ex alia, & alia ratione ſubſiſtendi, non poteſt reſultare compoſitio realis, ſi nomine *rationis* intelligatur mentis operatio, *Conced.* Si *ly ratio* ſumatur tantùm quoad modum explicandi, *Neg. Min.* Perſonalitas Verbi, terminans naturam humanam in Chriſto, eſt verè realis; verùm, quia aliter terminat Naturam Divinam, nempe, per *identitatem*, & aliter humanam, nempe, per *unionem modaliter diſtinctam*; ideò dicitur: quòd alia ſit ratio Verbi ſubſiſtendi in Natura Divina, & alia in natura humana: ergo &c.

50. *Objicies 15tò.* Licèt in Divinis ſint tres Perſonæ realiter diſtinctæ, & una natura, tamen Natura Divina non eſt compoſita ex tribus perſonis: ergo etiam, licèt in Chriſto ſint duæ naturæ, & una perſonalitas, tamen Perſona Chriſti non cenſebitur eſſe compoſita. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſp. eſt:* Quia

Divi-

Divinæ Perſonæ non uniuntur propriè Naturæ Divinæ, ſed ſunt identificatæ cum illa; & quia ſunt cum illa identificatæ, ideò non faciunt cum illa compoſitionem; ad compoſitionem enim neceſſariò requiritur, ut inter componentia intercedat unio, ùt obſervat *Godoy hic Tract.* 2. *Diſp.* 10. §. 1. *n.* 6. Et ex hac ratione nec tres Perſonæ Divinæ cenſentur eſſe compoſitæ; at verò in Chriſto Perſonalitas Verbi, & natura humana, uniuntur ſibi invicem; hinc fit, ut reſultet perſona compoſita ex natura humana, & perſonalitate Verbi. Circa hanc difficultatem *Sylveſter Maurus loc. ſup. cit. n.* 15. ità diſcurrit: Natura Divina non eſt compoſita ex tribus perſonis, quia neque eſt compoſita compoſitione trium perſonarum cum natura; ſiquidem tres perſonæ non diſtingvuntur à natura, adeoque non poſſunt facere cum illa compoſitionem; neque eſt compoſita compoſitione trium perſonarum inter ſe; quia nullum compoſitum poteſt conſtare pluribus per ſe ſubſiſtentibus, & oppoſitis; atqui ſingulæ tres perſonæ per ſe ſubſiſtunt, & relativè opponuntur: ergo non poſſunt mutuò componi. At Perſona Chriſti eſt compoſita ex duabus naturis realiter diſtinctis, ac non oppoſitis, ſed unitis in una Verbi ſubſiſtentia, & ex perſona Verbi & natura humana realiter diſtinctis in una ſubſiſtentia. Hæc doctrina deſumpta eſt ex *S. Auguſt. lib.* 11. *de civit. cap.* 10. Ità citatus *Sylveſter Maurus.*



Thesis VI.

Defactò (1mò.) sola persona Filij assumpsit humanitatem. Est dogma fidei. *Possunt tamen (2dò.) plures Personæ Divinæ eandem naturam creatam assumere.* Ità S. Thom. *3. p. q. 3. a. 6.* Vasquez *Disp. 29. cap. 2.* Suarez. *Disp. 13. sect. 2.* Arriaga. *Disp. 27. sect. 5.* Et alij plures, quos pro hac sententia refert Amicus *Disp. 14. sect. 6. n. 71.* Accedit Godoy *q. 2. de Incarnatione. tract. 2. Disp. 15. §. 2.* Reding *hic q. 7. a. 2. controvers. 3. n. 5.* Joannes à S. Thom. *Disp. 6. a. 3.* Salmanticenses *Tract. 21. Disp. 8. dub. 6. §. 1.* Et alij communiter Thomistæ contra Scotum *in 3. dist. 1. q. 2. & alios Scotistas.* Et (*3tiò.*) *Una Persona Divina plures simul naturas creatas terminare.* Ità S. Thom. *3. p. q. 3. a. 7.* Et alij communiter Thomistæ teste Gonet *hic Disp. 8. a. 4. §. 1. n. 83.* Scotus *in 3. Dist. 1. q. 3.* Et cum eo communiter Scotistæ.

1. P*Robatur 1ma pars Thesis. 1mò. Authorit. S. Scripturæ.* Ex eo: *quòd defactò sola persona Filij assumpserit humanitatem.* Et quidem omnibus illis textibus, aliunde notissimis, in quibus Filius Dei specialiter dicitur *Incarnatus*, quod nunquam de Patre vel Spiritu S. asseritur. Item ijs, in quibus dicitur: quòd Pater nobis dederit Filium, & *tradiderit in mortem.* Item his, in quibus dicitur *Filius minor Patre*, ratione naturæ assumptæ; hoc enim verum non esset, si Pater etiam esset homo. *Prætere-*

rea: quia S. Scriptura ità distinguit Christum à Patre & Spiritu Sancto, sicut Filium seu Verbum: ergo sentit Christum, ùt subsistentem in humanitate, & Divinitate (*hoc enim nomen Christi significat,*) personaliter distingui à Patre, & Spiritu Sancto. Denique arguit Felix I. *Epist. 1. decretali.* Quia Filius specialiter dicitur visibilis seu visus in terris, propter mysterium Incarnationis, quod aliàs neque Patri, neque Spiritui Sancto ullus attribuit: ergo.

Probatur 2dò. Authoritate Concilij Toletani VI. 2.
quod in confessione fidei ità loquitur: *Licèt tota Trinitas cooperata sit formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate Personæ, non unitate Divinæ Naturæ*: ergo &c.

Confirmatur 1mò. Authoritate Concilij Toletani XI. quod in confessione fidei post medium ità ait: *Credimus solum Filium formam servi accepisse in singularitate Personæ, non in unitate naturæ, nam in eo, quod est proprium Filio, non in eo, quod est toti Trinitati commune.* Quid clarius? Et licèt hæc Concilia non fuerint universalia, seu Oecumenica sed Nationalia, attamen ipsorum authoritas est gravissima, quia ità docuerunt in confessione fidei publicæ, nunquam ab ullo Pontifice aut Concilio reformata, quod necessarium erat, ut dissentientibus alijs Catholicis, consentirent: ergo. *Confirmatur 2dò.* Authoritate sextæ synodi Generalis Constantinopolitanæ *actione 8.* Ubi ex S. Dionysio *cap. 2. de divinis nominibus,* sic dicitur: *His enim neque Pater, neque Spiritus Sanctus ullâ ratione communicant; nisi fortè quis asserat, benignitate, clementia, & communicatione voluntatis, atque in omni supereminentissima & ineffabili operatione, illos quoque accessisse consortes*: ergo &c.

3. *Probatur 3tiò.* Authoritate SS. Patrum, præſertim S. Auguſtini, qui *lib. de Eccleſ. Dogmat. cap. 2.* ità inquit: *Non aſſumpſit Pater carnem, neque Spiritus Sanctus, ſed Filius tantùm, ut qui erat in Divinitate Dei Patris Filius, ipſe fieret in homine, hominis Matris Filius, nè Filij nomen ad alterum tranſiret, qui non eſſet æternâ nativitate Filius:* ergo.

4. *Probatur 4tò. ratione.* Id, quod terminatur ad unam perſonam, proùt realiter diſtinguitur ab alijs, non neceſſariò terminatur ad alios; atqui Incarnatio terminatur ad perſonalitatem Verbi, proùt realiter diſtinguitur ab alijs perſonis, cùm non terminetur ad eſſentiam Filij, ùt patet ex Concilio Toletano VI. quod *Can. 1.* ità dicit: *ſolus Filius ſuſcepit humanitatem, in ſingularitate Perſonæ, non in unitate Divinæ Naturæ, id eſt:* (declaratio eſt Concilij,) *in eo quod proprium eſt Filij, non quod eſt commune Trinitati:* ergo. *2dò.* Si Incarnatâ unâ perſonâ deberent omnes incarnari propter identitatem naturæ, ſequeretur, quòd generatâ unâ perſonâ, deberent etiam omnes generari. Item, ſpiratâ unâ perſonâ, deberent omnes ſpirari; atqui hoc eſt contra fidem: ergo. *3tiò.* Si defactò præter ſecundam in Deitate perſonam, alia divina perſona aſſumpſiſſet humanitatem, deberet etiam poſſe dici, quòd alia perſona præter Filium fuerit paſſa, mortua, & ſepulta; atqui hoc ſalvâ fide dici non poteſt: ergo neque poteſt dici, quòd defactò alia perſona aſſumpſerit humanitatem, præter Filium; adeoque error *Sabellianorum*, & *Patropaſſianorum*, aſſerentium totam Trinitatem fuiſſe incarnatam, non ſubſiſtit.

5. Quòd autem magìs congruum fuerit & conveniens, ut potiùs incarnaretur Verbum, ſeu Filius; variæ à SS. Patribus congruentiæ, *ùt videre eſt apud*

Sua-

Suarez Disp. 12. *sect.* 1. *& apud Amicum Disp.* 3. *n.* 9. assignantur. Et quidem *1mò.* Quia conveniebat, ut idiomata, quantùm fieri potest sint similia; adeoque etiam congruebat, ut, qui ab æterno erat Filius Dei, etiam esset in tempore Filius Virginis, & nomen Filij nullô modô Patri, aut Spiritui Sancto communicaretur. Ità *S. Damascenus lib.* 4. *cap.* 4. *2dò.* Quia uterque nempe: Verbum Divinum, & homo, est imago Patris. *Ad Colos.* 1. *Et* 1. *ad Corinth.* 2. ad *Roman.* 8. *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui.* *3tiò.* Quia Verbum est exemplar & sapientia, per quam facta sunt omnia; adeoque decuit, ut per eandem sapientiam incarnatam omnia restaurarentur, & ad excellentiæ dignitatem eveherentur; ità *S. Damas. sup. cit.* Et indicat *S. August. tract.* 17. *in Joan.* *4tò.* Quia homines, appetendo scientiam Dei, ceciderunt: ergo conveniebat, ut per eandem scientiam & sapientiam Patris, nempe per Verbum divinum, resurgerent; ùt habet *S. Bernard. serm. in Dom.* 1. *Advent.* *5tò.* Quia pertinebat ad Filium, vindicare Patris injuriam, & Filios adoptivos reparare; aut, ùt vult *Clemens Alexandrinus*, & *S. Basilius*; quia cùm Incarnatio fuerit facta ad reparandam imaginem Dei, per peccatum ab homine obliteratam, congruum erat, ut illa persona incarnaretur, quæ ex sua proprietate personali est imago Dei Patris; atqui solus Dei Filius, est imago Dei Patris: ergo. *6tò.* Quia Dæmon primatum appetierat, qui Filio debetur; ideò decuit, ut per ipsum Filium expugnaretur. Ità *S. August. lib. Quæstionum veteris & novi testamenti. q.* 113. *7mô.* Quia Filius est quasi persona media, inter Patrem, & Spiritum Sanctum: ergo decuit, ut ille esset mediator inter Deum, &

 homi-

hominem lapſum. *8vò.* Specialiter conveniebat Incarnatio Filij præ Incarnatione Patris; quia, ſi Incarnatus fuiſſet Pater, non potuiſſet ſalvari ratio miſſionis, ùt bene obſervat *Amicus hìc Diſp. 3. n. 11.* Et oſtendi ſolet *in 1. p. de Deo Trino*: ergo &c.

6. *Probatur 2da pars Theſis. 1mò.* Ex eo: *quòd poſſint plures Perſonæ Divinæ eandem naturam creatam aſſumere.* Et quidem authoritate S. Thom. qui 3. *p. q. 3. a. 6. in* ⊙ ità ait: *Eſt autem talis divinarum perſonarum conditio, quòd una earum non excludit aliam à communione ejuſdem naturæ, ſed ſolùm à communione ejuſdem perſonæ*: ergo.

7. *Probatur 2dò. Argument. D. Thom. ad hanc formam redactô.* Quidquid non involvit ſpecialem repugnantiam, Omnipotentiæ divinæ eſt admittendum; atqui talis aſſumptio, nempe: unius naturæ creatæ à tribus Perſonis Divinis, non involvit ſpecialem repugnantiam: ergo Omnipotentiæ divinæ eſt admittenda. *Prob. Min.* Si involveret aliquam repugnantiam, tunc illa ſe teneret, vel ex parte Perſonarum Divinarum, vel ex parte naturæ creatæ; atqui ex nulla parte ſe tenet: ergo. *Prob. Min.* Imprimis non ex parte Perſonarum Divinarum: ergo una pars eſt vera. *Prob. Ant.* Omnibus Perſonis Divinis ineſt æqualis virtus, id eſt: omnes Perſonæ Divinæ habent *illimitatam, independentem, & infinitam virtutem* terminandi naturam creatam; adeoque hæc virtus, non poteſt exhauriri ab ulla natura creata; neque ſe excludunt ab unione naturæ creatæ; quia tres Perſonæ Divinæ ſimul terminant Naturam Divinam, per identitatem perſonalitatum cum natura: ergo eandem numerô naturam creatam ſingularem, poterunt ſimul terminare per unionem. Atqui etiam nulla repugnantia ſe tenet ex

parte naturæ creatæ : ergo & altera pars est vera. *Prob. subsumpt.* Talis assumptio non esset juxta naturalem , sed juxta obedientialem capacitatem , & potentiam naturæ assumptæ, quâ stante nulla est repugnantia ; cùm quælibet creatura obediat Deo Creatori suo , ad omne recipiendum, vel producendum , quod non destruit ejus essentiam : ergo. &c.

Probatur 3tiò. Quando humanitas terminatur ab una Persona Divina , habet terminationem *intensivè majorem* , videlicet : infinitam , quàm sit necessaria ; si verò terminaretur à duabus vel tribus personis , haberet insuper terminationem *extensivè majorem* ; atqui non repugnat habere terminationem *intensivè majorem* , quàm sit necessaria : ergo etiam non repugnat habere terminationem *extensivè majorem*. 8.

Probatur 4tò. Si aliqua specialis hujus repugnantia esset, tunc vel maximè esset hæc, quam adferunt Scotistæ ; quia implicat, ut unus idémque effectus procedat à triplici causa totali ; atqui hoc non repugnat , ùt probabilior sententia in Philosophia docet, ex eo, quòd exclusio unius causæ totalis ab altera, sit solummodò effectus secundarius, quem Deus impedire potest : ergo. Imò, licèt hoc repugnaret, tamen non sequitur , quòd tres causæ totales in hoc casu influerent in eundem effectum ; quia natura humana à tribus personis assumpta , non denominaretur, nec constitueretur una, sed triplex persona : ergo. 9.

Probatur 5tò. cum Godoy *q. 2. de Incarnat. tract. 2. Disp. 15.* §. 2. Defactò omnes tres Personæ Divinæ terminant eandem numerô Naturam Divinam : ergo etiam de possibili possunt terminare eandem numerô naturam creatam. *Prob. Conseq. 1mò.* Quia Personalitas Divina per se primò terminat Naturam Divinam, in qua omnis natura creata eminenter continetur; ideò illi 10.

etiam

etiam convenit, quòd poſſit ſecundariò extendi ad terminandam naturam creatam : ergo, ſi omnes Perſonalitates Divinæ,ſimul in natura Dei primò terminanda conveniunt, poſſunt etiam in natura creata ſecundariò terminanda adunari. *2dò.* Nulla eſt implicantia, ut defactò una, eadémque Natura Divina tribus ſubſiſtentijs terminetur : ergo etiam nulla erit implicantia, ut ijsdem una,eadémque natura creata terminari poſſit.

11. *Probatur 6tò.* Dependentia adæquata & totalis à pluribus in diverſo genere, non implicat; atqui dependentia unius naturæ creatæ à tribus Perſonis Divinis, eſſet à pluribus in diverſo genere: ergo non implicat. *Prob. Min.* Paternitas, Filiatio, & Spiratio paſſiva, ſunt relationes perſonales inter ſe diverſæ: ergo etiam alia eſſet dependentia à Perſona Patris, alia à Perſona Filij, alia à Perſona Spiritûs Sancti : ergo eſſet dependentia à pluribus in diverſo genere.

12. *Probatur 7mò.* Poteſt Deus facere, ut unum idémque corpus, ſit ſimul & ſemel in duobus locis extrinſecis, non obſtante, quòd ſecundùm potentiam naturalem adæquatè, totaliter, & perfectè terminetur ſuperficie ambiente: ergo etiam poteſt Deus facere, ut una eadémque natura jam ſubſiſtens, & terminata *adæquatè, totaliter,* & *perfectè* ſecundùm potentiam naturalem, adhuc terminetur aliâ ſubſiſtentiâ, divinitùs. *2dò.* Unum numerò accidens poteſt eſſe divinitùs in duobus ſubjectis, juxta ſententiam valde probabilem : ergo etiam una eadémque natura humana, ſimul & ſemel in pluribus ſuppoſitis. *3tiò.* Illa quæ ſolis relationibus diſtingvuntur, in nullo abſoluto ſe invicem excludunt ; atqui Perſonæ Divinæ ſolis relationibus diſtingvuntur: ergo in nulla natura humana aſſumpta ſe excludunt. *4tò.* In materia Incarnationis attenditur potentia facientis, ùt patet

ex

ex illis verbis *S. August. Epist. 3. ad Volusianum: Tota ratio facti, est potentia facientis*; atqui in Deo est potentia ad naturam humanam, simul adæquatè ab omnibus tribus personis terminandam: ergo talis terminatio potest fieri. *Prob. Min.* In natura creata est potentia obedientialis respectu omnium trium personarum: ergo in Deo est potentia ad terminandam naturam humanam ab omnibus tribus personis. *5tò.* Effectus personalitatis, juxta probabilem sententiam, est duplex: unus primarius, alter secundarius. Effectus primarius est: *reddere naturam subsistentem.* Secundarius est: *reddere ipsam incommunicabilem.* Jam sic arguitur: Effectus secundarius potest divinitùs impediri, ùt patet in penetratione duorum corporum, ubi effectus secundarius, nempe, exclusio corporis à loco impeditur; atqui incommunicabilitas est effectus secundarius, juxta probabilem sententiam: ergo potest impediri; & per consequens possunt tres Personæ Divinæ, in una eadémque natura creata, subsistere. *6tò.* Sicut prius potest esse sinè posteriori absque contradictione, itá non repugnat, multiplicari posterius non multiplicatô priori; atqui Personalitas est posterior naturâ singulari: ergo possunt absque contradictione multiplicari Personalitates, non multiplicatâ ipsâ naturâ creatâ. *7mò.* Unitas suppositi, non facit unitatem naturæ: ergo etiam multiplicitas suppositorum non faciet multitudinem naturarum. *Prob. Conseq.* Si unitas suppositi faceret unitatem naturæ, tunc unum suppositum non posset assumere diversas naturas; atqui unum suppositum, & Persona Divina, potest assumere plures naturas creatas; ùt docet *Scotus in 3. Dist. 1. q. 3.* ergo. *8vò.* Omnis creatura defactò dependet in fieri, & in conservari ab omnibus tribus Personis Divinis, ratione unius Omni-

spo-

potentiæ, quæ una & eadem eſt in omnibus tribus Perſonis Divinis: ergo etiam ratione ejusdem Omnipotentiæ, poteſt natura humana dependere ab omnibus tribus perſonis in ſubſiſtendo, ità, ut nihil derogetur, imò per hoc commendetur Omnipotentia Dei. *9nò.* Licèt una forma ſufficienter determinet materiam ad eſſe *compoſiti*, & *ad eſſe entis per ſe*, tamen juxta multos Scotiſtas in Philoſophia, poteſt adhuc materia per aliam formam divinitùs determinari ad eſſe *compoſiti*, & ad *eſſe entis per ſe*, adeoque poſſunt in una eadémque materia divinitùs dari plures formæ ſubſtantiales. *Item*, licèt unum corpus ſufficienter expleat capacitatem naturalem loci, tamen non implicat, ut ſtante hac expletione capacitatis, adhuc aliud corpus ponatur divinitùs in eodem loco, ùt iterum docent Scotiſtæ: ergo etiam non obſtante, quòd natura creata terminetur unâ ſubſiſtentiâ, quæ naturaliter eſt ſufficiens, quin poſſit adhuc alia divinitùs terminari.

13. *Probatur 3tia pars Theſis. 1mò.* Ex eo: *quòd una perſona divina poſſit ſimul plures naturas creatas terminare.* Unde ſic: *S. Thom. 3. p. q. 3. a. 7. in* ⊙ ità docet: *Patet ergo, quòd, ſive conſideremus perſonam divinam ſecundùm virtutem, quæ eſt principium unionis, ſive ſecundùm ſuam perſonalitatem, quæ eſt terminus unionis, oportet dicere: quòd perſona divina præter naturam humanam, quam aſſumpſit, poſſit aliam humanam naturam aſſumere:* ergo ex mente *S. Thom.* poteſt una perſona divina plures ſimul naturas creatas aſſumere & terminare.

14. *Probatur 2dò.* Si Perſona Divina non poſſet aſſumere aliam naturam creatam, tunc & divina virtus unita, & terminativitas divinæ perſonæ limitaretur, & exhauriretur per unam naturam creatam; atqui hoc repugnat virtuti, & terminativitati infinitæ: ergo. *Min. patet:* quia infinitum nequit adæquari vel exhauriri

riri

riri finitô. *Prob. ſequel. Maj.* Perſona Divina nec poſſet producere unionem ſui ad aliam naturam, neque ratio perſonalitatis terminare aliam: ergo virtus producendi perſonalem unionem ſui ad naturam creatam, unicâ unione creatâ, adeoque finitâ; & terminativitas perſonalitatis unicâ terminatione naturæ creatæ exhauriretur, & limitaretur.

Confirmatur cum Amico *hìc Diſp.* 14. *ſect.* 7. *n.* 127. 15.
Quælibet Perſona Divina habet terminativitatem infinitam, quæ à nulla creatura exhauriri poteſt, cùm quævis creatura indigeat finitô ſolùm concurſu; neque ulla eſt, ex parte naturæ aſſumptibilis, repugnantia, quin plures naturæ ſimul aſſumi valeant in unitatem perſonæ: ergo una eadémque Perſona Divina, poteſt plures naturas humanas ſimul aſſumere.

Probatur 3tiò. Quidquid poteſt Pater, poteſt etiam 16.
Filius; atqui Pater poſt Incarnationem Filij, poteſt aſſumere aliam naturam humanam, à natura Filij aſſumpta, diſtinctam, ùt omnes admittunt: ergo etiam Filius aſſumptâ unâ naturâ creatâ, poteſt aliam aſſumere, & per conſequens poteſt terminare ſimul plures naturas creatas.

Probatur 4tò. cum Godoy *q.* 3. *de Incarnat. tract.* 3. 17.
Diſp. 16. §. 8. *n.* 124. *ratione D. Thom. ad hanc formam redactâ.* Vis aſſumptiva, non comprehenſa ſub una natura, poteſt ſimul ad aliam extendi; atqui vis aſſumptiva conveniens Divinæ Perſonæ, non comprehenditur ab una natura creata: ergo poteſt ſimul ad aliam extendi. *Maj. eſt certa:* nam eô ipsô, quòd vis aſſumptiva non comprehendatur ab aliqua una natura, non adæquatur cum illa, ac proinde illam excedit; ex quo ulteriùs fit, quòd poſſit ad aliam aſſumendam extendi. *Probatur itaque Min.* Vis aſſumptiva naturæ creatæ, convenit Perſonæ Divinæ ratione Omnipotentiæ,

tentiæ, ùt principij aſſumptionis, & ratione perſonalitatis, ùt termini; atqui nec Omnipotentia ùt principium activum, nec perſonalitas ùt terminativa, comprehendi poſſunt ab una natura creata; cùm Omnipotentia ùt activa, & perſonalitas ùt terminativa, ſint infinitæ, & natura creata ſit finita; infinitum autem à finito comprehendi non poſſit: ergo vis aſſumptiva Divinæ Perſonæ, non comprehenditur ab una natura creata; & conſequenter extendi poteſt ad aſſumendam ſimul cum illa, aliam naturam creatam.

18. *Dices*. Licèt hæc ratio probet, quòd non repugnet aſſumere plures naturas creatas, quantùm eſt ex parte Perſonæ Divinæ, non tamen probat, quòd non repugnet, quantùm eſt ex parte naturæ creatæ. *Reſp.* Neg. *Ant.* *Ratio eſt*: quia, ùt docet D. Thom. *hìc q.* 3. *a.* 6. *in* ☉. ex S. Auguſt. *ad Voluſianum*. *In Myſterio Incarnationis: tota ratio facti, eſt potentia facientis*; & conſequenter ad judicandum, an aliquid ſit poſſibile, magìs attendendum eſt ad conditionem perſonæ aſſumentis, quàm ad conditionem extremi aſſumptibilis, nisì ex parte illius aliqua repugnantia, vel implicantia involvatur; atqui ex parte naturæ creatæ aſſumptibilis à Perſona Divina, non poteſt ulla ſpecialis repugnantia, & implicantia aſſignari, quò minùs poſſit cum alia natura creata aſſumi: ergo, cùm aliàs non repugnet ex parte perſonæ aſſumentis, ùt ratio allata *D. Thom.* ſvadet; ideò aſſerendum eſt, hoc poſſibile eſſe, quòd videlicet: una Perſona Divina, poſſit ſimul aſſumere plures naturas creatas.

19. *Probatur* 5*tò*. Eadem perſonalitas Verbi Divini poteſt terminare, & defactò terminat duas naturas à ſe infinitè diſtantes, nempe, divinam & humanam, ùt patet in Chriſto: ergo à fortiori poteſt terminare duas naturas finitas.

Pro-

Probatur 6tò. Quia Omnipotentiæ Divinæ, præter vim productivam ad intra, convenit vis ad extra productiva, quæ est infinita; ideò Omnipotentia Divina productô unô effectu ad extra, poteſt plures & plures producere; atqui etiam Perſonalitati Divinæ præter vim terminativam ad intra, convenit vis terminativa ad extra, quæ est infinita: ergo etiam Perſonalitas Divina terminatâ unâ naturâ creatâ, poterit plures & plures terminare. 20.

§. I.

Solvuntur objectiones contra primam partem Theſis, quæ dicit: quòd defactò ſola Perſona Filij aſſumpſerit humanitatem.

OBjicies 1mò. Ex eo: *quòd defactò videantur omnes tres Perſonæ aſſumpſiſſe humanitatem.* Unde ſic: Impoſſibile eſt unam perſonam operari ſinè altera Incarnationem; atqui aſſumere eſt operari: ergo etiam impoſſibile eſt unam perſonam aſſumere ſinè altera humanitatem; per conſequens videntur defactò omnes tres perſonæ aſſumpſiſſe humanitatem. *Reſp. Diſt. Maj.* Impoſſibile eſt, unam perſonam operari ſinè altera, purè activè, & ſolùm in genere cauſæ efficientis, *Conced.* In genere cauſæ, vel quaſi cauſæ formalis, ſeu terminantis, *Neg. Maj.* Aut aliter *Diſt. eandem Maj.* Impoſſibile eſt unam perſonam operari ſinè altera, operatione, quæ convenit perſonæ ratione naturæ ſecundùm ſe acceptæ, *Conced.* Quæ convenit perſonæ ratione naturæ, ùt modificatæ per aliquam perſonalitatem, *Neg. Maj.* Similiter *Diſt. Min:* & *Neg. Conſeq.* Hinc quando dicitur: *quòd opera Trinitatis ad extra, ſint toti Trinitati communia,* intelli- 21.

gen-

gendum eſt de illis operibus, & actionibus, quæ conveniunt alicui perſonæ ratione Naturæ Divinæ, ſecundùm ſe ſumptæ; non verò de illis operibus & actionibus, quæ conveniunt alicui perſonæ, ratione naturæ ùt modificatæ, per proprietatem perſonæ, qualis eſt *aſſumptio*, ſeu *ad ſe ſumptio*.

22. *Replicabis*. Impoſſibile eſt unam perſonam operari ad extra in genere cauſæ efficientis ſinè altera: ergo etiam in genere cauſæ quaſi formalis, ſeu terminantis. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſp. eſt*: quam adfert *Amicus hîc Diſp.* 14. *ſect.* 1. *n.* 2. Quia principium producendi ad extra in Deo, eſt ratio abſoluta naturæ, ſeu ut alij dicunt: *Dei ùt unius*, adeoque communis omnibus tribus perſonis; at verò ratio ſuſtentandi ſeu hypoſtaticè terminandi, eſt ratio reſpectiva, conveniens uni perſonæ, independenter ab altera: ergo.

23. *Objicies 2dò*. Terminare relationem, quâ creatura refertur ad Deum, non eſt cauſare efficienter, ſed formaliter, vel quaſi formaliter, & tamen non poteſt uni perſonæ ſinè alia convenire: ergo Perſonæ Divinæ non ſolùm ſunt indiviſæ in operando ad extrà, in genere cauſæ efficientis, ſed etiam in genere cauſæ, vel quaſi cauſæ formalis. *Reſp. Diſt. Conſeq.* Sunt indiviſæ in operando ad extra in genere cauſæ, vel quaſi cauſæ formalis, tunc, quando cauſalitas formalis fundatur in cauſatione efficiente, *Conced.* Quando cauſalitas formalis non fundatur in cauſatione efficiente, *Neg. Conſeq.* Quia autem cauſalitas, vel quaſi cauſalitas formalis perſonalitatis divinæ, reſpectu naturæ quam terminat, non fundatur in cauſatione efficiente; ideò poteſt uni Perſonæ Divinæ ſeorſim competere, quin competat alteri; Deus autem ùt terminans relationem, quâ creaturæ referuntur ad ipſum *ùt Dominum & Creatorem*, cauſat talem relationem

cau-

causalitate vel quasi causalitate formali super efficientiam fundata: ergo in terminanda relatione creaturarum, omnes Divinæ Personæ sunt necessariò connexæ. *Godoy q. 3. de Incarnat. tract. 3. Disp. 16. §. 1. n. 15.*

Objicies 3tiò. Personæ divinæ terminantes notitiam intuitivam,Dei non sunt causa illius in genere causæ efficientis, sed in genere causæ, vel quasi causæ formalis, & tamen non potest una sinè altera terminare notitiam intuitivam, seu visionem beatificam: ergo, licèt terminare naturam humanam, non sit in genere causæ efficientis, sed formalis, vel quasi formalis, non sequitur, quòd una persona possit illam terminare sinè altera. *Resp. Neg. Conseq. Disp. est 1mò.* Quia terminare notitiam intuitivam seu visionem beatificam, convenit divinis Personis sub eadem ratione formali, nempe ratione essentiæ communis, in qua Personæ Divinæ conveniunt; unde quamvìs respectu visionis, quam terminant, solùm concurrant in genere causæ,vel quasi causæ formalis, non potest tamen una Persona Divina sinè altera, visionem beatificam, & notitiam intuitivam terminare; at verò, quòd Personæ Divinæ terminent naturam humanam, convenit ipsis ratione proprietatis personalis, & quia proprietates personales in Personis Divinis sunt distinctæ, ideò potest una persona, non terminante alterâ, terminare naturam humanam, & illi uniri. *Godoy loc. sup. cit. n. 16. Disp. est 2dò.* Quia illa quæ inter se habent mutuam habitudinem, majorem etiam inter se habent connexionem, in ordine ad claram, seu quidditativam cognitionem Dei; at verò in ordine ad unionem physicam, non habent tantam connexionem, ùt patet in rebus creatis. Sic relatio accidentalis paternitatis non potest cognosci sinè filiatione, & tamen potest 24.

rea-

realiter uniri alicui ſubjecto, cui non unitur filiatio. Similiter ſcientia non poteſt cognoſci ſinè objecto ſcibili, & tamen in reali conjunctione, vel unione, poteſt ab illo ſeparari. Quia autem unio hypoſtatica eſt realis, & phyſica, *ùt dictum eſt Theſi 4.* Et Perſonæ Divinæ realiter inter ſe diſtingvuntur; ideò perſona Filij poteſt uniri humanitati, non unitis alijs Perſonis Divinis, licèt propter habitudinem & connexionem cum illis, non poſſit intuitivè videri ſinè ipſis. *Suarez hic Diſp. 12. ſect. 1. Diſp. eſt 3tiò.* Quia correlativa ſunt ſimul naturâ & cognitione: ergo quando unum cognoſcitur, debet etiam alterum cognoſci; at verò correlativa non ſunt ſimul unitione, ùt inductione patet: ergo poteſt unum uniri, quin uniatur & alterum.

25. *Objicies 4tò.* Non ſolùm natura, ùt terminata vel ſuppoſitata, dependet à perſona terminante, ſed etiam ſecundùm ſuam entitatem dependet ab illa, cùm ſinè perſona terminante, ſaltèm connaturaliter, non poſſit natura creata exiſtere; atqui, licèt ùt terminata dependeat à perſona terminante in genere cauſæ, vel quaſi cauſæ formalis, tamen ſecundùm ſuam entitatem, non dependet ab illa in hoc genere cauſæ, ſed in genere cauſæ efficientis: ergo non poteſt ſuppoſitari & terminari ab una Perſona Divina, quin ſuppoſitetur, & terminetur ab alijs. *Reſp. Neg. Min.* Quia effectus formalis formæ, non ſolùm dependet ab illa in genere cauſæ formalis, ſed etiam id, quod ſinè tali effectu, ùt ſibi communicato, nequit exiſtere. Teſte *Godoy loc. ſup. cit. n. 14.* Et patet: Siquidem totum compoſitum, & materia, dependent à forma in genere cauſæ formalis, quia nec totum, nec materia poſſunt exiſtere ſinè effectu formali formæ, ùt toti intrinſeco, & materiæ communicato; & tamen

men materia, & totum, diſtingvuntur à forma ùt communicata ſubjecto, & per conſequens ab effectu ejus formali. Quia autem natura creata ſecundùm ſuam intrinſecam entitatem, non poteſt, ſaltèm connaturaliter, exiſtere ſinè perſonalitate ſibi unita, & communicata; unde fit, ut dependeat ab illa in genere *cauſæ*, vel quaſi *cauſæ formalis*, quamvìs ſic ſumpta, non ſit effectus illius formalis.

Objicies 5tò. Non poteſt aliquis uniri per gratiam uni Perſonæ Divinæ, quin uniatur omnibus tribus Perſonis Divinis, licèt hæc unio ſit minor & accidentalis: ergo à fortiori non poteſt humanitas per unionem hypoſtaticam ſubſtantialem uniri Filio, quin uniatur Patri, & Spiritui Sancto. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſp. eſt imò.* Quia gratia reſpicit omnes tres Perſonas Divinas ſub ratione entis producibilis; at verò unio hypoſtatica tantùm illas reſpicit ſub ratione entis terminabilis. 2dò. Quia reſpectu gratiæ eſt influxus in genere cauſæ efficientis: ergo mirùm non eſt, quòd non poſſit aliquis uniri per gratiam uni perſonæ, quin uniatur omnibus; at verò hìc eſt influxus in genere cauſæ, vel quaſi cauſæ formalis: ergo. 26.

Objicies 6tò. S. Damaſcenus dicit: *omnia eſſe in divinis communia, præter eſſe ingenitum, quod convenit Patri; eſſe genitum, quod convenit Filio; eſſe ſpiratum, quod convenit Spiritui Sancto*; atqui Incarnatio nihil eſt horum: ergo convenit omnibus tribus perſonis; per conſequens incarnatô Filiô, etiam incarnatus eſt Pater, & Spiritus Sanctus. *Reſp. Explicando S. Damaſcenum:* Omnia ſunt in divinis communia ad intra, præter hæc tria, *Conced.* Omnia ſunt communia ad extra. *Subdiſt.* Quæ ſunt in genere cauſæ efficientis, *Conced.* Quæ ſunt in genere cauſæ, vel quaſi cauſæ 27.

 for-

formalis, *Neg.* S. Damaſcenum hoc ſenſu locutum fuiſſe.

28. *Objicies 7mò.* Poteſt dici: quòd etiam relatio divina, ſit ratio efficiendi, & non ſolùm terminandi; atqui ratio efficiendi eſt communis omnibus tribus perſonis: ergo quidquid una divina relatio ad extra facit, debent omnes facere. *Reſp. Neg. Maj. Ratio eſt*: quia in omni re principium agendi & operandi, eſt ipſa natura; & in re intellectuali, qualis eſt Deus, omnis operatio procedit aliquô modô ab intellectu & voluntate; quia ergo in tribus Perſonis Divinis una eſt natura, idémque intellectus, & voluntas, ideò una eſt illius omnipotentia; &, cùm Incarnatio ſit maximum Omnipotentiæ opus, ideò non poteſt relatio ex præciſa ratione relationis eſſe principium ejus, ſed tale principium eſt Omnipotentia, quæ illi convenit ratione eſſentiæ; ex qua ratione omnis alia productio & effectio, eſt communis omnibus tribus perſonis, ſicut voluntas & intellectus. Unde, licèt admitteretur, quòd relatio, *ut relatio*, dicat aliquam perfectionem; quia tamen non pertinet ad perfectionem naturæ, ideò non habet ex ſe, ut ſit principium ſeu ratio agendi, ſed tantùm hoc, ut conſtituat ſuppoſitum, à quo actio procedit; adeoque, ut poſſit eſſe ratio terminandi: ergo. *Suarez Diſp.* 12. *ſect.* 1.

29. *Objicies 8vò.* Cum perſona Verbi, eſt ſimul incarnata Natura Divina; atqui Natura Divina identificatur omnibus tribus perſonis: ergo cum Verbo, etiam reliquæ perſonæ ſunt incarnatæ. *Reſp. Diſt. Maj.* Eſt ſimul incarnata Natura Divina mediatè, & præciſè ratione ſecundæ perſonæ, *Conced.* Immediatè, & præciſè ratione ſui, *Neg. Maj.*

30. *Replicabis.* Non potuit immediatè perſonalitas Verbi

bi uniri humanitati, quin mediatè etiam uniretur ipſa Natura Divina, quæ realiter identificatur perſonalitati Verbi: ergo etiam non potuit immediatè uniri naturæ, quin mediatè uniretur Patri, & Spiritui Sancto, qui realiter identificantur Naturæ Divinæ. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſp. eſt*: quia uniri *mediatè*, eſt eſſe idem cum re, quæ unitur *immediatè*; cùm ergo Natura Divina identificetur perſonalitati Verbi, quæ unitur *immediatè*; conſequens eſt, quòd Natura Divina uniatur *mediatè*; at verò, cùm Paternitas, & Spiratio paſſiva, non identificentur perſonalitati Verbi, ideò mirum non eſt, quòd Paternitas & Spiratio paſſiva, non uniantur ſic humanitati, ſicut Natura Divina. *Cujus ratio ulterior, & univerſalis eſt*: quia, ea, quæ conveniunt uni perſonæ ratione naturæ communis, conveniunt omnibus perſonis; nam in natura communi omnes perſonæ ſunt idem; at verò quæ conveniunt uni perſonæ ratione propriæ perſonalitatis, non conveniunt omnibus perſonis, cùm in hoc diſtinguatur una perſona à reliquis perſonis. Hinc quia *activè* unire humanam naturam Verbo, convenit Filio ratione *naturæ communis*, terminare verò naturam humanam ratione *propriæ perſonalitatis*; inde fit, ut *activè unire* conveniat omnibus tribus perſonis, *terminare* verò ſoli Filio.

Objicies 9nò. Licèt terminare naturam divinam, conveniat perſonis ratione proprietatum perſonalium, 31.
quibus inter ſe diſtingvuntur, tamen non poteſt una perſonalitas terminare Naturam Divinam, aliâ non terminante: ergo etiam, licèt illis conveniat terminare naturam creatam ratione proprietatum perſonalium, quibus inter ſe diſtingvuntur, tamen non poterit illam terminare una ſinè altera; adeoque incarnatô Filiô, debuit etiam incarnari Pater, & Spiritus

 San-

Sanctus. *Reſp.* Neg. *Conſeq. Diſp. eſt* 1mò. Quia Natura Divina ob ſuam infinitatem, petit *eſſentialiter* exiſtere in tribus perſonis; adeoque non poteſt per unam perſonalitatem terminari, quin etiam per aliam terminetur. At verò natura creata non petit unionem cum Perſonis Divinis, &, cùm aliàs ratio terminandi ſit in qualibet perſona diſtincta, ideò, ſicut potuit cum nulla illarum uniri, ità potuit ab una ſinè altera terminari. *Diſp. eſt* 2dò. Quia terminare ad intra, convenit *neceſſariò* perſonalitatibus, ratione identitatis cum Natura Divina: ergo non poteſt iſta terminatio uni perſonæ convenire, quin etiam conveniat alijs; at verò terminare ad extra, non *neceſſariò*, ſed *liberè* convenit Divinis Perſonis; &, cùm aliàs terminent ratione illius, in quo inter ſe diſtingvuntur; ideò, ſicut potuit nulla Perſona Divina alienam terminare naturam, ità poteſt terminare una ſinè altera terminante.

32. *Objicies* 1mò. Filius unitur humanitati ſecundùm proprietatem abſolutam, & non relativam; atqui abſoluta ſunt omnibus tribus perſonis communia: ergo unitô Filiô humanitati, uniuntur etiam reliquæ perſonæ. *Prob. Maj.* Si Filius non uniretur humanitati ſecundùm proprietatem abſolutam, ſed ſecundùm relativam, ſequeretur, quòd redderet humanitatem formaliter relatam ad Patrem; atqui hoc non: ergo. *Probatur ſeqvel. Maj.* Communicaret illi effectum formalem Filiationis: ergo. *Reſp. Neg. Maj. Ad Prob. Neg. ſeqvel. Maj.* Filius enim non unitur humanitati, ùt actus informans, ſed tantùm ùt terminus ſubſiſtens: ergo, licèt ille referatur ad Patrem, non tamen reddit naturam, cui unitur, *formaliter* relatam; Sicut etiam Naturam Divinam, cujus eſt terminus ſubſiſtens, non reddit formaliter relatam, ſed ſolam Perſonam.

Objic.

Objicies 11mò. Pater, & Spiritus Sanctus sunt in humanitate Christi specialiori modô, quàm sint in ulla alia creatura, adeoque non tantùm per *essentiam*, *præsentiam*, & *potentiam*, quô pactô sunt in omnibus rebus creatis; neque etiam per *gratiam* tantùm, quô pactô sunt in omnibus justis; neque tantùm per *visionem beatificam*, quô pactô sunt in omnibus beatis: ergo sunt ibi per unionem hypostaticam, adeoque omnes tres personæ sunt incarnatæ. *Resp. Neg. Conseq.* Et dico: Sicut reliquæ personæ sunt specialiori modô in Evcharistia *per concomitantiam*, ità & in humanitate Christi. Unde, si per impossibile Pater, & Spiritus Sanctus non essent in humanitate Christi reliquis omnibus enumeratis modis, adhuc ibi essent per *concomitantiam*, in quantùm videlicet, non possunt separari à Filio, propter identitatem naturæ, qui est hypostaticè unitus humanitati: ergo &c. 33.

Objicies 12mò. Si solum Verbum assumpsisset naturam humanam, sequeretur, quòd plùs debeamus Verbo, quàm alijs Divinis Personis; atqui hoc non: ergo non solum Verbum, sed etiam aliæ Personæ assumpserunt humanitatem. *Prob. sequel. Maj.* Illi plùs debetur, qui majora confert beneficia; atqui solum Verbum nobis majora contulisset beneficia, in quantùm solum pro nobis carnem assumpsisset, passum fuisset, & mortuum, & nos à peccatis redemisset: ergo. *Resp. Neg. sequel. Maj.* Nam, licèt de solo Verbo verificetur, quòd pro nobis carnem assumpserit, ex eo: quia hæc denominatio petit habere terminum humanitatis, qui illam supponitet, quod solum præstitit Verbum, tamen non sequitur teste *Godoy q. 3. de Incarnat. tract. 3. Disp. 16. §. 1. n. 19.* Verbum nobis aliquod beneficium contulisse, quod à tota Trinitate non fuisset. Licèt etenim prædicta beneficia non fue- 34.

 rint

rint Patris, nec Spiritus Sancti *terminativè*, fuerunt tamen ab illis simul cum Verbo *effectivè*; proinde nullum beneficium est nobis collatum à Verbo, quod nobis non contulissent aliæ Personæ Divinæ.

35. *Replicabis*. Esse hominem terminativè, est nostrum beneficium: ergo cùm solus Filius fuerit factus homo, signum est, quòd solus nobis contulerit beneficium. *Resp. Neg. Conseq.* Nam, licèt solum Verbum terminaverit humanitatem, quia tamen Incarnationem & unionem humanitatis ad Verbum omnes tres personæ efficienter causaverunt, ideò beneficium Incarnationis, est ab omnibus effectivè, quamvìs non sit ab omnibus terminativè, sed solùm à Verbo. Ex quo tantùm sequitur aliquod beneficium nostrum, nempe *esse hominem, carnem assumere &c.* solùm prædicari de Verbo; non autem, quòd solùm de Verbo verificetur, quòd tale beneficium nobis contulerit; nam ad hoc necessarium est, quòd non solùm terminatio humanitatis, sed etiam efficientia Incarnationis soli Verbo attribueretur. *Godoy sup. cit. n.* 21. Hinc *S. Thom. q. unicâ de unione Verbi incarnati. a.* 1. *ad* 9. docet: quòd persona Verbi incarnati non sit plùs diligenda, quàm persona Verbi simpliciter, licèt sit secundùm aliam rationem diligenda, quæ tamen ratio sub universali bonitate Verbi comprehenditur, & propter hoc etiam non sequitur, si Incarnationis unio facta est in una persona, & non in alia, quòd propter hoc una persona sit magìs diligenda, quàm alia. Pariter ergo ex hoc, quòd Verbo divino debeamus beneficium Incarnationis sub aliqua speciali ratione, nempe: *terminationis humanitatis*, & *Redemptoris denominativè talis*; quia tamen rationes istæ, sub universali ratione beneficentiæ divinæ continentur, ideò non plùs debemus Verbo, quàm Patri & Spiritui Sancto.

Objic.

Objicies 13*tiò*. Ex eo: *quòd congruentiùs fuisset*, & 36.
magìs decuisset incarnari Patrem quàm Filium. Unde sic: Incarnationis divinæ effectus, est quædam humanæ naturæ recreatio, seu nova creatio; atqui potentia creandi magìs appropriatur Patri, quàm Filio: ergo congruentiùs fuisset, & magìs decuisset, incarnari Patrem, quàm Filium. *Major* colligitur ex capite ultimo ad Galatas, ubi natura humana reparata, dicitur *Nova creatura*. *Min.* constat ex symbolo Apostolorum: ergo. *Resp.* Verbis *S. Thom.* 3. *p. q.* 3. *a.* 8. *ad* 2. *Dicendum, quòd prima rerum creatio facta est à potentia Patris per Verbum; unde & recreatio per Verbum fieri debuit à potentia Dei Patris, ut recreatio creationi responderet, secundùm illud* 2. *ad Corinth.* 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*: ergo.

Objicies 14*tò*. Ex eo: *quòd congruentiùs fuisset in-* 37.
carnari Spiritum Sanctum. Jam sic: Incarnatio est donum maximum, quod Deus nobis conferre potuit: ergo congruentiùs fuisset incarnatus Spiritus Sanctus. *Prob. Conseq.* Spiritus S. vi suæ originis procedit ùt amor, amor autem est primum & potissimum donum, quod amans donat amato: ergo. *Resp. Neg. Conseq.* Quia magìs congruebat, ut donum istud, nempe Spiritum Sanctum haberemus per merita, & intercessionem Filij, quemadmodùm ipse dixit *Joannis* 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Sic etenim major eluxit munificentia, ùt observat *Amicus hìc Disp.* 3. *n.* 13. Quia plures personæ nobis sunt donatæ, *una*, visibili Incarnatione, *altera*, invisibili gratiâ.

Objicies 15*tò*. Incarnatio ordinatur ad remissionem 38.
peccatorum, ùt colligitur ex illo *Matth.* 1. *v.*21. *Vocabis nomen ejus JEsum, ipse enim salvum faciet populum*

lum suum à peccatis eorum; atqui remissio peccatorum attribuitur Spiritui Sancto, juxta illud *Joannis* 20. v. 23. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: ergo magìs congruebat incarnari Spiritum Sanctum, quàm Dei Filium. *Resp.* iterum verbis *S. Thom. q. 3. a. 8. ad 3. Spiritui Sancto proprium est, quòd sit donum Patris & Filij; remissio autem peccatorum fit per Spiritum Sanctum tanquam per donum Dei; & ideò convenientiùs fuit ad justificationem hominum, quod incarnaretur Filius, cujus Spiritus Sanctus est donum*: ergo.

39. *Objicies 16tò.* Incarnatio Patris, & Spiritus Sancti fuisset æquè infinita ac Filij: ergo non est major convenientia in Incarnatione Filij. *Resp. Dist. Conseq.* Non est major convenientia intensiva, intrinseca, & quoad se, *Conced.* Non est major extrinseca, & quoad modum concipiendi, eáque fundata in congruentijs, à nobis superiùs recensitis, *Neg. Conseq.*

§. II.

Solvuntur objectiones contra secundam partem Thesis, *quæ dicit: quòd possint plures Personæ Divinæ eandem naturam creatam assumere.*

40. OBjicies 1mò. Ex eo: *quòd huic sententiæ videatur adversari S. Anselmus.* Unde sic: S. Anselmus *lib. 2. cur Deus homo. cap. 9.* dicit: *Plures personæ non possunt assumere unum eundémque hominem in unitate personæ, quare in una tantùm persona, id fieri necesse est*: ergo. *Resp. Explicando textum S. Anselmi*: plures personæ non possunt assumere eandem

dem humanitatem, ità, ut ex illis perſonis uni naturæ unitis, reſultet una perſona, *Conced.* Ità, ut reſultent tres perſonæ, ſeu ità, ut una natura ſubſiſtat in tribus perſonalitatibus, *Neg. textum S. Anſelmi.* Ità *Godoy q.* 3. *tract.* 2. *Diſp.* 16. §. 3. *n.* 40.

Objicies 2dò. Pater, qui eſt innaſcibilis, diceretur in hoc caſu naſcibilis, ſi videlicet aſſumeret naturam humanam, ſicut illam aſſumpſit defactò Filius; atqui hoc non: ergo. *Reſp. Diſt. Maj.* diceretur naſcibilis ſecundùm diverſas naturas, *Conced.* ſecundùm eandem naturam, *Neg. Maj.* Secundùm naturam divinam eſſet innaſcibilis, ſecundùm naturam verò humanam eſſet naſcibilis, quod non implicat, ùt per ſe patet: ergo. 41.

Replicabis. Saltèm Pater diceretur filius hominis; atqui hoc non videtur poſſe admitti, propter confuſionem perſonarum divinarum: ergo. *Reſp. Neg. Min.* Sicut enim non confunduntur humanæ perſonæ per hoc, quòd Cajus & Titius ſint ejuſdem parentis filij, ità neque hìc fieret ulla confuſio Divinarum Perſonarum. Hinc *S. Thom.* 3. *p. q.* 3. *a.* 5. *ad* 1. ità dicit: *Filiatio temporalis, quâ dicitur Chriſtus filius hominis, non conſtituit perſonam ipſius, ſicut filiatio æterna, ſed eſt quiddam conſequens nativitatem temporalem. Unde ſi per hunc modum nomen filiationis ad Patrem, vel Spiritum Sanctum transferretur, nulla ſequeretur confuſio divinarum perſonarum* : ergo &c. 42.

Objicies 3tiò. Incarnatio eſt miſſio : ergo ſi Pater incarnaretur, poſſet dici miſſus, quod ei repugnat; ergo Pater non poteſt incarnari. *Reſp. Diſt. Ant.* Incarnatio illius perſonæ, quæ eſt procedens & originata ab alia, eſt miſſio, *Conced.* Incarnatio perſonæ non originatæ, nec ab alia procedentis, eſt miſſio, *Neg. Ant. & Conſeq.* Miſſio Perſonarum Divina- 43.

vinarum apud Theologos nihil aliud significat, quàm originem unius personæ ab alia, ùt connotantem aliquam specialem actionem temporalem personæ originatæ, ratione cujus actionis, talis persona incipit novô aliquô modô esse in mundo; adeoque ejusmodi missio duo importat, unum in recto, videlicet, originem unius personæ ab alia; alterum in obliquo, videlicet, aliquam actionem temporalem; per quam novô modô, persona originata incipit esse in mundo; cùm itaque Pater non esset persona originata, signum est, quòd ipsi missio non competeret, licèt novô modô inciperet esse in mundo, sicut competit Filio.

44. *Objicies 4tò.* Si Pater aut Spiritus Sanctus incarnaretur, tunc homines per talem Incarnationem fierent filij adoptivi; atqui hoc non: ergo. *Prob. Min.* Filiatio adoptiva est participata similitudo filiationis naturalis: atqui tunc non esset, quia filiatio naturalis non convenit Patri, neque Spiritui Sancto: ergo. *Resp. Neg. Min. Ad Prob. Neg. iterum Min.* Nec obstat causalis in *Min.* posita. Quia, licèt filiatio adoptiva non habeatur à Patre & Spiritu Sancto, ùt causa exemplari, illa tamen fit in nobis appropriatè à Patre, qui est principium filiationis naturalis, & per donum Spiritus Sancti, qui est amor Patris & Filij. Hinc *S. Thom. hic q. 3. a. 5. ad 2.* ità dicit. *Dicendum, quòd filiatio adoptiva est quædam participata similitudo filiationis naturalis; sed fit in nobis appropriatè à Patre, qui est principium naturalis filiationis, & per donum Spiritûs Sancti, qui est amor Patris & Filij, & ideò, sicut incarnatô Filiô adoptivam filiationem accipimus ad similitudinem filiationis naturalis ejus: ità Patre incarnatô adoptivam filiationem reciperemus ab eo, tanquam à principio naturalis filiatio-*

liationis, & Spiritu Sancto, tanquam à nexu communi Patris & Filij: ergo &c.

Objicies 5tò. Si Pater aut Spiritus Sanctus incarnaretur, tale compositum esset Filius Dei; atqui non adoptivus: ergo naturalis; atqui etiam non esset filius Dei naturalis, quia hoc est proprium Verbi: ergo. *Prob. seqvel. Maj.* Pater, & Spiritus Sanctus in natura humana subsistens, esset hæres, & non esset hæres extraneus: ergo esset filius naturalis. *Prob. Conseq.* Omnis hæres non filius, est hæres extraneus; atqui non esset hæres extraneus, quia non esset filius adoptivus: ergo esset filius Dei naturalis. *Resp. Neg. sequel. Maj.* Et dico: illud compositum theandricum ex natura humana & Patre, aut Spiritu Sancto, non fore filium adoptivum; quia non esset persona extrane. Neque naturalem; quia careret filiatione personali, à virtute generativa procedente, quæ est fundamentum in Christo, filiationis temporalis. Esset itaque *hæres*, & habens jus substantiale ad bona Patris; non esset tamen *filius naturalis*, quia non omnis *hæres* est *filius*, tum in creatis, tum in Divinis, ùt patet in Spiritu Sancto; qui habet *Deitatem*, & *jus* ad omnia bona Patris, procedítque à Patre, & tamen non ideò est *filius*; quia non procedit ex vi virtutis generativæ paternæ: ergo &c. 45.

Objicies 6tò. Si tres personæ incarnarentur, hæc Incarnatio esset mysterium Trinitatis in creatis; atqui in creatis mysterium Trinitatis non admittitur: ergo necque talis Incarnatio admitti potest. *Prob. Maj.* Una natura humana esset tripliciter subsistens: ergo. *Resp. Neg. Maj.* Quia natura humana in hoc casu esset quidem tripliciter subsistens, sed non identificata cum tribus personalitatibus, utì est in mysterio 46.

ſterio Trinitatis. *Præterea* : illa triplex terminatio, non haberetur neceſſariò, & ex innata fœcunditate naturæ humanæ, ſed contingenter, & ex potentia obedientiali ; at verò in myſterio Trinitatis haberetur neceſſariò, & ex innata fœcunditate Naturæ Divinæ: ergo.

47. *Objicies 7mò.* Si plures Perſonæ Divinæ aſſumerent eandem naturam creatam, daretur inter illas perſonas communicatio idiomatum, adeoque Pater poſſet dici filius; atqui hoc non: ergo. *Reſp. Diſt. Maj.* Daretur inter illas perſonas communicatio idiomatum, quoad prædicata communia, eſſentialia, & abſoluta, *Conced.* Quoad prædicata notionalia, perſonalia, & relativa, *Neg. Maj.* Unde non poſſet dici: *Pater eſt filius*, quia iſta ſunt prædicata relativa : ergo.

48. *Objicies 8vò.* Virtus generativa infinita in Deo, exhauritur unicô Verbô, ùt terminô adæquatô : ergo multò magìs terminabilitas finita humanitatis, exhauritur unicâ terminatione unius ſubſiſtentiæ divinæ. *Reſp.* Neg. *Conſeq. Diſp. eſt*: Quia, ſi Verbum & Filius, non eſſet adæquatus terminus generationis divinæ, ſed poſſibilis alius filius, tunc hic filius non eſſet ſimpliciter infinitus, in ratione filij; adeoque deficeret in *formali* linea Verbi; at verò non repugnat humanitati deficere, imò hæc eſt *eſſentialiter* defectibilis, præterquam, quòd ipſius *obedientialis* terminabilitas importet non repugnantiam : adeoque connotet potentiam facientis infinitam ; ergo &c.

49. *Objicies 9nò.* Natura humana per unam Perſonalitatem Divinam, jam eſt *ultimatè* completa in linea ſubſtantiali; ergo nequit in eadem linea compleri ulteriùs, per aliam ſubſiſtentiam. *Reſp. Diſt. Conſeq.* Ergo nequit ulteriùs compleri, ùt eſt completa, & in

in eadem ratione, *Conced.* Quæ eſt completa, & in diverſa ratione, *Neg. Conſeq.* Inſtantia eſt in Natura Divina, quæ terminata perſonalitate Patris, de factò terminatur perſonalitate Filij, & Spiritus Sancti, tanquam diverſis rationibus.

Replicabis. Ex eo, quòd Natura Divina defactò ter- 50.
minetur tribus perſonalitatibus, non bene infertur, quòd etiam natura humana poſſit ſic terminari: ergo. *Prob. Ant,* Inter Naturam Divinam & humanam, ſunt varia diſcrimina: ergo licèt hoc Naturæ Divinæ convenire poſſit, non tamen poteſt naturæ humanæ competere. *Prob. Ant.* Aſſignando hæc diſcrimina: *Primum diſcrimen eſt:* Nam Naturæ Divinæ hoc convenit propter infinitatem, & fœcunditatem infinitam; quia autem natura creata eſt finita, & limitata, ideò talis terminatio ipſi convenire non poteſt, aliàs evaderet infinita. *Secundum eſt:* Natura Divina nullâ ſubſiſtentiâ relativâ & perſonali, *adæquatè* terminatur, ſed tantùm *inadæquatè*; petit enim ob ſummam fœcunditatem eſſe communis tribus perſonis, ac proinde nullâ illarum *adæquatè* terminari; at verò natura creata non poteſt terminari Perſonalitate Divinâ, quin per illam *adæquatè* terminetur; & quia implicat ſimul per plures terminos *adæquatè* terminari, ideo fit, ut ſemel terminatâ ſubſiſtentiâ v. g. Filij, aliâ ſubſiſtentiâ Divinâ ſimul terminari non poſſit. *Tertium eſt:* Quia eſſentia Divina per ſubſiſtentias proprias non in alio, ſed in ſe ſubſiſtit; atqui non repugnat idem in ſe ipſo ſubſiſtere pluribus modis: ergo. At verò natura creata per ſubſiſtentiam alienam non ſubſiſtit in ſe, ſed in alio; ac per conſequens ſiſtit in illo, cum quo non ſtat tranſire ad ſubſiſtendum in alio. Ità *arguit Cardinalis de Lugo Diſp. 12. ſect. 6. n. 82.*

51. *Resp. Neg. Ant. cum sua Prob. Ad ejus Prob.* dico: *Primum discrimen nullum esse.* Nam, licèt esse in pluribus personis, *connaturaliter*, *ab intrinseco*, *ex infinitate* naturæ, & illius *summa fœcunditate* proveniat; esse tamen in pluribus personis vi potentiæ *obedientialis*, infinitatem naturæ creatæ non arguit; quia de factò hoc convenit naturæ humanæ in Christo, quæ tamen per hoc infinita non evadit: ergo, licèt posse *connaturaliter* tribus subsistentijs Divinis terminari, & hoc ab intrinseco exigere, solùm naturæ infinitæ possit competere: posse tamen illis *obedientialiter* uniri, illísque terminari, infinitatis signum non est, sed potest convenire naturæ limitatæ & finitæ, quin eô ipsô arguatur esse infinita. *Godoy q. 3. de Incarnat. tract. 3. Disp. 16. §. 2. n. 33.*

52. *Secundum etiam discrimen non subsistit.* Nam, vel procedit de adæquatione *intensiva*, vel de adæquatione *extensiva*; atqui nullô modô ex his, potest assignatum discrimen subsistere: ergo. *Prima pars Min. patet*: nam adæquatio intensiva consistit in hoc, quòd nihil naturæ interminatum à personalitate v. g. Filij, relinquatur: ergo personalitas Filij *adequatè intensivè* terminat Naturam Divinam; & consequenter hoc genere adæquationis, *adequatè* terminatur à pluribus personalitatibus. *Prob. itaque secunda pars Min.* Nam, licèt personalitas Verbi terminet adæquatæ intensivè naturam creatam, secundùm potentiam, & capacitatem obedientialem, non tamen illam terminat *adæquatè extensivè*: ergo quantùm ad hoc, nullum est discrimen: *Prob. Ant.* Tum, quia hoc asserunt Authores nostræ sententiæ: ergo hoc non debet ab Adversarijs supponi, sed probari, ut ipsorum assignatum discrimen subsistat. Tum, quia, licèt personalitas Verbi *connaturaliter* terminet Na-

turam Divinam, tamen cum *inadæquatione extenſiva*, poteſt ſtare per reſpectum ad ipſam, *adæquatio intenſiva*: ergo ſimiliter per reſpectum ad naturam creatam *obedientialiter* terminabilem, poterit ſtare *extenſiva inadæquatio*, cum *adæquatione intenſiva*. Sicut enim *inadæquatio extenſiva* cum Natura Divina, nullam refundit imperfectionem in perſonalitatem Verbi, ità nec *inadæquatio extenſiva* cum natura creata, ùt *obedientialiter* terminabili, refundet aliquam imperfectionem in eandem perſonalitatem Verbi.

Tertium denique diſcrimen non ſubſiſtit. Tum, quia 53.
Natura Divina non ſolùm ſubſiſtit in ſe, ſed etiam ſubſiſtit in Filio ſeu Verbo, exiſtit enim in illo; &, quia non per inhærentiam, nec per unionem phyſicam, neceſſariò per ſubſiſtentiam; & tamen hoc non obſtante, poteſt ſubſiſtere in Patre & defactò ſubſiſtit: ergo pariter, quamvìs natura creata unita perſonæ Filij, ſubſiſtat in illo, poterit in illo non ſiſtere, ſed ſimul ſubſiſtere in Patre. Tum, quia natura creata per propriam ſubſiſtentiam non ſiſtit *in ſe ipſa*, cùm uniatur ſubſiſtentiæ à ſe realiter diſtinctæ, ſed ſiſtit *in aliquo ſui*, nempe, in modo ſubſtantiali ei ſuperaddito, & tamen ſiſtere in propria ſubſiſtentia, non dicit excluſionem tranſitûs ad aliam propriam; cùm Natura Divina (*ùt conſtat ex fide,*) ſimul ſubſiſtat tribus proprijs ſubſiſtentijs: ergo naturam creatam ſubſiſtere per alienam ſubſiſtentiam, & in alieno ſuppoſito, non dicit ſiſtentiam in illo, (*hoc eſt: quòd ità ſubſiſtat, ut non poſſit per aliam ſubſiſtentiam ſubſiſtere,*) cum excluſione eſſentiali, ſubſiſtenti ſimul per alienam ſubſiſtentiam in alio. *Godoy loc. ſup. cit. n. 36.*

Objicies tomò. Subſiſtentia eſt terminus, reddens na- 54.
turam incommunicabilem alteri, ùt ſuppoſito: ergo

natu-

natura creata, non poteſt terminari, nisì unâ ſubſiſtentiâ. *Reſp. 1mò. Diſt. Ant.* Subſiſtentia eſt talis terminus, reddens naturam alteri incommunicabilem naturaliter, *Conced.* Obedientialiter, & ſupernaturaliter, *Neg. Ant.* Et ſub ſimili diſtinctione *Neg. Conſeq. Reſp. 2dò. Diſt. Aliter Ant.* Reddit naturam incommunicabilem alteri in ſenſu compoſito, & reduplicativo, *Conced.* In ſenſu diviſo, & ſpecificativo, *Neg. Ant.* Sic Natura Divina ſecundùm ſe conſiderata, completur per tres perſonalitates, licèt perſonalitas Filij non poſſit complere Naturam Divinam, ùt affectam paternitate, aut viciſſim. *Reſp. 3tiò. Diſt. adhuc aliter Ant.* Subſiſtentia creata eſt talis terminus, *Conced.* ſubſiſtentia increata, *Neg. Ant. & Conſeq.* Aut poteſt dici: quòd effectus formalis primarius ſubſiſtentiæ, ſit reddere naturam ſubſiſtentem, formalis verò ſecundarius, ſit reddere incommunicabilem alteri, ùt aliqui Philoſophi, & Theologi volunt; atqui effectum ſecundarium poteſt Deus impedire: ergo etiam hanc incommunicabilitatem alteri.

55. *Objicies 1mò.* Non poteſt una eadémque materia informari duabus formis ſubſtantialibus: ergo neque una natura creata terminari duabus ſubſiſtentijs. *Reſp. 1mò. In ſententia plurimorum Neg. Ant.* Ex eo, quòd in hoc non appareat multis, ſpecialis contradictio & repugnantia; atqui in quo non apparet ſpecialis contradictio, hoc omnipotentiæ Dei eſt admittendum: ergo. *Reſp. 2dò. Neg. Conſeq. Diſpar. in ſententia Thomiſtarum eſt hæc:* quia unus terminus perſonalis divinus, non excludit alterum à natura. *Item*, terminus perſonalis non ceſſat eſſe perſonalis ex hoc, quòd terminet naturam, quæ eſt terminata aliô terminô perſonali, ùt patet in natura Divina tri-

triplici terminô perſonali terminata ; at verò duæ formæ ſubſtantiales excludunt ſe ex una eadémque materia. *Item*, forma ſubſtantialis, ſaltèm una, ceſſaret eſſe *actus primus*, quia adveniret enti ſubſtantialiter completo : ergo.

Objicies 12*mò*. Repugnat, ut idem effectus dependeat à pluribus cauſis efficientibus totalibus: ergo etiam repugnat, ut eadem humanitas dependeat à pluribus perſonalitatibus divinis, quia dependeret à qualibet, tanquam à totali termino. *Reſp.* 1*mò*, in probabili ſententia, pro qua ſolidæ adduci ſolent in Philoſophia rationes, *Neg. Ant. Reſp.* 2*dò. Diſt. Ant.* Repugnat, ut idem effectus, ſecundùm idem eſſe dependeat à duabus cauſis efficientibus totalibus, *Conced.* ſecundùm diverſum eſſe, *Neg. Ant. Reſp.* 3*tiò. Neg.Conſeq. Diſp. eſt :* quia cauſæ totales darent idem eſſe effectui ſecundùm totalem influxum : ergo eſſent, & non eſſent totales; at verò tres perſonalitates divinæ, non darent humanitati idem, ſed triplex eſſe perſonale: ergo. 56.

Objicies 13*tiò*. Implicat, ut idem corpus ſimul circumſcribatur & terminetur duplici locô adæquatô : ergo etiam implicat, ut eadem natura humana terminetur duplici ſubſiſtentiâ, tanquam terminô adæquatô. *Reſp.* 1*mò*. in ſententia admittente replicationem, quæ valdè probabilis eſt, *Neg. Ant. Reſp.* 2*dò*. in ſententia negante replicationem, *Neg. Conſeq. Diſp. eſt* 1*mò*. Quia ſi aliquod corpus eſſet in duobus locis, tunc quilibet locus eſſet adæquatus & non eſſet ; circumſcriberet adæquatè, & etiam non circumſcriberet adæquatè. 1*mum* ſupponitur, 2*dum*. probatur : Quia Corpus eſſet extra illum locum, ùt ſupponitur ; extra quod autem corpus eſt, illô non terminatur nec 57.

circumſcribitur adæquatè ; ſicut illud non poteſt eſſe definitio adæquata eſſentialis , extra quam eſt vel unicum prædicatum eſſentiale : ergo. At verò in noſtro caſu ex duplici termino perſonali, non ſequitur talis contradictio, ùt patet in Natura Divina, triplici perſonalitate terminata. *Diſp. eſt 2dò*: Quia terminatio loci, debet fieri per *adæquationem*, & perfectam *commenſurationem* locati cum loco; cùm itaque implicet, ut corpus unius ulnæ, ſimul *perfectè* ſit æquale , ac *commenſuratum* ſpacio duarum ulnarum, ideò implicat idem corpus poni ſimul in duobus locis ; at verò ad terminationem perſonalitatis non requiritur *adæquata* & *perfecta commenſuratio* naturæ cum perſonalitate, ùt patet in Christo, in quo defactò natura finita, terminatur perſonalitate infinitâ : ergo.

58. *Replicabis.* Una ſubſiſtentia divina explet totam capacitatem naturæ creatæ, in ordine ad ſubſiſtendum: ergo etiam hoc non poteſt fieri. *Reſp. Diſt. Ant.* Explet in ordine ad ſubſiſtendum ſubſiſtentiâ ejusdem rationis , *Conced.* Alterius rationis, *Neg. Ant. & Conſeq.* Unde natura humana completa per unam perſonalitatem, non poteſt compleri per aliam ejuſdem rationis, ſed per alterius rationis, ùt patet in Natura Divina, quæ ſecundùm ſe conſiderata completur per tres perſonalitates, licèt perſonalitas Filij non poſſit complere Naturam Divinam, ùt affectam Paternitate, vel viciſſim , *ùt ſuperiùs dictum eſt n. 49.*

59. *Objicies 14tò.* Implicat, idem numerô accidens ſimul recipi in pluribus ſubjectis : ergo etiam implicat, unam, naturam creatam ſubſiſtere in tribus ſuppoſitis. *Reſp. 1mò.* in ſententia docente: individuationem deſumi à propria cujuslibet rei entitate, *Neg. Ant.*

Ant. Resp. 2*dò.* in ſententia Thomiſtarum, *Neg. Conſeq. Diſp. eſt* : quia, cùm juxta illos accidens deſumat ſuam unitatem numericam à ſubjecto, ſi idem numerô accidens exiſteret ſimul in pluribus ſubjectis, eſſet idem numerô, ùt ſupponitur; & ſimul non eſſet; quia eſſet diverſum juxta diverſitatem ſubjectorum; at verò natura ſubſtantialis, non habet ſuam unitatem numericam à perſona, ſed potiùs ipſa perſona, ſi ſit creata, ſumit ſuam unitatem numericam à natura, quæ in ea ſubſiſtit. *Gonet Diſp.* 8. *de Perſona aſſumente. a.* 4. §. 2. *n.* 88.

Objicies 15*tò.* Perſona creata, non poteſt termina- 60.
re plures naturas, quia eſt finita: ergo etiam natura creata, non poteſt terminari pluribus perſonalitatibus, quia eſt finita. *Resp. Neg. Conſeq. Diſp. eſt* : quia, cùm perſonalitas creata, ſit actus naturæ, ideò major perfectio requiritur ex parte ipſius, ut poſſit terminare; cùm ſemper requiratur plùs ad agere, quàm ad pati; at verò natura humana in hoc caſu non habet ſe ùt actus, ſed ùt potentia, &, cùm ad pati minùs requiratur, ideò mirum non eſt, quòd natura creata, licèt ſit finita, poſſit divinitùs terminari à pluribus perſonalitatibus.

Objicies 16*tò.* Illæ perſonæ aſſumentes eandem na- 61.
turam humanam, non eſſent plures homines, propter unitatem naturæ humanæ; atqui etiam non eſſent unus homo, propter pluralitatem perſonarum: ergo. *Resp. Neg. Min. Ratio eſt:* Quia ſicut Natura Divina, licèt terminetur tribus perſonalitatibus, debet dici unus Deus, ità à pari hìc deberet dici unus homo; ad multiplicationem enim hominem requiritur, ut non tantùm perſonalitates, ſed etiam, ut naturæ multiplicentur. *Præterea:* Chriſtus eſt unus ſpecie homo cum alijs hominibus, propter unitatem ſpecificam

naturæ humanæ, quamvìs persona Christi plùs quàm genere differat, à personis reliquorum hominum: ergo etiam in nostro casu tres Personæ Divinæ, essent unus tantùm homo, propter unitatem numericam naturæ humanæ, etiamsi ipsæ personæ sint inter se distinctæ.

62. *Replicabis.* Deberet dici, quòd in hoc casu essent tres homines: ergo. *Prob. Ant.* 1*mò.* Si tres personæ haberent unam tantùm vestem, vel albedinem, dicerentur tres vestiti, aut albi: ergo etiam, si tres personæ haberent unam humanitatem, deberent dici tres homines. 2*dò.* homo idem significat, ac habens humanitatem; atqui essent tres habentes humanitatem: ergo etiam tres homines. *Min.* patet. *Prob. Maj.* Quia inter concretum & abstractum est hoc discrimen, quòd concretum directè supponat pro habente formam, abstractum verò pro forma habita: ergo. 3*tiò.* Ad multiplicationem concreti substantivi non requiritur, ut multiplicetur utrumque significatum in recto, & in obliquo, sed sufficit multiplicari ejus significatum in recto: ergo. *Prob. Ant.* Si tres personæ assumerent eandem humanitatem, essent verè tres personæ; atqui persona est etiam nomen substantivum: ergo ad hoc, ut multiplicetur nomen substantivum, sufficit multiplicari ejus significatum in recto. 4*tò.* Pater in eo casu esset homo; atqui non esset idem homo, qui Filius, quia Pater est aliud suppositum à Filio: ergo Pater esset alius homo à Filio, adeoque etiam à Spiritu Sancto: ergo essent tres homines, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. 5*tò.* Bonus est iste Syllogismus: Omnis persona humana est homo; sed essent tres personæ humanæ: ergo essent tres homines. *Resp. Neg. Ant. Ad* 1*mam Probat. Neg. Conseq. Disp. est:* Quia esse vestitutum & album, sunt no-

nomina adjectiva, quæ ſuam unitatem vel pluralitatem ſumunt ex ſubjecto, non verò ex accidente; at verò nomina ſubſtantiva, ſumunt ſuam unitatem vel pluralitatem à natura; & quia hìc eſſet una natura, ideò etiam eſſet unus homo. *Ad 2dam, Tranſ. Maj.* Cùm homo quoad modum ſignificet ſubſtantivè, habens verò humanitatem adjectivè. *Diſt. Min.* Atqui eſſent tres habentes eandem humanitatem, *Conced.* habentes diſtinctam humanitatem, *Neg. Min. & Conſeq. Ratio eſt :* quia ad multiplicandum concretum ſubſtantivum, non ſufficit, ſuppoſita eſſe multa, ſed neceſſe eſt etiam formas ſeu naturas eſſe multas. Inſtantia eſt in SS. Trinitate, in qua non multiplicatur concretum ſubſtantivum *Deus*, propter unitatem Naturæ Divinæ. *Ad 3tiam Neg. Ant. Ad Probat. Diſt. Min.* Atqui perſona eſt etiam nomen ſubſtantivum, & habet aliquid peculiare præ alijs, *Conced.* Et non habet aliquid peculiare præ alijs, *Neg. Min.* Similiter *Diſt. Conſeq. Et Neg. Conſeq.* Nomini *Perſonæ* hoc eſt peculiare, ut multiplicetur, multiplicatâ ſolâ perſonalitate; alia autem concreta ſubſtantiva non poſſunt multiplicari, nisì ſecundùm rectum & obliqvum multiplicentur. *Ratio Diſparitatis eſt :* quia in nomine perſonæ, *perſonalitas* eſt ſimul forma, ſeu ſignificatum in obliquo, & ſignificatum in recto; at verò in alijs v. g. in *ly homo*, humanitas ità ſignificatur per modum formæ ſeu in obliquo, ut nullô modô ſignificetur in recto; hôc modô enim ſignificatur perſonalitas. *Ad 4tam Neg. Min.* Sicut enim Pater eſt idem Deus, ſic Filius & Spiritus Sanctus, licèt ſit aliud ſuppoſitum; ità etiam in hoc caſu eſſet idem homo, licèt ſit aliud ſuppoſitum, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. *Ratio eſt :* quia *ly alius*, quando additur concreto ſubſtantivo, v. g. Deo, vel homini,

non tantùm significat alietatem suppositi, sed etiam naturæ, quam *ly Deus* aut *ly homo* distinctè significat. Unde hi termini: *unus homo*, *hic homo*, sic sunt resolvendi : *suppositum unius vel hujus naturæ humanæ*; non verò sic : *unum suppositum*, *vel hoc suppositum naturæ humanæ*; quod patet in *ly Deus*, licèt enim rectè dicatur esse unicus Deus, non tamen bene dicitur esse unicum suppositum Deitatis, sed bene, suppositum unius Deitatis. *Præterea observandum est* : licèt in tali casu plures personæ divinæ, essent unus & idem homo, non possent tamen dici unus & idem simpliciter. *Ratio est* : quia adjectiva: *unus*, *idem*, & similia, dum ponuntur simpliciter, adjectivè sumpta, efficiunt, & determinant ipsum suppositum; dum verò adjunguntur termino substantivo, determinant ipsàm formam seu naturam. *Ad 3tam Nego illum Syllogismum esse bonum*; Sicut nec valet iste : *Omnis persona divina est Deus*; *atqui sunt tres personæ divinæ*: *ergo tres Dij*. Nam ratio Personæ desumitur à natura humana ùt suppositata; ratio verò unitatis ab unitate numerica naturæ humanæ desumi debet, quæ in tali casu cùm esset unica, ideò etiam tantùm unus esset homo; ergo &c.

§. III.

Solvuntur objectiones contra tertiam partem Thesis, *quæ dicit: quòd una persona Divina, possit plures simul naturas creatas terminare.*

63. OBjicies 1mò. Ex eo : *quòd una Persona Divina, non videatur posse, simul plures naturas creatas assumere, & terminare.* Unde sic : Licèt Pater æter-

æternus habeat virtutem infinitam generandi, tamen non poteſt generare nisì unicam perſonam Filij: ergo etiam, licèt quævis Perſona Divina habeat infinitam virtutem aſſumendi, tamen non poterit aſſumere, nisì unicam naturam. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſp. eſt:* Quia perſona Filij genita à Patre æterno, eſt infinita, adeoque perfectè explet, & exhaurit virtutem infinitam generantem; per conſequens mirum non eſt, quòd non poſſit generare alterum Filium; at verò naturæ aſſumptibiles ſunt finitæ, ùtpote creatæ, adeoque non poſſunt explere, & exhaurire infinitam vim aſſumendi Perſonarum Divinarum. *Salmanticenſes hìc Tract. 21. Diſp. 8. dub. 5. §. 1. n. 127.*

Objicies 2dò. Ex hoc ſequeretur, quòd perſonalitas Verbi nullam aliam poſſet terminare naturam, nisì Divinam; atqui hoc eſt falſum: ergo. *Prob. ſequel. Maj.* In Natura Divina habet actum perfectum, & adæquatum, quô illius infinita virtus terminandi expletur: ergo. *Reſp. Neg. ſequel. Maj. Ad Probat. Diſt. Ant.* Habet actum perfectum, & adæquatum, quô expletur illius infinita virtus terminandi ex neceſſitate, & per identitatem, *Conced.* Terminandi liberè, & per aſſumptionem alicujus naturæ alienæ, *Neg. Ant. & Conſeq.* Licèt enim per terminationem Naturæ Divinæ expleatur *adæquatè* virtus terminandi, & aſſumendi ex neceſſitate, non tamen per illam terminationem expletur virtus aſſumendi, & terminandi *liberè:* Sicut voluntas Divina, amando ſe ipſam *ex neceſſitate*, amat bonum ſibi adæquatum, & perfectè expletivum amoris neceſſarij, & nihilominùs poteſt amare creaturas *amore liberô*, qui nullâ bonitate creatâ expletur; ità etiam hic à pari, de perſonalitate Verbi eſt diſcurrendum. Proinde, ſi concedatur virtus aliquid terminandi ad extra, eâdem ratione debet 64.

bet concedi virtus terminandi omne illud, quod in tali genere est terminabile.

65\. *Objicies 3tiò.* Non potest una eadémque forma, simul informare duas materias distinctas, & divisas: ergo neque una persona terminare duas naturas distinctas, & divisas. *Resp. imò.* In sententia multorum Philosophorum, docentium, quòd hoc divinitùs possit fieri. *Neg. Ant. Resp. 2dò.* In aliorum sententia *Trans. Ant. Neg. Conseq. Disp. est: imò.* Quia in primo casu talis forma esset una, & non esset; esset, ùt supponitur; non esset, quia subjectum est duplex: ergo etiam duplex debet esse forma, cùm in his principijs forma desumat individuationem à subjecto: similiter discurrendum est de uno eodémque numero accidente, quod etiam ex eadem ratione non potest esse in duobus subjectis; at verò in altero casu nihil simile accideret: ergo. *Disp. est 2dò:* Quia forma est virtutis finitæ, & limitatæ; hinc unius formæ virtus informativa, seu informativitas, exhauritur per unam adæquatam informabilitatem materiæ; at verò personalitas divina est infinita: ergo.

66\. *Objicies 4tò.* Una subsistentia creata, non potest terminare plures naturas creatas: ergo neque subsistentia Divina. *Resp. Neg. Conseq. Disp. est: 1mò.* quam dat *Suarez hic Disp.* 13. *Sect.* 4. Quia subsistentia creata est modus naturæ creatæ; implicat autem, ut modus unius rei modificet aliam rem; sic implicat, me sedere per *Sessionem* alterius, esse præsentem loco, per *modalem* alterius *præsentiam*; virgam esse rectam, per alterius *rectitudinem*: ergo. At verò subsistentia increata non est modus: ergo, *Disp. est: 2dò.* Quia subsistentia creata, eô ipsô quòd sit creata, est finita; adeoque exhauriri potest terminabilitate finitâ unius naturæ; at verò subsistentia divina est infinita:

nita: ergo nequit exhauriri terminabilitate unius naturæ creatæ. Ità *Gonet hìc Diſp. 8. a. 6. §. 1. n. 119.*

Objicies 5tò. Si Verbum aſſumeret ſimul naturam 67.
humanam & Angelicam, valeret per communicationem idiomatum hæc prædicatio: *hic homo, eſt angelus,* & viciſſim. *Item,* ſi aſſumeret duas humanitates unam albam ex muliere Europæa, alteram nigram ex Maura, valeret hæc prædicatio: *hoc album, eſt nigrum. Item,* ſi una moreretur, & altera viveret, valeret hæc prædicatio: *hoc mortuum, eſt vivens,* & viciſſim; atqui hujusmodi prædicationes videntur eſſe falſæ, ùt docet Cajetanus: ergo. *Reſp.* Cum Divo Thoma, & communiori Theologorum ſententia *Neg. Min.* Dummodò illæ naturæ ſumantur in concreto, tunc enim habebunt hunc veriſſimum ſenſum: *Perſona Divina terminans naturam Angelicam, eſt ſimul terminans naturam humanam. Item, hoc ſuppoſitum habens ſibi unitam humanitatem albam, eſt ſimul habens ſibi unitam alteram humanitatem nigram. Item, hoc ſuppoſitum terminans corpus cadavericum, eſt ſimul terminans corpus vivum.* Ex quo facilè erui poteſt ſolutio aliarum ſequelarum, quas Adverſarij inferunt, & putant eſſe falſas, ſcilicet: quòd idem eſſet Pater & Filius ſui ipſius, ſi Verbum aſſumeret naturam Petri Patris, & naturam Pauli filij. *Item,* quòd idem eſſet generatum, & non generatum, ſi aſſumeret naturam humanam & Angelicam; iſtæ enim ſequelæ non verificarentur *de eodem ſecundùm idem,* ſed ſecundùm *diverſas naturas,* quod non repugnat, ùt patet defactò in Chriſto, in quo, quamvis ſint diverſiſſimæ naturæ, Divina nempe, & humana, tamen per communicationem idiomatum poteſt dici: quod idem ſit *paſſum* & *non paſſum, mortuum* & *non mortuum;* quia hæc omnia explicantur ſecundùm diverſitatem naturarum: ergo &c.

Re-

68. *Replicabis* cum Cajetano. Licèt illæ naturæ poſſent prædicari de eodem ſuppoſito Divino, tamen non poſſent prædicari de ſe invicem: ergo nulla ſolutio. *Reſp. Neg. Ant.* Inſtantiam habemus: in Chriſto enim duæ natuæ in concreto ſumptæ, bene de ſe invicem prædicantur, ſic bene dico: *Deus eſt homo*; & *homo eſt Deus*, ex eo, quòd ſint in eodem ſuppoſito: ergo etiam illæ plures naturæ creatæ, ſi eſſent in uno eodémque ſuppoſito, poſſent in concreto ſumptæ de ſe invicem prædicari.

69. *Urgebis.* Inter naturam Divinam & humanam in Chriſto, & inter aliàs naturas creatas aſſumptas, eſt magnum diſcrimen: ergo non licet à natura Divina & humana in Chriſto, argumentari ad alias naturas creatas aſſumptas. *Prob. Ant.* Quia in Chriſto non ſolùm natura humana eſt unita immediatè Perſonæ Divinæ, ſed etiam ſaltèm mediatè eſt unita Naturæ Divinæ, propter identitatem realem, quam habet Natura Divina cum Verbo; atqui illæ naturæ creatæ, licèt unirentur in perſona, non tamen unirentur inter ſe, neque realiter identificarentur cum Verbo: ergo. *Reſp. Neg. Ant. Ad Prob. Diſt. Maj.* Et illa identitas Naturæ Divinæ cum Verbo, eſt ratio communicationis idiomatum, *Neg.* Et non eſt, ſed potiùs ratio communicationis idiomatum, & mutuæ de ſe invicem prædicationis in concreto, eſt, quòd una & eadem perſona perſonalizet utramque naturam, *Conced. Maj.* Communicatio enim idiomatum in Chriſto non fundatur (*ùt putat Cajetanus*,) in hoc, quòd Divina Natura, & Perſonalitas Verbi, cui eſt unita humanitas, ſint realiter idem, ſed in hoc, quòd, tam Natura Divina, quàm humana habeant eandem perſonalitatem Verbi; atqui etiam illæ naturæ creatæ, haberent eandem perſonalitatem, imò totam perſonam Verbi: ergo

ergo etiam de ipsis verificaretur communicatio idiomatum.

Instabis. Hæc ratio est absque fundamento: ergo. 70.
Resp. Neg. Ant. Fundamentum ipsius desumitur ex instantia de duabus formis accidentalibus, existentibus in eodem supposito, sic v. g. *ars musica*, quæ est in intellectu hominis, & *albedo*, quæ est in ejus corpore, licèt non uniantur inter se, cùm una sit in intellectu, altera in corpore, neque ulla illarum sit identificata subjecto, tamen ex hoc solùm, quòd sint in eodem supposito hominis, possunt de se invicem prædicari in concreto; quia bene dicitur: *hic musicus est albus*; & *hic albus est musicus*: ergo etiam in nostro proposito, etiamsi illæ duæ naturæ non essent inter se unitæ, nec realiter supposito Divino identificatæ, tamen, quia essent in eodem supposito, ideò possent de se invicem prædicari.

Objicies 6tò. Si Verbum Divinum posset assumere 71.
plures naturas creatas, sequeretur, quod etiam posset assumere infinitas; atqui infinitas non potest assumere: ergo nec plures. *Prob. Min.* Si posset assumere infinitas, deberet ipsius personalitas esse infinita; atqui non est infinita; cùm juxta communiorem sententiam, Relationes Divinæ non dicant perfectionem: ergo non potest assumere naturas infinitas. *Resp. Dist. seqvel. Maj.* posset assumere infinitas, ex supposito, quòd existant, aut possibiles sint naturæ creatæ categorematicè infinitæ, *Conced.* Ex supposito, quòd non existant, aut non sint possibiles naturæ creatæ, uti non sunt, juxta probabiliorem sententiam, categorematicè infinitæ, *Neg. seqvel. Maj.* Similiter *Dist. Min. Et Neg. Conseq. Ad Probat. Dist. Maj.* Deberet ipsius personalitas esse infinita quoad rationem *In*, *Conced.* Quòad rationem *Ad*, *Neg. Maj.* Similiter *Dist. Min. Et Neg.*

Conseq.

Conſeq. Licèt enim perſonalitas Verbi quoad rationem *Ad*, nullam dicat perfectionem, quia tamen dicit ſummam perfectionem quoad rationem *In*; ideò poſſet Verbum aſſumere infinitas naturas creatas, ex ſuppoſito, quòd iſtæ exiſterent; quia autem juxta communiorem ſententiam implicat *infinitum creatum categorematicum*; ideò infinitas naturas creatas non poteſt Verbum aſſumere, qui defectus non tenet ſe ex parte Verbi, ſed ex parte naturarum creatarum.

72. *Objicies 7mò.* Si Verbum poſſet aſſumere plures naturas creatas, vel hoc fieret mediantibus pluribus unionibus, vel mediante unâ tantùm unione; atqui nihil horum poteſt dici: ergo. *Prob. Min.* Imprimis non poteſt dici, quòd Verbum poſſet aſſumere plures naturas creatas mediantibus pluribus unionibus; quia ſic reſultarent plura ſuppoſita, quod non admittitur. Atqui etiam non poſſet Verbum aſſumere easdem, mediante unicâ unione; quia, cùm unirentur Verbo plures naturæ, deberent ſimiliter multiplicari uniones: ergo. *Reſp. Neg. Min.* Et dico: quòd talis aſſumptio, & terminatio fieret mediantibus pluribus unionibus; quia illæ plures naturæ ante aſſumptionem eſſent intrinſecè indifferentes, ut aſſumantur à Verbo, vel à Patre, aut Spiritu Sancto; atqui intrinſeca indifferentia debet tolli per unionem ſuperadditam, ùt patet ex *Theſi* 4. ergo. *Ad Probat. Neg.* Quòd in illo caſu eſſent plura ſuppoſita; quia licèt defactò in Chriſto ſint duæ naturæ, Divina videlicet, & humana, tamen eſt tantùm unum ſuppoſitum; ità in noſtro caſu fieret.

73. *Objicies 8vò.* Si Verbum Divinum poſſet aſſumere plures naturas creatas, ſequeretur, quòd poſſet aſſumere unam hìc Paagæ, & alteram Viennæ; atqui hoc

hoc videtur esse impossibile: ergo. *Prob. Min.* Impossibile est, ut localiter distantia fiant simul localiter indistantia; atqui in isto casu, hæ duæ naturæ localiter distantes, fierent simul localiter indistantes: ergo. *Prob. Min.* Essent distantes localiter, ùt supponimus, quia una esset Pragæ, & altera Viennæ. Atqui etiam fierent localiter indistantes, quia unirentur eidem Verbo: ergo in isto casu hæ duæ naturæ localiter distantes, fierent simul localiter indistantes. *Resp. 1mò. Conced. Maj. Neg. Min. Ad Probat. potest negari Maj.* In sententia admittente replicationem; quia, si Petrus v.g. qui est Pragæ, replicaretur Viennæ, esset simul distans localiter, & indistans, sinè ulla contradictione; nam proùt esset Pragæ, distaret Viennâ; proùt verò esset Viennæ, non distaret Viennâ: ergo. *Resp. 2dò. Trans. Maj. Probat. Neg. Min. Ad ejus Probat. Neg. iterum Min.* quoad primam partem, videlicet, quòd illæ duæ naturæ essent indistantes localiter. *Ratio est:* quia valeret quidem dicere: quòd illæ duæ naturæ essent eidem supposito unitæ; sed non hoc, quòd essent in eodem loco locatæ: ergo &c.

Dices. Illa natura, quæ esset Pragæ, esset etiam Viennæ, & è contra illa, quæ est Viennæ, esset etiam 74.
Pragæ: ergo essent in eodem loco. *Prob. Ant.* Verbum Divinum propter suam immensitatem, esset simul Pragæ, & Viennæ: ergo etiam utraque natura ipsi unita, esset simul Pragæ, & Viennæ. *Resp. 1mò.* Quòd hoc Argumentum nimis multùm probet, quia ex illo sequeretur, quòd natura humana unita Verbo, esset ubique, cùm ubique sit Verbum; atqui hoc dicere, est incidere in hæresim Ubiquistarum: ergo. *Resp. 2dò. Neg. Ant. Ad Prob. Neg. Conseq.* Ratio est: nam, non ubicunque est Verbum, deberent etiam esse

illæ naturæ, ipsi unitæ; siquidem Verbum est immensum, & illimitatum; naturæ verò ipsi unitæ, sunt limitatæ: ergo. *Instantia* est manifesta in anima rationali, quæ etiam aliquô sensu dicitur in corpore humano illimitata, cùm *sit tota in toto, & tota in qualibet parte hominis*; hæc, licèt eadem sit in capite, quæ est in pede, ex hoc tamen non sequitur, quòd caput, & pes sint in eodem loco, aut ibi, ubi est anima rationalis; & hoc ideò, quia anima rationalis est quodammodò illimitata, caput verò & pes sint partes limitatæ; cùm autem etiam illæ duæ naturæ assumptæ essent limitatæ, ideò non sequitur, quòd ibi essent, ubi esset Verbum, aut ibi esset una, ubi est altera.

75. *Replicabis.* Ubicunque est Verbum, ibi etiam est Natura Divina: ergo etiam, ubicunque esset Verbum, deberent esse illæ naturæ assumptæ. *Resp. Neg. Conseq. Disp. est*: Quia Natura Divina est immensa, & realiter identificata ipsi Verbo: ergo mirùm non est, quòd, ubicunque est Verbum, sit etiam Natura Divina; at verò naturæ creatæ non sunt immensæ, nec realiter identificatæ Verbo, sed tantùm in hoc casu essent ipsi unitæ: ergo &c.

76. *Urgebis.* Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: ergo etiam quæcunque sunt indistantia ab uno tertio, sunt etiam indistantia inter se. *Resp. Explicando axioma*: Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, in illa ratione, in qua sunt eadem uni tertio, sunt etiam eadem inter se, *Conced.* In alia ratione, *Nego axioma.* Sic in Divinis Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; quia sunt idem cum Deitate, sunt etiam in hac ratione idem inter se; siquidem sunt unus, & idem Deus; verùm in alia ratione, nempe, in personalitatibus, non sunt idem. *Dist. etiam*

Con-

Conſeq. Ergo etiam quæcunque ſunt indiſtantia ab uno tertio, ſunt indiſtantia inter ſe, ſi illud tertium ſit limitatum, *Tranſ.* Si abſolutè, vel aliquomodo ſit illimitatum, & illa duo ſint limitata, utì contingeret in noſtro caſu, & manifeſtè apparet in inſtantia de anima rationali, *Neg. Conſeq.* Aut aliter *Diſt. idem Conſeq.* Erunt indiſtantia inter ſe in ea ratione, in qua non diſtant, ab illo tertio, *Conced.* In alia ratione, *Neg. Conſeq.* Hoc de talibus duabus naturis verum eſſet dicere: quòd ſint præſentes eidem ſuppoſito; ſed non hoc: quòd ambæ ſint præſentes eidem loco; vel: ubicunque eſt Verbum, ibi etiam ſint ſimul illæ duæ naturæ, Verbo unitæ.

Objicies 9nò. Tali caſu, quô una perſona aſſumeret 77. plures naturas creatas, vel eſſent plures homines, vel non? Atqui nihil poteſt dici: ergo. *Reſp. Neg. Min.* Et dico: quòd non eſſent plures homines. Ità *D. Thomas hìc q. 3. a. 7. ad 2.* Ubi ſic habet: *Ideò, ſi perſona divina aſſumeret duas naturas humanas, propter unitatem ſuppoſiti, diceretur unus homo, habens duas humanitates. Ratio eſt: 1mò.* Quia, ut cenſeantur eſſe plures homines, debent & naturæ multiplicari, & perſonalitates; atqui in noſtro caſu non multiplicarentur perſonalitates: ergo neque homines. Si autem omnes tres Perſonæ Divinæ aſſumerent tres naturas humanas diſtinctas, tunc eſſent tres homines, quia & naturæ, & perſonalitates eſſent multæ. *2dò.* Quia, ſi una perſona cum tribus humanitatibus conſtitueret tres homines, etiam cum duabus animalitatibus, conſtitueret duo animalia; & conſequenter cum duabus naturis viventibus, duos viventes: atqui hoc non: ergo nec illud. *Prob. Min.* In Chriſto eſt una perſona cùm duabus naturis viventibus, & tamen non ſunt duo viventes; aliàs enim deſignatô unô, poſſet

dici: hoc vivens vitâ increatâ, *ſcilicet Deus*, non eſſet illud vivens vitâ creatâ, *ſcilicet*, *homo*; adeoque de Chriſto poſſet dici: homo non eſt Deus, & è contra, quod eſt hæreticum: ergo &c.

78. *Replicabis.* Videtur, quòd in tali caſu, quô una perſona aſſumeret plures naturas creatas, eſſent plures homines: ergo. *Prob. Ant. 1mò.* S. Thom. *in* 3. *Diſt.* 4. *q.* 2. *a.* 5. *ad* 2. dicit: *Singularitas, & pluralitas termini ſubſtantivi, qualis eſt homo, attenditur ſecundùm unitatem, aut pluralitatem naturæ ſignificatæ, & non ſecundùm unitatem aut pluralitatem ſuppoſitorum:* ergo multiplicatis humanitatibus, multiplicatur homo, etiamſi non multiplicetur ſuppoſitum. *2dò.* Ad unitatem termini completi ſubſtantialis, ſufficit ſola unitas formæ, absque unitate ſuppoſiti, quia, ùt ſuperiùs dictum eſt, ſi tres Perſonæ Divinæ, unam eandémque humanitatem aſſumerent, eſſent tantùm unus homo, propter numericam unitatem humanitatis: ergo è contra ad multiplicationem termini concreti ſubſtantialis, ſufficiet ſola multitudo formarum, absque multitudine, & pluralitate ſuppoſitorum: ergo una perſona aſſumens tres ſimul humanitates, erit triplex homo, ſeu tres homines. *3tiò.* Unitas & multitudo ſubſtantivorum, debet attendi ſecundùm idem principium: ergo. *4tò.* Quamvìs in Chriſto admitti poſſint duo viventes *ſubſtantivè*, non tamen ſequitur, unum poſſe negari de altero; quia inter ſe non differunt ſuppoſitô, quod tamen neceſſariò requiritur ad negabilitatem unius de altero; quia, cùm negatio removeat totum prædicatum à toto ſubjecto, propoſitio negativa, non poteſt eſſe vera, nisì prædicatum negatum, ſit adæquatè aliud à ſubjecto, nempe, quoad formam & ſuppoſitum, quod hìc non ſit: ergo ratio *numero præcedenti* allata nihil probat. *5tò.*
Si

Si Verbum hâc humanitate dimiſsâ aliam aſſumeret, tunc Chriſtus non diceretur unus, & idem homo, ſed alius, & alius, non obſtante unitate ſuppoſiti: ergo etiam in caſu, quô idem Verbum aſſumeret plures naturas humanas, non diceretur unus, ſed plures homines, non obſtante unitate ſuppoſiti. *Reſp. Neg. Ant. Ad* 1*mam Prob.* dico cum *Godoy Tract.* 3. *Diſp.* 6. §. 8. *n.* 163. quòd *S. Thom.* hanc ſententiam retractaverit 3. *p. q.* 3. *a.* 7. Quando enim S. Thom. (*Verba ſunt citati Authoris,*) aliquam ſententiam expreſsè retractat, etiamſi aliquando illam docuerit, ſtandum eſt ultimæ illius voluntati, & ſententia, quam ultimò docet, eſt tenenda. *Ad* 2*dam Prob. Neg. Conſeq.* Quia in ſubſtantivis, plura requiruntur ad multitudinem ſimpliciter ſub aliqua appellatione, quàm ad unitatem; ad pluralitatem enim ſimpliciter neceſſarium eſt, ut unum poſſit negari de altero; hinc non tantùm requiritur diverſitas *formæ*, ſed etiam *ſuppoſiti*; ſiquidem per negationem ſignificatur diverſitas ſuppoſitorum, pro quibus prædicatum, & ſubjectum ſupponunt in recto; at verò ad unitatem nominis ſubſtantivi *v. g. homo*, ſufficit unitas formæ, cùm illa unitas ſufficiat, ut plura ſuppoſita ſint unus & idem homo. Inſtantia eſt in SS. Trinitate, ubi tres perſonæ, ſunt unus Deus, propter unitatem naturæ. *Ad* 3*tiam Diſt. Ant.* Debet attendi ſecundùm idem principium inadæquatè, *Conced.* Secundùm idem principium adæquatè, *Neg. Ant. & Conſeq. Ad* 4*tam Neg. Ant.* Siquidem hoc neceſſariò debet ſequi. *Ratio eſt*: quia ubicunque eſt multitudo ſub aliqua ratione, eſt etiam diſtinctio ſub eadem ratione; atqui ubi eſt diſtinctio, ibi eſt non aliud; cùm diſtinctio ex ſuo formali conceptu dicat unum eſſe, non aliud: ergo ubi eſt multitudo, ibi unum poteſt negari de altero.

 Hinc,

Hinc, si identitas suppositi in Christo non impedit viventium pluralitatem simpliciter, etiam non impediet negabilitatem unius de altero. *Ad 5tam Prob. Neg. Ant.* Esset enim propter unitatem, & identitatem suppositi, unus, & idem homo, saltèm *negativè*, id est, sic, ut non haberetur unus & alter homo de se mutuò negabilis; ex supposito, quòd natura humana dimissa, existeret sinè subsistentia propria, aliàs, si haberet subsistentiam propriam, deberet etiam dici alius homo.


79. *Objicies 10mò.* Si duæ naturæ creatæ possent assumi à Verbo, sequeretur, quòd unirentur inter se; atqui hoc est impossibile, quia duæ substantiæ completæ non possunt se habere ùt actus & potentia, quod tamen deberet fieri: ergo. *Prob. seqvel. Maj.* Quia anima, & corpus defactò uniuntur Verbo, etiam uniuntur inter se: ergo similiter si illæ duæ naturæ creatæ unirentur Verbo, unirentur etiam inter se. *Resp. Neg. seqvel. Maj. Ad Prob. Neg. causalem, & assigno aliam:* quia, videlicet, defactò anima informat corpus in Christo; in nostro autem casu una natura non informaret alteram: ergo neque ipsi uniretur. Quod autem hæc causalis sit vera, patet ex hoc: quia in triduo mortis Christi anima non erat unita corpori, quamvìs corpus fuerit unitum Verbo, juxta illud: *quod semel assumpsit, nunquam dimisit*, saltèm quoad partes principales; unde, si aliquis sacerdos in triduo mortis Christi consecrâsset hostiam, tunc vi verborum consecratoriorum fuisset panis transsubstantiatus, non quidem in corpus vivum, seu animatum animâ rationali, sed in corpus Christi exanime, quod fuerat unitum Verbo: ergo ex hoc, quòd illæ duæ naturæ creatæ unirentur eidem supposito Divino, non sequitur, quòd unirentur inter se.

Objic.

Objicies 11mò. Si duæ naturæ creatæ assumeren- 80.
tur à Persona Verbi, unirentur se totis, & penetrarentur; atqui hoc non videtur posse admitti: ergo neque illud, quòd videlicet possit Verbum Divinum assumere plures naturas creatas. *Prob. sequel. Maj.* Quia Natura Divina & humana sunt in eadem Verbi persona, se intimè attingunt: ergo, si duæ naturæ creatæ essent in eadem persona, se intimè, & se totis attingerent; atqui contactus intimus, & totalis duarum naturarum corporalium in eodem, est vera penetratio, ùt patet in duobus corporibus existentibus in eodem loco: ergo prædictæ naturæ creatæ, existentes in eadem Persona, se penetrarent. *Resp.* cum Salmanticens. *hìc Tract.* 21. *Disp.* 8. *dub.* 5. §. 1. *n.* 129. *Neg. seq. Maj. Ad Prob. Disting. Ant.* Quia Natura Divina & humana sunt in eadem Verbi persona, ità ut Natura Divina identificetur Verbo, natura verò humana eidem uniatur, *Conced.* Quia sunt quomodocunque in eadem Verbi persona, & per solam unionem cum Verbo, *Neg. Ant.* Natura Divina est identificata Verbo, cui est unita etiam natura humana; adeoque istæ duæ naturæ intimiùs se attingunt, quàm duæ naturæ se attingerent, quæ unirentur tantùm Verbo; per consequens nulla inter tales naturas creatas, intercederet penetratio.

Objicies 12mò. Ex hac sententia sequeretur, quòd 81.
natura priùs assumpta à Verbo, assumeret naturam posteriùs advenientem; atqui hoc est inconveniens: ergo Persona Verbi, non potest plures naturas creatas assumere. *Prob. seq. Maj.* Quia Natura Divina est in persona assumente, dicimus non solùm personam, sed etiam naturam Dei assumere: ergo si una natura creata priùs esset in persona assumente, & hæc ulteriùs assumeret aliam naturam, diceretur non solùm,

lùm, quòd persona Divina assumeret, sed etiam natura creata. *Resp. Neg. seq. Maj. Ad Prob. Dist. Ant.* Quia Natura Divina est in Verbo quomodocunque, dicimus nòn solùm personam, sed etiam naturam Dei assumere, *Neg.* Quia natura Dei est realiter ipsum Verbum, & principium activum assumptionis, *Conced. Ant.* Natura autem humana priùs unita Verbo, quia non est realiter Verbum, nec principium activum assumptionis; ideò, licèt Verbum assumat, non propterea illa dicetur aliam supervenientem assumere, sicut natura Dei, sed perinde ad hunc effectum se habebit, ac si non existeret in Verbo. Hinc *S. Thom. 3. p. q. 3. a. 7. ad 3.* tam ratione præsentis solutionis, quam etiam ad præcedentem Objectionem datæ, ità dicit: *Dicendum, quòd Divina, & humana natura, non eodem ordine se habent, ad unam Personam divinam, sed per priùs comparatur ad ipsam divina natura, utpotè quæ est unum cum ipsa ab æterno: Sed natura humana comparatur ad naturam divinam per posteriùs, utpotè assumpta ex tempore à divina persona: non quidem ad hoc, quòd natura sit ipsa persona, sed quòd persona in natura subsistat: Filius enim Dei est sua Deitas, sed non est sua humanitas. Et ideò ad hoc, quòd natura humana assumatur à divina Persona, requiritur, quòd divina natura uniatur unione personali toti naturæ assumptæ, id est, secundùm omnes partes ejus. Sed duarum naturarum assumptarum esset uniformis habitudo ad personam divinam, nec una assumeret aliam. Unde non oportet, quòd una earum totaliter alteri uniretur, id est, omnes partes unius, omnibus partibus alterius.*



THE-

THESIS VII.

Defactò (1mò.) Verbum assumpsit naturam humanam, cum omnibus partibus, quæ ad illius essentiam, & integritatem pertinent; adeoque etiam assumpsit sanguinem. Quod attinet partes essentiales, nempe, verum corpus, & animam, est de fide. Quoad partes integrales, præsertim sangvinem, tenet Suarez hìc *Disp.* 15. *sect.* 8. Vasquez hìc *Disp.* 36. *cap.* 6. Cardinalis de Lugo *Disp.* 14. *sect.* 2. 3. *&* 5. Contra Cajetanum 3. *p. q.* 54. *a.* 2. Et Gonet *hìc Disp.* 9. *a.* 2. §. 2. Qui distingvunt duplicem sanguinem, vitalem unum, & alterum nutrimentalem, docéntque primum assumptum esse à Verbo, non verò secundum. *De possibili (2dò.) potuit assumere, & hypostaticè sibi unire, quamlibet naturam, etiam pure materialem.* Ità S. Thomas *in* 3. *Dist.* 2. *q.* 1. *a.* 1. post S. Aug. *lib. de vera Religione. cap.* 16. Tertullianum *de carne Christi. cap.* 4. Gregorium Nissenum *in Oratione magna catechetica.* Quos sequitur Suarez *hìc Disp.* 14. *sect.* 2. Godoy *q.* 4. *tract.* 4. *Disp.* 18. §. 4. Leonardus Penafiel *Disp.* 9. *sect.* 1. Reding. *q.* 7. *a.* 3. *controversia* 1. Gonet *Disp.* 9. *a.* 1. §. 1. Et plurimi alij.

PRob. 1ma pars Thesis de partibus essentialibus: 1mò. Ex eo: *Quòd Verbum divinum hypostaticè assumpserit, sibíque univerit veram animam rationalem,* ùt docent omnes Catholici, contra Arianos, qui dixerunt Verbum Divinum, Christo fuisse locò animæ, ùt referunt S. Epiphanius *Hæresi* 69. S. Aug. *Hæresi* 49. 1.

Et Nazianzenus *oratione 51.* Item contra Apollinarem, qui concessit animam sensitivam, negavit rationalem, ùt testantur S. Epiphanius *Hæresi 77.* Et S. August. *Hæresi 55.* Jam sic: *Matthæi 26. v. 38.* dicit Christus: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Item *Joan. 10. v. 18. Potestatem habeo ponendi animam meam*; atqui ex his textibus erruere licet, quòd Verbum assumpserit, sibíque univerit veram animam rationalem: ergo. Eandem veritatem definivit Concilium Romanum *in Confessione fidei* sub Damaso Papa. Ephesinum *can. 3.* Chalcedonense *actione* 1. S. Athanasius in suo Symbolo illam profitetur his verbis: *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens.* Rationem congruam addunt alij SS. Patres; quia, cùm Verbum Divinum incarnatum sit ad redimendum hominem, conveniebat assumere id, quod potissimum in homine ceciderat; atqui anima rationalis in homine ceciderat: ergo &c.

2. *Confirmatur.* Christus fuit verus homo, ùt patet tum, ex illo *Joannis 8.* ubi Christus de se ipso ait: *Quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum.* Tum, ex illo ad *Roman. 5. Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit &c.* Et infra: *multò magìs gratia Dei, & donum in gratia unius hominis JESU Christi in plures abundavit.* Tum, ex illo *1. ad Timoth. 2.* ubi vocatur: *Mediator Dei, & hominum, homo Christus JESUS.* Tum, ex illo *Joan. 9.* ubi Christus cœco visum restituisse legitur; atqui de ratione veri hominis, est anima rationalis: ergo Christus assumpsit veram animam rationalem. Præterea: in sacris scripturis multoties revelatum est, quòd Christus oraverit, Deo gratias egerit, hominibus dona, & gratias meruerit, pro peccatis nostris satisfecerit &c. Atqui hæc præstare non potuit, sinè vera anima rationali: ergo &c. *Pro-*

Probatur 2dò. Ex eo: *quòd Verbum Divinum hypostaticè assumpserit, sibique univerit verum corpus humanum,* ùt omnes Catholici sentiunt, contra Cerdonem, & hujus discipulum Martionem, qui in Christo solùm admittebant corpus apparens, & phantasticum, ùt testatur Epiphanius *Hæresi* 42. Tertullianus *lib. de præscriptionibus*, & alij. Item, contra Valentinum, qui asseruit corpus Christi non ex substantia Beatissimæ Virginis, sed ex materia cœlesti fuisse formatum, ùt refert S. Iræneus *lib.* 3. *de Hæresibus. cap.* 11. Unde sic: *Joan.* 1. *Verbum caro factum est. Lucæ* 24. dicit Christus: *Palpate, & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Idem de Christo loquitur S. Paulus ad *Roman.* 1. ità scribens: *Factus est ex semine David secundùm carnem.* Et ad Galatas 4. *Factus ex muliere.* Item *Matth.* 1. *v.* 16. *De qua natus est JESUS, qui vocatur Christus.* Atqui ex his textibus clarè apparet, quòd Verbum Divinum hypostaticè assumpserit, sibique univerit verum corpus humanum: ergo. Hinc errores suprà recensitos impugnarunt plurimi SS. Patres, ùt videre est apud *Vasquez hic Disp.* 36. *cap.* 1, *&* 2. Eosdem varia damnârunt Concilia, præsertim *Lateranense, cap. Firmiter. de summa Trinitate, & fide catholica:* ergo &c. 3.

Confirmatur Authorit. S. August. qui *lib.* 83. *Quæstionum q.* 14. ità ait: *Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus, & si fefellit, veritas non est; est autem Veritas Christus: ergo non fuit phantasma corpus ejus.* Et *q.* 80. ità inquit: *Ex hoc, quòd comedit, & dormivit, & fatigatus est, demonstratur eum habuisse verum corpus humanum.* Idem sentit S. Thomas, dum 3. *p. q.* 5. *a.* 1. hôc, vel simili modô discurrit: *Verbum assumpsisset veram naturam humanam, fuitque verus homo; atqui de ratione naturæ humanæ, est verum corpus humanum: ergo Christus fuit verus homo.* 4.

Di-

5. *Dices.* 1. *ad Corinth.* 15. *v.* 47. dicitur : *Primus homo Adam de terra terrenus , secundus homo* (Christus,) *de cœlo cœlestis.* Item *Joan.* 3. *Nemo ascendit in cœlum , nisi , qui descendit de cœlo , Filius hominis, qui est in cœlo :* ergo Verbum non assumpsit verum corpus humanum. *Resp. Neg. Conseq.* Christus enim dicitur cœlestis. 1*mò*. Quia personalitatem habuit divinam. Ità *S. Gregorius Nazianzenus Oratione* 5. *S. Aug. lib.* 3. *de civit. cap.* 27. & alibi. 2*dò*. Propter miraculosam Spiritûs Sancti obumbrationem, quâ ex purissimo Beatæ Virginis sanguine , corpus Christi efformatum est. Sic *S. Ambrosius.* 3*tiò*. Ob vitam cœlestem, & sanctitatem , ac conversationem , ùt docet *Tertullianus lib. de carne Christi. cap.* 8. ergo.

6. *Probatur* 3*tiò*. Ex eo : *quòd Verbum Divinum hypostaticè assumpserit , sibique univerit partes integrales hominis.* Jam sic : Verbum Divinum assumpsit corpus humanum perfectum & integrum , adeoque omnibus partibus integrantibus constans ; siquidem non potest dici, quòd Christus fuerit mutilus, & monstrosus : ergo Verbum ad suam hypostasim assumpsit omnes illas partes , quæ ad integritatem, & perfectionem corporis humani sunt necessariæ ; quia verò juxta communem Theologorum, & Philosophorum sententiam, partes excrementiceæ, nempe, *sudor* , *saliva &c.* non pertinent ad integritatem corporis humani , ideò istæ non erant immediatè assumptæ à Verbo ; licèt possit dici, mediatè assumptas fuisse , hoc sensu, quòd videlicet Verbum assumpserit tale corpus , in quo hæ partes latebant, quamvìs ipsæ partes non fuerint terminatæ , per subsistentiam Verbi.

7. *Probatur* 4*tò*. Ex eo : *quòd Verbum assumpserit etiam sanguinem.* Et quidem Authoritate scripturæ , quæ dicit :

dicit: quòd sanguine Christi redempti, & emundati simus. Unde sic: *1. Petri* 1. habetur: *Redempti estis, non corruptibilibus aurô & argentô, sed pretiosô sanguine, quasi Agni immaculati, Christi.* Item 1. *Joan.* 1. *Sanguis JEsu Christi Filij ejus, emundat nos ab omni peccatô*; atqui si sanguinem, saltèm aliquem, non assumpsisset, non potuisset nos sanguine redemisse, & emundâsse: ergo. Præterea: Verbum Divinum per se assumpsit naturam humanam integram ac perfectam, & consequenter illius partes; atqui sanguis est pars saltèm secundariò pertinens ad naturam humanam: ergo. *Prob. Min.* 1mò. In qua est tota difficultas. *Concilium Trident. sess.* 13. *cap.* 3. definit: *Corpus seu carnem Christi esse sub speciebus vini; & sanguinem sub speciebus panis, vi naturalis connexionis, quâ NB. partes Christi Domini inter se copulantur:* ergo Concilium Tridentinum supponit, sanguinem esse partem saltèm secundariò constitutivam naturæ humanæ. 2dò. Ex Galeno *lib.* 4. *de usu partium.* Aristotele *lib.* 3. *de historia animalium. cap.* 2. Divo Thoma *hìc q.* 5. *a.* 2. Et alijs omnibus Medicis & Philosophis, sanguinem numerantibus inter partes animalium, saltèm secundariò constitutivas, eorundem: ergo &c.

Probatur 5tò. Ex eo: *quòd Verbum assumpserit totum sanguinem, qui fuit in corpore Christi, & qui pro nobis in passione effusus est; adeoque tam vitalem, quàm nutrimentalem.* Jam sic: In Concilio Ephesino *can.* 5. docetur: Verbum communicâsse sanguini. In Quinta synodo Generali Constantinopolitana *action.* 6. approbatur illa Cyrilli explicatio: *Verbum caro factum est*: Id est: *carnem & sanguinem assumpsit.* In sexta synodo *actione* 16. damnatus fuit quidam hæreticus asserens: *in cruce carnem, & sanguinem* 8.

guinem fuisse à Verbo dimissum. Sacræ scripturæ, & SS. Patrum textus plurimos adfert *Suarez hic Disp.* 15. *sect.* 6. cum quo sic argumentamur: indefinita, & absoluta propositio Conciliorum, & SS. Patrum, in doctrinalibus æquivalet propositioni universali, nisi restrictionem evincat, vel gravis ratio, vel Authoritas; atqui Concilia, & SS. Patres, de sanguine assumpto, loqvuntur indefinitè, & absolutè, nec restrictionem ad sanguinem tantùm vitalem, evincit ulla gravis ratio, vel Authoritas: ergo.

9. *Confirmatur.* Clemens VI. in extravagante *Unigenitus. de pœnitentijs & remissionibus.* universaliter ait: *In ara crucis innocens immolatus; non guttam sanguinis modicam, quæ tamen NB. propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed velut quoddam profluvium noscitur profudisse.* Unde sic argumentamur: multæ partes sanginis pro redemptione nostra effusi, fuerunt tantùm sanguis nutrimentalis, ùt admittit *Cajetanus*; atqui quælibet gutta sanguinis effusi, propter unionem ad Verbum suffecit: ergo. *Præterea:* illa distinctio inter sanguinem vitalem & nutrimentalem, nullum habet fundamentum in antiquioribus Philosophis ac Medicis, juxta quos omnis verus sanguis est ejusdem speciei: ergo sanguis tam vitalis, quàm nutrimentalis erat à Verbo assumptus. *Item*, Christus est verus filius Beatæ Virginis: ergo accepit aliquam partem illius; cùm generatio, *sit origo viventis à vivente conjuncto, in similitudinem naturæ specificæ*, hoc est: quòd generans debeat aliquam partem ex suo corpore decisam, communicare proli genitæ; atqui Christus accepit sanguinem nutrimentalem à Beata Virgine: ergo sanguis nutrimentalis (*etiamsi admittatur,*) fuit pars Beatæ Virginis; adeoque etiam fuit à Verbo assumptus. *Pro-*

Probatur 2da. pars Thesis. 1mò. Ex eo : *quòd Verbum Divinum potuerit de possibili assumere, quamlibet naturam creatam, etiam irrationalem. Et quidem probatur quoad naturam superiorem seu Angelicam.* Unde sic: *S. Paulus ad Hebræos* 2. ita dicit: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Quod de apprehensione per unionem hypostaticam, accipitur in communi interpretatione; per quod etiam commendat Apostolus charitatem Dei erga homines, præ Angelis, eò, quòd potiùs humanam naturam, quàm Angelicam assumpserit; atqui si natura Angelica non esset assumptibilis à Verbo in unitatem personæ, non subsisteret S. Apostoli comparatio, nec amoris erga homines præ Angelis commendatio; ad hanc enim necessaria est libertas, quæ libertas, dicit: *posse assumere, vel non assumere*: ergo debet dici, quòd natura Angelica potuerit de potentia absoluta, assumi à Verbo in unitatem Personæ. 10.

Probatur 2dò. conformiter ad doctrinam *S. Thomæ*, qui, postquam *hic q. 4. a. 1. ad 3.* retulisset opinionem quorundam Theologorum, asserentium, naturam Angelicam non posse in unitatem Personæ Divinæ assumi, nisì destrueretur propria ejus personalitas, idque obstare ejus corruptibilitati, impugnat hanc doctrinam, dicendo: quòd hoc non videatur totaliter excludere congruitatem assumptionis naturæ Angelicæ. Unde ità ait: *Potest enim Deus, producendo novam naturam Angelicam, copulare eam sibi in unitate personæ.* Ex quibus verbis sic arguitur: Naturam Angelicam assumi in unitatem Divinæ Personæ, est eam assumi ad personalitatem, sive ad subsistentiam Divinam; atqui ex *D. Thoma citato*, potest natura Angelica assumi in unitatem Divinæ Personæ: ergo, & ad subsistentiam Divinam. 11.

Pro-

12. *Probatur 3tiò.* cum Gonet *hic Disput.* 9. *a.* 1. *§.* 1. *n.* 6. Non aliâ ratione in natura humana est ad assumptionem capacitas, nisì, quia distinguitur à sua personalitate; & consequenter potest illâ destructâ, vel non consecutâ, terminari, per subsistentiam Verbi, in qua propria personalitas eminenter continetur; atqui etiam personalitas Angeli distinguitur ab illius natura: ergo etiam natura Angelica, potest ad Divinam assumi subsistentiam. *Maj.* supponitur ùt certa. *Min.* verò (*præterquam quòd expressè doceatur à Divo Thoma, Quodlib.* 2. *q.* 2. *a.* 4.) potest breviter hac ratione suaderi: Ratio distinguendi suppositum à natura in hominibus, vel est limitatio naturæ, ob quam indiget complementô realiter distinctô, ut existat; vel est capacitas receptiva accidentium, competens immediatè supposito, & non competens naturæ, ùt arguit *D. Thom. Quodlibet. sup. cit.* Atqui utraque hæc ratio militat in natura Angelica; est enim limitata, & finita, & capax recipiendorum accidentium: ergo eadem ratione, quâ in hominibus suppositum à natura distinguitur, etiam in Angelis debet à natura distingui.

13. *Confirmatur* cum Godoy *hìc Q.* 4. *Tract.* 4. *Disp.* 18. *§.* 2. *n.* 9. Quoad distinctionem inter potentias & essentiam, operationes & principium, nullum est discrimen inter Angelum & hominem: ergo nec est admittendum ullum discrimen quoad distinctionem personalitatis à natura; & per consequens, sicut personalitas hominis distinguitur ab illius natura; ità inter personalitatem Angeli, & illius naturam, est admittenda distinctio ante operationem intellectûs.

14. *Probatur 4tò.* Ex eò: *Quòd Verbum potuerit assumere etiam naturam irrationalem.* Idque Authoritate S. Gregorij Nysseni, qui *in oratione magna. cap.* 27

contra.

contra eos, qui asserebant indecorum esse dicere, Deum corpus assumpsisse terrestre, non autem cœleste, hæc habet: *Nihilò tolerabilior videtur esse turpitudo & dedecus, quòd Deus cœlestis corporis figuram susceperit, quàm terrestris, ab ejus enim natura, qui altissimus est, ex æquo distat omnis creatura, & sunt omnia ei æqualiter subjecta.* Quibus verbis, ùt clarè constat, docet *Nyssenus*, corpus etiam cœleste potuisse à divino Verbo assumi. Rationem subdit: quia omnia æqualiter distant à Deo, & æqualiter sunt illi subjecta. Quæ doctrina intelligenda est secundùm potentiam obedientialem; nam secundùm congruentiam non omnia æqualiter possunt assumi, ùt docet *D. Thomas hìc q. 4. a. 1.* Et cum illo communiter Theologi.

Probatur 5tò. cum Godoy *Q. 4. hìc Tract. 4. Disp. 18. §. 4.* Ideò natura rationalis potest assumi, quia est subsistens, subsistentiâ ab ipsa separabili, & in Divina subsistentia eminenter contenta; atqui etiam natura irrationalis subsistit subsistentiâ distinctâ, & ab ipsa separabili, ac in Divina subsistentia eminenter contenta: ergo etiam natura irrationalis est assumptibilis à Deo, de potentia absoluta. *Maj. cum Conseq. tenet. Prob.* itaque *Min.* Id, quod perfectionis est, si à natura perfectiori potest separari, etiam est separabile â natura imperfectiore; atqui subsistere, est perfectionis in subsistentia, & à natura perfectiori potest separari, ùt patet in natura Angelica, & humana: ergo etiam potest à natura irrationali separari; & per consequens natura irrationalis est assumptibilis à Deo, de potentia absoluta. 15.

Confirmatur cum Gonet *loc. sup. cit. n. 9.* Naturam materialem & irrationalem assumi ad Divinam hyposta- 16.

posta-

postasim, nec repugnat ex parte talis naturæ; cùm hæc sit realiter separabilis à propria subsistentia, habeátque terminabilitatem obedientialem respectu subsistentiæ; neque etiam repugnat ex parte Personæ Divinæ, cùm hæc habeat *infinitam virtutem* terminandi, ac *substantialiter* ultimatè perficiendi, quamlibet naturam creatam: ergo hoc de absoluta Dei potentia poterat fieri.

17. *Probatur 6tò.* Corpus Christi post mortem mansit in sepulchro, verbo divino *hypostaticè* unitum; atqui illud corpus separatum ab anima rationali, & informatum formâ cadavericâ, vel formâ corporeitatis, fuit natura purè materialis & irrationalis; idem est de sanguine, & alijs quatuor humoribus: ergo natura irrationalis est capax unionis hypostaticæ. *Prob. Maj.* Verbum Divinum quod semel assumpsit (*intellige saltèm de partibus principalibus*;) nunquam dimisit: ergo corpus, quod est ex partibus principalibus naturæ humanæ, nunquam fuit à Verbo dimissum, & per consequens etiam in sepulchro fuit ipsi unitum. *Præterea*: de fide est, Christum pro nobis sepultum fuisse, ùt constat ex illis verbis symboli: *Passus & sepultus est*; atqui hoc verum esse non posset, nisì Verbum *ùt hypostaticè* unitum alicui ex partibus naturæ humanæ, fuisset in sepulchro: ergo Verbum *hypostaticè* unitum alicui parti naturæ humanæ, mansit in sepulchro; atqui non mansit ùt unitum animæ, nam sic descendit ad inferos: ergo mansit ùt unitum hypostaticè corpori.



§. I.

§. I.

Solvuntur objectiones contra primam partem Thesis, in qua dicitur: quòd defactò Verbum assumpserit naturam humanam cum omnibus partibus, quæ ad illius essentiam, & integritatem pertinent; adeoque quòd etiam assumpserit sanguinem.

OBjicies 1mò. Ex eo: *quòd Verbum non videatur assumpsisse animam rationalem.* Jam sic: Nulla est necéssitas admittendi animam rationalem inChristo: ergo Verbum non videtur illam assumpsisse. *Prob. Ant.* Si aliqua esset necessitas, tunc esset hæc, ut vivificet, & animet corpus; atqui hæc non est: ergo. *Prob. Min.* Totum hoc potest præstare Verbum, cùm de Deo *Psalm.* 35. dicatur: *Apud te est fons vitæ.* Et *Joan.* 1. de Verbo: *Quod factum est, in ipso vita erat*: ergo. *Resp. Neg. Ant. Ratio est*: quia cum Christus sit verus homo, ad verum autem hominem necessaria sit anima rationalis, ideò Verbum debuit necessariò assumere animam rationalem. *Ad Prob. Dist. Maj.* Esset hæc necessitas ut vivificet, & animet corpus, etiam, *Conced.* Tantùm, *Neg. Maj. Ad ulteriorem Prob. Dist. Ant.* Totum hoc potest præstare Verbum efficienter, *Trans.* Formaliter, *Neg. Ant.* Licèt enim Deus sit fons vitæ, & vita viventium creatorum, tanquam prima causa effectiva eorundem, non est tamen principium formale intrinsecum vivificativum, & informativum ipsius corporis, sicuti est ipsa anima rationalis: ergo. Ex quo patet facilis responsio ad textus Scripturæ. 18.

19. *Objicies 2dò.* Ex eo : *quòd Verbum Divinum non videatur assumpsisse corpus humanum.* Unde sic : si Verbum divinum assumpsisset corpus humanum, tunc assumpsisset illud immediatè ; atqui non assumpsit illud immediatè : ergo. *Prob. Min.* Verbum divinum assumpsit corpus mediante animâ, ùt docent communiter Theologi cum *Divo Thoma hìc. q. 1. a. 1.* ergo. *Resp. Neg. Min. Ad Probat.* cum Suarez *hìc Disp. 17. sect. 5.* Dico illam propositionem: *Verbum assumpsit corpus mediante animâ*, hunc sensum habere: quòd Corpus sit assumptum propter animam, & illius functiones in corpore exercendas, pro satisfactione nostrorum peccatorum ; non habet autem hunc sensum : quod corpus sit assumptum mediante animâ, eô modô, quô accidentia assumpta sunt à Verbo mediante substantiâ.

20. *Objicies 3tiò.* Ex eo : *quòd Verbum divinum non videatur assumpsisse sanguinem.* Jam sic : sanguis juxta *Aristotelem*, & probabiliorem sententiam, non est animatus : ergo non fuit immediatè assumptus à Verbo. *Resp. 1mò.* à multis etiam probabiliter negari *Ant. Resp. 2dò. Transeat Ant. Neg. Conseq.* Licèt enim sanguis non sit animatus animâ rationali, aut aliâ formâ viventis, propterea tamen non desinit esse pars corporis humani : ergo cum aliæ partes corporis humani fuerint assumptæ à Verbo, etiam sanguis assumptus est.

21. *Replicabis.* Aristoteles de partibus animalium *cap. 1.* dicit: *Sanguinem non esse partem animalium.* Idem sentit *Divus Thomas* : ergo. *Resp. Explicando Authoritatem utriusque* : docent non esse actu partem solidam animalium, *Conced.* Docent non esse sanguinem partem fluidam animalium, *Neg. Authoritatem utriusque.* Licèt enim sanguis non sit actu caro, aut os,

os, ſed tantùm in potentia, in quantùm ex ſanguine generantur oſſa & caro, eſt tamen actu ſanguis; adeoque actu integrans corpus humanum, cùm ſit intrà partes ſolidas, tanquam intrà vas, ſinè quo homo vivere non poteſt.

Urgebis. Si ſanguis ſpectaret ad integritatem cor- 22.
poris, ſequeretur, quòd vi Verborum ſub ſpeciebus panis poneretur in Evchariſtia; atqui hoc eſt contra Concilium Tridentinum: ergo. *Prob. ſequel. Maj.* Illud ponitur vi Verborum ſub ſpeciebus panis, quod ſpectat ad integrum corpusChriſti; atqui ſanguis juxta dicta ſpectat ad integrum corpus Chriſti: ergo vera eſt ſequela. *Reſp.Neg. ſeqvel. Maj. Ad Probat. Diſt. Maj.* Illud vi verborum ſub ſpeciebus panis ponitur,quod ſpectat ad integrum corpus Chriſti, cum omnibus partibus ſolidis, & *primariò* conſtitutivis, *Conced. Maj.* Cum partibus fluidis, & *ſecundariò* conſtitutivis, qualis eſt ſanguis, & alij humores, *Neg. Maj.* Verba enim conſecratoria panis, non quomodocunque ſignificant corpus Chriſti, ſed per modum cibi, cui aptæ ſunt partes ſolidæ, non verò fluidæ, utì eſt ſanguis. *Hinc obſervandum eſt:* quòd ille partes ſint *primariò* conſtitutivæ hominis, quæ ſunt continuæ, & in quibus organa vitæ deprehenduntur; illæ verò ſunt *ſecundariò* conſtitutivæ, quæ non ſunt continuæ, licèt ſint contiguæ, nec organa vitæ in ipſis deprehenduntur; & talis eſt ſanguis, cum quatuor humoribus.

Objicies 4tò. Sanguis informatur diſtinctâ formâ 23.
ab anima rationali: ergo ſi Verbum aſſumpſiſſet ſanguinem, aſſumpſiſſet duas ſubſtantias, & naturas, quod eſt contra fidem: ergo. *Reſp. Diſt. Conſeq.* Aſſumpſiſſet duas ſubſtantias, & naturas incompletas, quæ pertinent ad integritatem unius ſubſtantiæ, & naturæ, *Conced.* Aſſumpſiſſet duas completas, &

 non

non pertinentes ad integritatem unius, *Neg. Conseq.* Hoc autem non est inconveniens; siquidem Verbum divinum per se assumpsit, & nunc retinet semper naturam humanam, integraliter completam, adeoque omnia illa assumpsit, quæ ad integritatem ejus pertinent; atqui sanguis ad integritatem ejus pertinet: ergo etiam illum assumpsit Verbum.

24. *Objicies 5tò.* Corpus humanum est unum ens per se, adeoque habens unicam formam substantialem: ergo non integratur nisi ex illis partibus, quæ informantur ab eadem forma totali; atqui sanguis non informatur ab eadem forma totali: ergo. *Resp. Dist. 1mam partem Ant.* Corpus humanum est unum per se, unitate quadam physicæ coordinationis, *Conced.* Unitate formæ, & per perfectam continuationem, *Neg. Ant. & Conseq.* Neque ex hoc inferre licet, quòd in homine essent duæ formæ totales, quod aliàs apud Philosophos non admittitur. Essent quidem, sed in diversa, non in eadem materia; quod non repugnat, ùt patet in ferro ignito, in quo sunt duæ formæ substantiales totales, nempe forma ferri, & ignis, sed in diversa materia: ergo &c.

25. *Objicies 6tò.* Sanguis non subsistit per ullam subsistentiam: ergo non est immediatè assumptus à Verbo. *Resp. Neg. Ant.* Quia in homine tot sunt subsistentiæ partiales, quot partes, sive *primariò*, sive *secundariò* constitutivæ hominis, ex quibus deinde resultat subsistentia totalis divisibilis, cujus vices supplet subsistentia Divina indivisibilis, ùtpote infinita, adeoque etiam terminat sanguinem.

26. *Objicies 7mò.* Si Verbum assumpsisset sanguinem, sequeretur, quòd per communicationem idiomatum posset dici: *Verbum est sanguis*; sicut dicitur: *Verbum est homo*; adeoque posset dici: *Verbum est diffusum*,

ſum, *&* *aſperſum cruci*. *Item*; *ſanguis eſt conſubſtantialis Patri*; atqui hoc non: ergo nec illud. *Reſp. Neg. ſeqvel. Maj. Ratio eſt*: quia communicatio idiomatum non deſumitur à partibus, & naturis incompletis, & ex ſe ordinatis ad aliam naturam, ſed ſolummodò à naturis completis & totalibus, ùt communiter Theologi docent; hinc Verbum divinum non poteſt dici *anima*, aut *corpus*, licèt utrumque *immediatè* aſſumpſerit: ergo.

Objicies 8vò. Ex eo: *quòd Verbum non videatur to-* 27.
tum ſanguinem aſſumpſiſſe. Unde ſic: S. Thom. *Quodlibet*. 5. *a*. 5. expreſsè docet: non totum ſanguinem nutrimentalem, qui ex cibis generatur, pertinere ad veritatem naturæ humanæ; atqui quod non pertinet ad veritatem naturæ hamanæ, non eſt aſſumptum à Verbo: ergo Verbum non videtur totum ſanguinem aſſumpſiſſe. *Reſp. Explicando S. Doctorem*: Et ille loquitur de humore, qui ad formam ſanguinis diſponitur, nec dum tamen eſt verus ſanguis, *Conced*. Et loquitur de vero ſanguine, *Neg*. Licèt itaque poſſit admitti, quòd ille humor, qui ad formam ſanguinis diſponitur, nec dum tamen eſt verus ſanguis, non fuerit à Verbo aſſumptus, non tamen poteſt, nec debet dici, verum ſanguinem non fuiſſe aſſumptum à Verbo.

Objicies 9nò. Quod Verbum ſemel aſſumpſit, nun- 28.
quam dimiſit, juxta celebre Theologorum axioma, deſumptum ex *S. Damaſceno lib*. 3. *de orthodoxa fide*. *cap*. 27. atqui aliquis ſanguis fuit dimiſſus à Verbo: ergo non totus fuit aſſumptus. *Prob. Min*. Sanguis in paſſione effuſus, non fuit totus reaſſumptus in reſurrectione, & reunitus corpori glorioſo Chriſti, ſed relictus in terra pro conſolatione, & veneratione fidelium; atqui iſte non eſt ampliùs unitus Verbo:

 ergo

ergo aliquis ſanguis fuit dimiſſus à Verbo. *Prob. Maj.* In lancea *S. Longini*, in ſindone, velo *S. Veronicæ*, fuit verus ſanguis, qui in varijs aſſervatur locis. *Item* in velo *Beatiſſimæ Virginis*, quod ſtans ſub cruce habuit, fuítque ſacro ſanguine Chriſti cruentatum, & ſervatur inter reliquias Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis: ergo. *Reſp. prætermiſſis aliorum reſponſionibus, explicando axioma*: partes eſſentiales (*nempe corpus & animam*:) quas ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit, *Conced.* Partes integrales, præſertim quando deſierunt eſſe partes, tum actu, tum in potentia proxima, *Neg. Axioma.* Illæ autem partes integrales deſierunt eſſe partes, etiam in potentia proxima, quæ ità ſunt ſeparatæ à corpore, ut nunquam eſſent reuniendæ corpori Chriſti in reſurrectione, ùt patet in præputio, quod reſervatur Romæ in Lateranenſi, & alijs reliquijs.

29. *Replicabis.* Si aliquæ partes darentur, quæ non debuiſſent reuniri in reſurrectione Chriſti, tunc reſurrectio Chriſti non fuiſſet perfecta & integra; atqui hoc non poteſt dici: ergo. *Prob. Maj.* S. Thom. *hìc q. 54. a. 2. in* ☉. dicit: *Omnia iſta* (nempe caro, oſſa,) *in corpore Chriſti reſurgentis fuerunt; & quidem integraliter absque omni diminutione, alioquin non fuiſſet perfecta reſurrectio, ſi non fuiſſet reintegratum, quid quid per mortem ceciderat*: ergo. *Reſp. Diſp. ſeqvel. Maj.* Non fuiſſet integra phyſicè, id eſt ſecundùm omnes omnino partes etiam minutiſſimas, *Trans.* Non fuiſſet integra moraliter, id eſt ſecundùm majorem ſui partem, *Neg. ſeqvel. Maj.* Patet hoc ex Bulla *Pij V.* apud Sylveſtrum, in qua dicitur: *Veritati fidei nullatenùs repugnare, ſi aſſeratur, Redemptorem noſtrum, de ſanguine in cruce effuſo, ob memoriam ſuæ paſſionis, partem aliquam in terris reliquiſſe*: ergo noſtrum

noſtrum aſſertum non eſt contra fidem. Quod attinet authoritatem *S. Thom.* Dico, illum loqui de partibus actu, vel in potentia proxima conſtitutivis, adeoque de illis, quæ erant præcipuæ, non verò de partibus minùs præcipuis.

Objicies 1mò. Verbum non aſſumpſit reliquos tres 30.
humores, nempe: *pituitam* ſeu *phlegma*, *flavam*, & *atram bilem*: ergo neque ſanguinem. *Prob. Ant.* Ariſtoteles hos humores vocat excrementitios: ergo. *2dò.* Verbum non aſſumpſit immediatè ſpiritus vitales: ergo. *3tiò.* Non aſſumpſit dentes, ungves, vel capillos: ergo neque totum ſanguinem. *Reſp. ad 1mum Neg. Ant. Ratio eſt*: quia etiam iſti humores pertinent ad integritatem corporis humani, & per ſe requiruntur ad illius debitum temperamentum, ac ad quasdam vitales operationes; hinc etiam permanebunt in corporibus glorioſis: ergo. Imò ejusmodi humores paſſim ſolent comprehendi ſub *nomine ſanguinis*, quia commiſcentur cum ſanguine, eúmque efficiunt fluidum & liquidum, ac debitè temperatum: ergo. Huic rationi addit Authoritatem *Innocentius III.* qui *cap.8. In quadam noſtra. de celebratione Miſs.* ait: fluxiſſe aquam & ſanguinem de latere Chriſti, ut oſtenderetur, Chriſtum habuiſſe omnes quatuor humores. *Ad Prob. Explico Authoritatem Ariſtotelis*: vocat illos excrementitios ſecundùm illam partem, quæ eſt ſuperflua, & ideò commiſcetur inter viſcera, *Conced.* Secundùm illam partem, quæ intrà venas commixta eſt ſanguini, *Neg. Authoritatem Ariſtotelis. Ad 2dum, Neg. Ant. Ratio eſt*: Tum, quia ſpiritus vitales ſunt ſanguis depuratus ac ſubtilior. Tum, quia pertinent ad perfectionem naturæ humanæ. Tum, quia ſunt connaturalia inſtrumenta animæ ad operandum: ergo. *Ad 3tium, Neg. ite-*

rum Ant. Ratio est : quia Verbum divinum assumpsit integram naturam humanam, adeoque cum omnibus partibus naturalibus; atqui dentes, ungves, & capilli, sunt partes naturales humanæ naturæ: ergo etiam hos Verbum assumpsit, cùm aliunde etiam hæc omnia resurgent cum corpore, juxta illud *Lucæ 21. v. 18. Capillus de capite vestro non peribit.* Consequenter Christus hæc omnia habet in cœlo; nullus enim audet dicere, quòd sit ibi *calvus*, *edentulus*, aut *imberbis*; atqui nulla alia est hujus ratio, quàm, quia hæc omnia saltèm ad *ornatum*, *integritatem* & *veritatem* naturæ humanæ pertinent, síntque conservativa præstantiorum partium in homine, sicut folia in arbore, sunt conservativa fructuum: ergo.

31. *Replicabis.* Capilli, & barba sunt tantùm excrementa corporis humani, non sunt autem instrumenta actionum vitalium: ergo saltèm barba & capilli non sunt immediatè à Verbo assumpti. *Resp. Neg. Ant.* Capilli enim in probabiliori sententia crescunt, &, etiamsi non crescerent, adhuc saltèm conducerent *ad ornatum* hominis, utì etiam ungves conducunt, qui partim *ad defensionem* animalis, partim *ad ornatum* ejusdem pertinent.

32. *Objicies IImò.* Si Verbum assumpsisset *immediatè* sanguinem, debuisset etiam *immediatè* assumpsisse aërem; atqui hoc non: ergo. *Prob. sequel. Maj.* Ideò assumpsit sanguinem, quia est necessarius ad vitam humanam; atqui etiam aër est necessarius ad vitam humanam, cùm sinè illius continua attractione, & respiratione, vita humana conservari non possit: ergo. *Resp. Neg. sequel. Maj. Ad Prob. Dist. Causal. Maj.* Quia est necessarius, tanquam pars integralis naturæ humanæ, *Conced.* Quia est quomodocunque necessarius

ſarius ad vitam conſervandam, *Neg. Cauſalem Maj.* Eſt quidem aër neceſſarius ad vitam humanam conſervandam, ſed, quia eſt communis omnibus animantibus, ùt obſervat *Amicus hìc Diſp. 15. ſect. 7. n. 105.* Ideò aſſumptâ naturâ humanâ, non debuit neceſſariò à Verbo aſſumi; ſangvis autem, cùm ſit propria pars cujuslibet individui, ideò aſſumptô individuô humanô, debuit etiam ſangvis aſſumi.

§. II.

Solvuntur objectiones contra ſecundam partem Theſis; *quæ dicit: quòd Verbum de poſſibili potuerit aſſumere, & ſibi hypoſtaticè unire quamlibet naturam, etiam purè materialem, & irrationalem.*

OBjicies *1mò.* Ex eo: *quòd Verbum divinum non potuerit aſſumere naturam Angelicam.* Unde ſic: 33.
1mò. Aſſumptio eſt incarnatio; atqui Verbum non potuit incarnari cum natura Angelica: ergo nec potuit illam aſſumere. *2dò.* Perſona Angeli eſt incorruptibilis; atqui in aſſumptione naturæ, deberet corrumpi ac deſtrui: ergo non poterat aſſumi. *3tiò.* Suppoſitum ſeu perſonalitas in natura ſpirituali, ſeu Angelica, non diſtingvitur realiter ab ipſa natura; atqui repugnat, perſonalitatem aſſumi: ergo & naturam Angelicam. *Prob. Maj. Ariſtoteles 7. metaphyſ.* ità dicit: *In rebus, quæ materiâ carent, idem eſt, quòd quidquid eſt cum eo, cujus eſt*; atqui per *ly quidquid eſt*, intelligitur natura, per *ly cum eo*, intelligitur perſona: ergo ex mente Philoſophi natura in Angelis, qui carent materiâ, eſt identificata perſonalitati. *4tò.* Perſonalitas divina non diſtinguitur realiter ab eſſentia: ergo

ergo neque Angelica. *Resp. ad 1mum Dist. Maj.* Assumptio naturæ humanæ, vel alterius carneæ, est incarnatio, *Conced.* Assumptio naturæ puræ spiritualis, & non carneæ, est incarnatio, *Neg. Maj. Et concessa Min. Neg. Conseq. Ad 2dum Dist. Maj.* Persona Angeli est incorruptibilis ab intrinseco, naturaliter, & de lege ordinaria, *Conced.* Ab extrinseco, & de potentia Dei absoluta, *subdist.* Ratione naturæ, *Transf.* Ratione subsistentiæ seu personalitatis, *Neg. Maj.* Similiter *Dist. Min. Et Neg. Conseq.* Desineret itaque in nostro casu solus modus seu subsistentia, non verò natura Angeli; imò posset Deus producere novam naturam Angelicam, eámque sibi unire in unitate personæ, & sic nulla daretur corruptio præexistentis subsistentiæ. *Ad 3tium Neg. Maj.* Quælibet enim personalitas creata distinguitur modaliter à natura, ùt supponimus ex Philosophia. *Ad Prob. explico Philosoph.* Et ille per *ly cum eo cujus est*, intelligit singularitatem, quæ est identificata cum natura, *Conced.* Intelligit personalitatem, quæ primo nobis innotuit ex fide, quâ caruit Aristoteles, *Neg. Textum Philosoph. Ad 4tum Neg. Conseq. Disp. est:* Quia respectu personalitatis divinæ, nullum habemus signum distinctionis; at verò respectu personalitatis creatæ, habemus signum distinctionis, nempe, *separabilitatem*; Verbum enim divinum defactò assumpsit naturam humanam sinè personalitate, ùt conformiter ad fidem docent Theologi: ergo Personalitas humana est separabilis à natura; & quia eôdem modô est discurrendum de personalitate Angelica, quô discurrimus de humana, ùt patet ex *dictis n. 13.* ideò, sicut personalitas humana est separabilis, ita etiam Angelica.

34. *Objicies 2dò.* S. Thom. *hìc q. 4. a. 1. in* ☉ sic concludit: *Unde relinquitur, quòd sola natura humana sit assumpti-*

assumptibilis: ergo juxta doctrinam *S. Thom.* natura Angelica non est assumptibilis à Verbo divino; particula enim exclusiva *solùm*, videtur alias naturas ab assumptibilitate excludere. *Resp. D. Thom.* ibi loqui de assumptibilitate secundùm congruentiam, quæ quidem naturæ humanæ *perfectè* competit, non verò Angelicæ; nam, ùt egregiè ibidem discurrit *S. Doctor*, in natura assumptibili triplex potest reperiri congruentia, nempe: *dignitatis*, *necessitatis*, & *universalitatis*, seu *extensionis*; atqui in natura Angelica non reperitur hæc triplex congruentia: ergo. *Prob. Min.* Licèt enim in natura Angelica reperiatur congruentia *dignitatis*, cùm in linea intellectuali perfectissima sit, congruentia tamen *necessitatis* illi deest, cùm peccatum Angelorum irremissibile sit; similiter & congruentia *universalitatis* seu *extensionis* in ea non reperitur, cum in illa solus gradus intellectualis reperiatur; at verò in homine omnes hæ congruentiæ inveniuntur, cùm natura humana, & intellectualis sit, & redemptionis capax, & indigens; atque in homine omnes gradus universi quodammodo contineantur, *intelligit* enim cum *Angelis*, *vivit* cum *plantis*, *sentit* cum *animalibus*, & *existit* cum *lapidibus*, alijsque *inanimatis*; Unde assumptô homine, quodammodò totum universum assumitur; Sicut Evangelium omni creaturæ quodammodò prædicatur, cùm homini annuntiatur, ùt ait *Gregorius Magnus homil.* 29. *in Evangel.* explicans illa verba Christi ad discipulos: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Ità explicat *S. Thom. Gonet hìc Disp.* 9. *a.* 1. §. 2. *n.* 27.

Objicies 3tiò. Ex eo: *quòd natura irrationalis non* 35.
potuerit assumi à Verbo divino. Jam sic: Natura, quæ non potest elevari ad visionem beatificam, nec potest elevari ad unionem hypostaticam cum Deo; atqui natu-

natura purè materialis non poteſt elevari ad viſionem beatificam cum Deo: ergo neque ad unionem hypoſtaticam. *Prob. Maj.* Unio hypoſtatica eſt radix exigitiva viſionis, & hæc eſt proprietas, conſequens ad unionem hypoſtaticam: ergo natura incapax viſionis, eſt etiam incapax unionis hypoſtaticæ. *Reſp. Neg. Maj. Ad Prob. Diſt. Ant.* Unio hypoſtatica eſt radix exigitiva viſionis beatificæ in ſubjecto capaci, *Conced.* In ſubjecto incapaci, *Neg. Ant. & Conſeq.* Sic cadaver Chriſti, ſeu corpus, in triduo mortis fuit unitum hypoſtaticè Verbo, quamvìs fuerit incapax viſionis beatificæ. Idem eſt de quatuor humoribus: ergo &c.

36. *Replicabis.* Non poteſt quælibet creatura videre Deum: ergo neque illi uniri hypoſtaticè. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſp. eſt:* Quia viſio & beatitudo formalis, neceſſariò præſupponit intellectum, & voluntatem; cùm beatitudo formalis *phyſicè ſumpta*, conſiſtat in operationibus harum duarum potentiarum; atqui non quælibet creatura habet intellectum, & voluntatem: ergo nec quælibet creatura poteſt videre Deum; at verò unio hypoſtatica nihil aliud præſupponit, nisì *capacitatem ad ſuppoſitari*; atqui ſtante potentiâ obedientiali, hæc *capacitas* in qualibet natura ſubſtantiali reperitur: ergo.

37. *Urgebis.* Quando creatura non poteſt elevari ad minus, non poteſt etiam elevari ad majus; atqui minus eſt videre Deum, quàm illi uniri hypoſtaticè: ergo, cùm non poſſit elevari ad viſionem beatificam, necque poterit elevari ad unionem hypoſtaticam. *Reſp. Diſt. Maj.* Quando majus & minus ſunt ejuſdem ordinis, & minus includitur in majori, *Conced.* Quando ſunt diverſi ordinis, & minus non includitur in majori, *Neg. Maj.* Sic Angelus poteſt

natu-

naturaliter intelligere, & *supernaturaliter* Deum videre, non tamen potest ridere, quod est minus; & homo potest discurrere, non tamen volare: ergo.

Argues. Esse, est propter operari: ergo natura incapax elevari ad operationem Divinam, qualis est visio, est etiam incapax elevari ad esse Divinum. *Resp. Dist. Ant.* Esse naturæ, seu essentiæ, est propter operari, *Conced.* Esse personale, & suppositale, *Neg. Ant.* Esse naturæ ità ordinatur ad operari, tanquam *formale principium* operationum, ut saltèm *naturaliter* non possit reperiri, ubi operari illi proportionatum est impossibile; esse autem *personale* & *suppositale*, cùm nullam habeat operationem sibi propriam, non est propter operari *formaliter*, & *immediatè*. Deinde natura purè materialis, posset elevari ad aliquas actiones miraculosas, quæ etiam vocantur *Divinæ*, licèt non elevaretur ad visionem beatificam: ergo &c. 38.

Objicies 4tò. Natura incapax sanctitatis, est etiam incapax unionis hypostaticæ cum Deo; atqui natura irrationalis est incapax sanctitatis: ergo etiam est incapax unionis hypostaticæ cum Deo. *Prob. Maj.* Subjectùm incapax effectûs formalis formæ, est etiam incapax formæ; atqui unio hypostatica cum Deo, habet pro effectu formali sanctificationem naturæ, quæ ipsi conjungitur: ergo natura incapax sanctificationis, est etiam incapax unionis hypostaticæ cum Deo. *Resp. Neg. Maj. Ad ejus Prob. Dist. Maj.* Subjectum incapax effectûs formalis primarij, est etiam incapax formæ, *Conced.* Subjectum incapax effectûs formalis secundarij, *Neg. Maj.* Et sub eadem distinctione, *Neg. Conseq.* Potest itaque subjectum esse capax *formæ*, & ejusdem *effectûs primarij*, licèt non sit capax *effectûs secundarij*, ùt patet in anima Christi, 39.

capaci gratiæ habitualis, quæ tamen incapax est filiationis adoptivæ, quæ à gratia habituali præstatur. Unde cùm persona Divina, unita naturæ creatæ, non habeat pro *effectu formali primario*, ut illam constituat gratam & sanctam, sed, ut illam reddat subsistentem; ideò hæc natura capax est istius effectûs, vel *quasi effectûs formalis*, etiamsi incapax sit sanctitatis, capax tamen est unionis hypostaticæ cum Deo. *Resp. 2dò. Dist. Maj.* Natura incapax sanctitatis physicæ, in ordine ad cultum latriæ, est etiam incapax unionis, *Conced.* Incapax sanctitatis moralis, & in ordine ad actus meritorios eliciendos, est etiam incapax unionis, *Neg. Maj.* Sanctificare enim, *moraliter* respicit capacitatem subjecti; cùm itaque natura irrationalis non sit capax *sanctificationis moralis*, ideò Verbum in nostro casu non tribueret ipsi hunc effectum.

40. *Objicies 5tò.* Natura irrationalis non est personabilis: ergo non est assumptibilis. *Prob. Ant.* Persona communiter definitur: quòd sit *naturæ rationalis individua substantia*: ergo natura irrationalis & inanimata, non est personabilis, seu non est capax personalitatis, per consequens non potest assumi à Verbo. *Resp. Dist. Ant.* Non est personabilis quoad nomen, id est, non potest nominari persona, *Conced.* Non est personabilis quoad rem, id est quoad hoc, quod est esse subsistentem incommunicabiliter, *Neg. Ant.* Persona enim Divina naturæ rationali dat *esse personæ*: irrationali dat tantùm *rationem suppositi*, ùt patet in sanguine Christi, qui non dicitur persona, sed tantùm suppositum, aut subsistens subsistentiâ Verbi.

41. *Replicabis.* Effectus formalis personæ assumptibilis, est reddere naturam personatam; atqui natura irrationalis non potest reddi personata, ex dictis: ergo

ergo non poteſt aſſumi à Verbo. *Reſp. Diſt. Maj.* Eſt reddere naturam perſonatam, ſi natura ſit capax hujus effectûs formalis, *Conced.* Si non ſit capax, uti natura irrationalis non eſt capax; *Neg. Maj.* Aut aliter: eſt reddere perſonatam quoad rem, *Conced.* Quoad nomen, *Neg. Maj.* Perſona enim divina tribuit naturæ hanc *denominationem perſonalitatis*, ſi ſit rationalis; Si verò ſit irrationalis, tribuit ei tantùm *denominationem ſuppoſiti*, & quia in noſtro caſu eſſet natura irrationalis, ideò faceret cum illa *ſuppoſitum*, non verò *Perſonam*.

Objicies 6tò. Dedecet Divinam Majeſtatem, ut fiat ſus, aut mus, vel lapis: ergo. *Reſp. Diſt. Ant.* Dedecet negativè, id eſt, minùs congruum eſt, *Conced.* Poſitivè, *Neg. Ant.* Iſta enim non magis Deum dedecent, quàm *conſpui*, *flagellari*, *mori*, *&c.* cùm nullam arguant *imperfectionem* in perſona Divina, ſed ſolam *denominationem* à tali unione provenientem. Monent tamen Theologi, nè illa, quæ *magnam vilitatem*, juxta noſtram imaginationem continent, *temerè* dicantur de Deo coram ſimplicibus, propter periculum *irreverentiæ*; ſimiliter ob eandem rationem non debet fieri mentio præſentiæ Divinæ, quâ Deus per immenſitatem ſuam, præſens eſt rebus ſordidiſſimis. 42.

Objicies 7mò. Si natura inelevabilis ad operationes Divinas, poſſet aſſumi à Verbo, ſequeretur, naturam rationalem de ſe elevabilem, poſſe aſſumi, quin actu illius elevarentur potentiæ; atqui hoc implicat: ergo. *Maj. cum Conſeq. tenet. Prob. Min.* Si natura rationalis poſſet aſſumi, non elevatis potentijs ad divinas operationes, ſequeretur, quòd poſſet aſſumi & manere peccabilis, nam potentiæ non elevatæ poſſunt deficere & peccare; atqui hoc non; cùm in natura aſſumpta implicet peccatum, ùt verior 43.

rior docet ſententia : ergo natura elevabilis non poteſt aſſumi, non elevatis etiam potentijs. *Reſp. Imò.* In ſententia non diſtingvente potentias ab anima, *Neg. Maj.* Impoſſibile enim eſt, ut unum realiter identificatum elevetur, quin etiam & alterum elevetur, realiter identificatum. *Reſp. 2dò. Conceſsâ Maj. Neg. Min. Ad cujus Prob. Dico :* Non ideò potentias naturæ aſſumptæ, *defectibiles* non eſſe, quia *intrinſecè* ſunt elevatæ, ad operationes ſupernaturales, ſed quia ſunt *Divini ſuppoſiti.* Unde, quia actiones ſunt ſuppoſitorum, ſuppoſito autem Divino repugnat actio peccaminoſa ; ideò, quamvìs potentiæ *intrinſecè* elevatæ non eſſent, tamen *defectuosè* operari non poſſent. Ità *Godoy hìc q.* 4. *Tract.* 4. *Diſp.* 8. §. *6. n.* 92.

44. *Objicies 8vò.* Si Perſona Divina poſſet aſſumere unam naturam irrationalem, poſſet etiam ſimul omnes aſſumere : ergo totum univerſum poſſet fieri unicum ſuppoſitum. *Reſp. Conced. Totum.* Utrùm autem tali caſu omnes illæ naturæ aſſumptæ, earúmque collectio retineret rationem univerſi, reſolvendum eſt à Philoſophis ; ſiquidem hæc quæſtio, & deciſio ejusdem dependet, ab hac : utrùm ad rationem univerſi requiratur, non tantùm *generum*, *ſpecierum*, & *individuorum*, ſed inſuper etiam *ſuppoſitorum* diſtinctio.


45. *Objicies 9nò.* Deus non poteſt aſſumere naturam creatam accidentalem, ſeu accidens : ergo nec quamcunque ſubſtantiam creatam. *Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſeq. Diſp. eſt :* quia accidens eſt entis ens, & comparatur ad *ſubſtantiam*, ſicut actus ad *potentiam* : ergo, ut ſubſtantia poſſit *immediatè* uniri accidenti, debet aliquomodò eſſe *perfectibilis*, & in potentia ; atqui Deo repugnat eſſe *perfectibile*, & in potentia, cùm

cùm ſit actus purus: ergo repugnat, Deum *immediatè* uniri accidenti; at verò natura & ſubſtantia creata, habet ſe ad *ſubſiſtentiam*, ùt potentia ad ſuum ultimum actum ſubſtantialem: ergo, ut poſſit uniri *ſubſiſtentiæ divinæ*, ſufficit, ut actuetur per *ſubſiſtentiam*; non verò requiritur, ut viciſſim actuet aut perficiat: ergo poteſt ſubſtantia creata, *immediatè* uniri ſubſiſtentiæ Divinæ, licèt non poſſit eidem uniri accidens.

Objicies 10mò. Non bene arguitur, à corpore in 46. triduo mortis Chriſti, ad alias naturas irrationales: ergo etiamſi illud fuerit terminatum à Verbo divino, non ſequitur, quòd poſſint etiam terminari aliæ naturæ irrationales. *Prob. Ant.* Corpus Chriſti in triduo mortis, licèt actu non fuerit naturæ rationalis, dicebat tamen *ordinem* ad animam rationalem, adeoque erat pars naturæ rationalis; & per conſequens capax unionis ſubſtantialis cum Verbo; atqui aliæ naturæ irrationales, non dicunt *ordinem* ad animam rationalem: ergo à corpore Chriſti in triduo mortis, non bene arguitur ad alias naturas irrationales. *Reſp. Neg. Ant. Ad Prob. Neg. Maj.* Falſum etenim eſt, ùt obſervat *Godoy hìc q. 4. tract. 4. Diſp.* 18. §. 4. *n. 67.* Quòd corpus Chriſti mortuum, dicat *ordinem*, aut dicere poſſit ad animam rationalem. *Ratio eſt*: quia, cùm *reunitio* animæ cum corpore ſit ſupernaturalis, non poteſt illam, corpus ſeparatum ab anima, exigere: ergo ſinè tali *ordine*, ſalvatur *aſſumptibilitas*; & per conſequens natura irrationalis non dicens ordinem ad animam rationalem, adhuc aſſumptibilis eſt à Verbo. 2*dò*. Nam, eſtò dicatur materiam corporis Chriſti, Verbo unitam in ſepulchro, poſt mortem *ordinem* dicere ad animam rationalem, compoſitum tamen ex materia & forma cadaveris, talem *ordinem* non dicit; atqui hoc compoſitum fuit uni-

tum *substantialiter* Verbo in sepulchro : ergo natura irrationalis non dicens *ordinem* ad animam rationalem, est capax unionis substantialis cum Verbo. 3*tiò*. Estò diceret ordinem ad animam rationalem, ex hoc tamen ordine non redditur capax operandi operationes divinas, nec sanctitatis *substantialis*, nec personalitatis, *ùt personalitas* est; & tamen, ùt Adversarij fatentur, & tenentur fateri, est capax unionis *substantialis* cum Verbo: ergo quamvìs natura irrationalis, non dicens *ordinem* ad animam rationalem, nec potens esse pars rationalis naturæ, incapax sit ad prædictas operationes sanctitatis *personalis*, & personaliter subsistendi, tamen erit capax assumptionis à Verbo, & unionis *substantialis* cum ipso: ergo, cùm solummodò ex illis capitibus incapax assumptionis ab Adversarijs probetur, ideò negare tenentur talem incapacitatem in natura irrationali; adeoque natura irrationalis est assumptibilis à Verbo.

47. *Objicies* 11*mò*. Natura rationalis, ideò potest assumi à Verbo, quia respectu hujus assumptionis potest haberi honestus finis, nempe, redemptio generis humani; atqui respectu naturæ irrationalis assumptibilis, non potest haberi honestus finis: ergo hæc non potest assumi. *Resp. Neg. Min.* Hujus enim assumptionis, potest esse respectu Dei finis, manifestatio suæ Omnipotentiæ; atqui iste finis est honestissimus: ergo &c.



THE-

THESIS VIII.

Humanitas Christi fuit sancta formaliter, non solùm (1mò.) per substantialem sanctitatem Verbi. Ità S. Thom. *3. p. q. 2. a. 10. ad 1.* Cardinalis de Lugo *Disp. 16. sect. 1.* Valentia *Disp. 1. q. 7. punct. 1.* Becanus *cap. 8. q. 1.* Godoy *hic tract. 8. Disp. 21.* §. 1. de Rhodes *hic Disp. 3. q. 1. sect. 1.* §. 1. Leonardus Penafiel *hic Disp. 12. sect. 1. subsect. 1. cum viginti quatuor Authoribus. Sed etiam (2dò.) per sanctitatem accidentalem.* Hanc Suarez *hic Disp. 18. sect. 2. censet esse de fide & varijs sacræ scripturæ, Conciliorum & SS. Patrum testimonijs confirmat.* Vasquez tamen *Disp. 41. sect. 1. Negat illam esse de fide, licèt sinè temeritate eam non posse negari, affirmet.* Accedit Scotus *in 3. Dist. 1. q. 1.* Mastrius *hic Disp. 2. q. 1. a. 1.* Amicus *Disp. 6. sect. 1.* Reding. *q. 10. a. 2. de gratia Christi. controvers. 1.* Et plures alij apud citatos Authores relati.

PRobatur 1ma pars Thesis 1mò. Ex eo: *quòd humanitas Christi fuerit sancta formaliter per substantialem sanctitatem Verbi. Et quidem Authoritate S. Scripturæ.* Unde sic: *Psalm. 44.* diciur: *Unxit te Deus, Deus tuus oleô lætitiæ.* Item *Isaiæ 61.* Et *Luc. 4. Spiritus Domini super me, propter quod unxit me.* Item *Actor. 4. & 10. Unxit eum Spiritu Sancto, & virtute.* Quæ loca S. Scripturæ explicantes SS. Patres dicunt: hanc unctionem, quâ Christus homo fuit unctus, & à qua Christus est appellatus, esse ipsam Divinitatem, seu Verbum, per cujus præsentiam humanitas 1.

 nitas

nitas sanctificatur. Hinc S. August. *lib. 15. de Trinit. cap. 26.* ait: *Tunc unctam fuisse invisibili Deo humanam naturam, quando Divinæ juncta est Personæ.* S. Anselmus *in caput ad Hebr.* 1. ità inquit: *Non ante Conceptus, & postmodùm unctus, sed hoc ipsum de Spiritu Sancto, & carne Virginis concipi, Spiritu Sanctô ungi fuit.* Idem habet S. Gregorius Nazianzenus *Oratione 36.* ità dicens: *Divinitas est unctio humanitatis, non operatione, ùt in alijs Christis, sed totius unientis præsentia:* ergo. Idem sentiunt alij *SS. PP.* apud Vasquez *Disp. 41. cap. 1.*

2. *Probatur 2dò.* Ratione desumptâ ex *S. Thom. loc. supr. cit. Sic ad* 1. docente: *Dicendum, quòd gratia, quæ est accidens, est quædam similitudo divinitatis participatæ in homine; per incarnationem autem humana natura non dicitur participâsse similitudinem aliquam divinæ naturæ, sed dicitur esse conjuncta ipsi Divinæ naturæ in persona Filij magìs autem est ipsa res, quàm similitudo ejus participata.* Unde sic: Illa est forma sanctificans, quæ evehit subjectum ad esse Divinum, quæ fundat jus ad æternam beatitudinem, quæ reddit subjectum gratum Deo, & dignum ad terminandam amicitiam Dei supernaturalem; atqui hæc omnia præstat Verbum divinum, hypostaticè unitum humanitati, & quidem præstantiori & excellentiori modô, quàm gratia accidentalis: ergo. *Prob. Min.* Verbum divinum hypostaticè unitum humanitati, multò magìs naturam humanam evehit ad esse Divinum, reddit illam gratam Deo, & dignam ad terminandam amicitiam Dei supernaturalem, quàm gratia habitualis; siquidem natura humana per gratiam habitualem solùm *participativè*, & *moraliter* unitur Deo; per unionem autem hypostaticam unitur *realiter* & *physicè* Verbo: ergo. Hinc *SS. PP.* dicunt, humanitatem

tem propter unionem ad Verbum fuiſſe *Deificatam*, *Deitate perfuſam &c.* quam unionem explicant exemplô ferri in fornace igniti, ponúntque diſcrimen inter Chriſtum & cæteros ſanctos, quòd iſti *participativè* dicantur ſancti, Chriſtus verò *ſubſtantivè*, ùt diſcurrit *S. Auguſt. lib. 2. de Incarnat. Verbi.* circà medium.

Probatur 3tiò. Et magìs declarantur dicta. Illud donum *formaliter* ſanctificat, quod donatarium reddit *formaliter* conſortem Naturæ Divinæ, gratum, amicum, filium Dei, & quod *formaliter* excludit peccatum Deo odibile, conſtituit hæredem gloriæ æternæ &c. ùt colligitur ex *Trident. Seſſ. 6. de juſtificat. cap. 7.* Atqui Verbum, ſeu Divinitas hypoſtaticè unita humanitati, mediante perſonalitate Verbi, & unione hypoſtaticâ, hæc omnia præſtat in Chriſto, & quidem multò perfectiùs, quàm gratia habitualis in cæteris hominibus: ergo. *Prob. Min.* Imprimis enim Divinitas unita humanitati, reddit illam *ſubſtantialiter* Deificatam, & non tantùm *accidentaliter* participem & conſortem naturæ Divinæ, ſicut gratia habitualis. 2*dò.* Conſtituit humanitatem objectum *complacentiæ*, & *amicitiæ* divinæ, & quidem tam perfectè, ut nihil poſſit eorum negare Deus, quæ humanitas Chriſti *abſolutè* & *efficaciter* petit ab eo. 3*tiò.* Fundat filiationem non tantùm *adoptivam*, ſed etiam *naturalem*; Chriſtus enim, etiam quâ homo, eſt Filius Dei naturalis, quia non eſt extranea Perſona. 4*tò.* Excludit ab humanitate Chriſti omne peccatum, etiam veniale; imò etiam ipſam *peccabilitatem*, ſeu potentiam proximam peccandi, ùt dicetur *Theſi 10.* Denique conſtituit humanitem hæredem *gloriæ æternæ*, dignam *cultu latriæ*, & amore omnium creaturarum: ergo humanitas Chriſti ſanctificatur à Verbo, & cùm 3.

illi ipsissimum Verbum uniatur, sanctificatur *substantialiter*.

4. *Probatur 4tò.* Cum de Rhodes *Disp. 3. de Incarnat. q. 1. sect. 1. §. 1.* Humanitatem sanctificari *substantialiter*, est illam habere in se aliquid *substantiale*, per quod nullum in se admittere possit peccatum, potentias omnes rectè ordinatas habeat, & omnes operationes conformes regulæ rationis; atqui humanitas Christi, eô ipsô, quòd uniatur *substantialiter* Verbo, habet in se *Deitatem substantialiter*, per quam excluditur omne peccatum, redditúrque *perfectè* recta ac conformis regulæ rationis: ergo humanitas Christi redditur per gratiam unionis sancta *substantialiter*, id est, habens in se aliquid substantiale, per quod redditur incapax peccati, perfectè recta, ac conformis regulæ rationis. *Prob. Min.* Quia implicat, ut humanitas participet Divinum esse *substantiale*, quin sit incapax peccati, & *perfectè* quoad omnia recta; si etenim gratia accidentalis sanctitas est, ex eo, quòd sit *similitudo* quædam *Deitatis*, & ejus veluti participatio, quantò magìs Deitas ipsa, quæ in se sanctitas est, conferet humanitati effectum illum formalem sanctitatis: ergo.

5. *Probatur 5tò.* cum Godoy *q. 7. de gratia Christi. tract. 5. Disp. 21. §. 1. n. 17.* Donum in radice continens omnia, ad ordinem gratiæ spectantia, reddit subjectum cui datur, *amicabiliter* dilectum à Deo, in quo consistit esse *gratum*, & *formaliter sanctum*; atqui gratia unionis, est donum humanitati factum, continens *radicaliter* omnia ad ordinem gratiæ spectantia, ùt fatentur contrariæ sententiæ Authores; aliàs nec *radicaliter* humanitatem Christi sanctificaret, cujus contrarium affirmant: ergo gratia unionis ratione sui, constituit humanitatem Christi *amicabiliter* dilectam à Deo,

à Deo, & consequenter non solùm *radicaliter*, sed *formaliter* sanctam. *Confirmatur* 1mò. Quia gratia habitualis continet gloriam *radicaliter*, ideò reddit animam gratam, & sanctam *formaliter*; atqui etiam gratia unionis continet gloriam *radicaliter*; imò eminentiùs, quàm gratia habitualis, cùm ipsam gratiam habitualem *radicaliter* contineat: ergo gratia unionis constituit humanitatem Christi *formaliter* gratam & sanctam. *Confirmatur* 2dò. Nam, estò gratia habitualis permodùm *radicis physicæ*, contineat habitus viæ, gloriam tamen solummodò continet *moraliter*, saltèm proùt est gratia viæ; & tamen stante hac continentiâ, sanctificat *formaliter* animam: ergo etiam estò gratia unionis non *physicè*, sed tantùm *moraliter* contineat in radice gratiam habitualem & gloriam, nihilominùs sanctificabit humanitatem Christi formaliter.

Probatur 6tò. Si Christi humanitas, non haberet aliam sanctitatem, nisì hanc, quæ provenit à gratia habituali, ejus opera non haberent infinitum valorem in ratione meriti; atqui habent, ùt probabilior *Thomistarum* docet sententia: ergo alia sanctitas excellentior debet poni in Christo, per quam reddantur sancta; atqui alia esse non potest, quàm illa, quæ in ipsa *formali* assumptione communicatur humanitati à Verbo Divino: ergo. *Prob. sequel. Maj.* Sanctitas per gratiam habitualem, non potest dare humanitati, & mediante hâc, operibus Christi valorem, nisì *finitum* & *limitatum*; cùm sit ex se finita & inferioris ordinis à sanctitate substantiali: ergo si Christi humanitas non haberet aliam sanctitatem, nisì hanc, quæ provenit à gratia habituali, ejus opera non haberent *infinitum valorem* in ratione meriti. 6.

Dices. Ut opera Christi sint infinita in valore meri- 7.

ritorio, sufficit, quòd persona Verbi sit sancta *infinitè* in se: ergo quamvìs humanitas non sit *infinitè* sancta, adhuc opera meritoria possunt esse valoris infiniti. *Resp. Neg. Ant.* Nam ad hoc, ut opera Christ sint meritoria, non sufficit sanctitas Verbi *in se ipsa* sed requiritur sanctitas personæ Verbi, *ùt est homo* ergo ad infinitatem meritoriam illorum, non sufficit sanctitas infinita Verbi *in se ipso*, &, ùt est Deus sed requiritur sanctitas infinita Verbi, *prout hominis* & per consequens requiritur sanctitas infinita humanitatis. *Prob. Ant.* Ad valorem meritorium operum requiritur sanctitas merentis *elicitivè*; atqui *elicitivè* merens per opera Christi non est Verbum *in se ipso* nec Verbum, ùt *in Deitate subsistens*, sed Verbum quatenùs homo: ergo ad rationem prædictorum operum, non sufficit sanctitas personæ Verbi *in se ipsa* & ùt Deus est, sed requiritur sanctitas personæ Verbi ùt est homo. *Godoy q. 7. de gratia Christi. tract. 5. Disp. 21. §. 1. n. 19.*

8. *Probatur 2da pars Thesis imò.* Ex eo: *quòd humanitas Christi fuerit etiam sancta per sanctitatem accidentalem, & quidem Authoritate Sac. scripturæ.* Unde sic: *Joannis 1.* dicitur de Christo: *Plenus gratiæ & veritatis*; atqui hic textus non verificaretur, nisì in Christo esset gratia habitualis, quæ Christum sanctificet accidentaliter: ergo. Ad quem textum etiam S. August. respexisse videtur, dum *lib. 15. de Trinit. cap. 26. loquens de donatione Spiritûs Sancti per gratiam sanctificantem*, ità inquit: *Dominus ipse Jesus non solùm Spiritum Sanctum dedit ùt Deus, sed etiam accepit ùt homo, & propterea dictus est plenus gratiâ, quia unxit eum Deus Spiritu Sanctô, non utique oleô visibili, sed donô gratiæ, quod visibili significatur unguentô, quô baptizatos ungit Ecclesia.* Ubi apertè est sermo de dono gratiæ creatæ, & habitualis: ergo.

Probatur 2dò. Authorit. S. Bernardi Doctoris Melliflui, qui *homil. 4. in missus.* explicans illa Verba *Luc. 1. Ideoque, & quod nascetur ex te Sanctum*; ità habet: *Posuit indefinitè Sanctum, quia quidquid illud sit, quod Virgo genuit Sanctum, procul dubiò, ac singulariter Sanctum fuit, & per Spiritûs Sancti sanctificationem, & per Verbi assumptionem.* Quibus Verbis clarè distingvit duplicem gratiam in Christo; unam *assumptionis*, quæ est increata & substantialis, alteram *sanctificationis*, quæ est creata & accidentalis: ergo. 9.

Probatur 3tiò. Rationibus Divi Thomæ *hîc. q. 7. a. 1.* *Prima est*: Quantò subjectum receptivum, est magìs propinqvum causæ influenti, tantò magìs participat illius causæ influxum; atqui anima Christi per unionem hypostaticam, est maximè propinqua Deo, qui est gratiæ habitualis Author: ergo maximè participat influxum gratiæ habitualis; & ideò *Joannis* 1. dicitur: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*; nos inquam, velùt membra à capite, rivos habitualis gratiæ tanquam ex fonte illius participavimus: ergo. *Secunda est*: Humana natura in Christo habuit suas operationes supernaturales, nempe, cognitionem & dilectionem Dei perfectissimam: ergo etiam habuit connaturalia earum operationum principia, nempe, virtutes supernaturales; atqui illæ virtutes emanant ex gratia habituali, ùt proprietates ex radice proxima: ergo signum est, quòd etiam Christus habuerit gratiam habitualem. *Tertia est*: Perfectio, quæ communicatur effectui, præexistit formaliter in causa efficiente, si imperfectionem non dicat repugnantem causæ; atqui anima Christi Domini influit gratiam habitualem in animas justorum, & aliàs gratia habitualis non dicit imperfectionem illi repugnantem, ùt patebit ex solutione objectionum: ergo illam habuit formaliter. 10.

Proba-

11. *Probatur 4tò.* Cum Amico *hic Disp. 16. sect. 1. n. 14.* Cui communicatur aliquod esse, eidem connaturaliter debentur omnes perfectiones à tali esse promanabiles, quæ subjectum, cui tale esse communicatur, possunt perficere; atqui humanitati Christi *intrinsecè*, & *substantialiter* communicatum est ipsum esse Divinum Verbi: ergo eidem connaturaliter debentur omnes perfectiones supernaturales creatæ, ab hoc esse Divino promanabiles, quæ humanam Christi naturam quôcunque modô perficere, ac decorare possunt; atqui gratia habitualis est talis perfectio: ergo. *Prob. Maj.* Ideò corpori humano debentur omnes perfectiones ab anima rationali promanabiles, quæ ipsum corpus ornare possunt; quia eidem *intrinsecè* communicatur ipsum esse *substantiale* animæ rationalis. *Item*, ideò habenti gratiam habitualem, sunt *connaturaliter* debitæ omnes virtutes, quia hæ aptæ sunt promanare à gratia habituali, ùt à prima radice: ergo etiam, ideò omnia dona supernaturalia creata naturæ humanæ perfectiva, *connaturaliter* sunt debita humanitati Christi, quia hæc omnia sunt apta promanare à Verbo Divino, quod *intrinsecè* & *substantialiter* est illi communicatum; adeoque humanitas Christi accipiendo, mediante unione, esse increatum Verbi, simul cum illo accepit omnia dona supernaturalia, quæ inesse Verbi *eminenter* continentur, & quæ apta sunt naturam humanam perficere ac decorare; atqui gratia habitualis continetur *eminenter* inesse Verbi, & est apta perficere ac decorare naturam humanam: ergo data fuit humanitati Christi.

12. *Probatur 5tò.* cum Gonet *Disp. 12. de gratia Christi habituali. a.1. § 1. n. 7.* Omnis perfectio spiritualis competens hominibus justis, concedenda est humanita-

ti

ti Christi, si non pugnet cum visione beatifica, aut cum unione hypostatica; atqui gratia habitualis est maxima perfectio spiritualis, competens animabus justorum, & aliàs non pugnat cum visione beatifica, neque cum unione hypostatica: ergo tribuenda est animæ Christi.

§. I.

Solvuntur objectiones contra 1mam partem Thesis, quæ dicit: quòd humanitas Christi fuerit formaliter sancta, per sanctitatem substantialem.

OBjicies 1mò. Ex eo: *quòd humanitas Christi non* 13.
videatur fuisse formaliter sancta, per sanctitatem substantialem Verbi. Unde sic: sancti Patres asserentes Divinitatem esse unctionem humanitatis, non sunt intelligendi in sensu formali, quasi ipsa Divinitas esset *formaliter* ratione sui unctio humanitatis, sed in *sensu causali*, quatenùs scilicet, ex unione Divinitatis cum humanitate derivatur, & resultat in anima Christi gratia habitualis, quâ humanitas ejus *formaliter* ungitur, & *formaliter* sanctificatur. *Resp. Neg. Ant. Ratio est: 1mò.* Quia si Divinitas solummodò *causaliter* sanctificaret humanitatem Christi, sanctificaretur operatione divinâ, cùm gratia formaliter sanctificans illam, à Divinitate *efficienter* causetur; atqui *Nazianzenus* & *Damascenus* dicunt, quòd *Divinitas* sit unctio humanitatis, non operatione, ùt in alijs Christis sanctificans, sed *totius unientis præsentia*: ergo Divinitas non *causaliter*, sed etiam *formaliter* est unctio, & sanctitas humanitatis Christi. *Ratio est: 2dò.* Quia juxta *Nazianzenum* aliter comparatur

ratur Divinitas ad humanitatem Christi in ratione unctionis & sanctitatis, ac ad alios homines justos; atqui Divinitas est aliorum justorum sanctitas, & unctio *causaliter*; causat enim in illis gratiam, quâ unguntur & sanctificantur *formaliter*: ergo Divinitas est unctio formaliter (*prout ly formaliter, contraponitur ly radicaliter, non verò ly materialiter*:) & non solùm *causaliter* humanitatis Christi. *Gonet hic Disp. 11. a. 1. §. 1.*

14. *Objicies 2dò.* Illud solùm est formaliter sanctum, gratum &c. quod est sanctum, gratum &c. per formam intrinsecam; atqui implicat, ut divina sanctitas sit forma humanitati intrinseca: ergo. *Resp. Dist. Maj.* Quod est sanctum, gratum &c. per formam, vel quasi formam, *Conced.* Tantùm per formam propriè dictam, *Neg. Maj.* Similiter *Dist. Min. & Neg. Conseq.* Sanctitas divina non perficitur *intrinsecè* inesse, vel in operari; adeoque non est forma propriè dicta, est tamen quasi forma, quia communicat naturæ humanæ *effectum formalem* sanctitatis, quæ natura humana, physicè, ac intrinsecè unitur Divinitati, mediante personalitate Verbi: ergo.

15. *Objicies 3tiò.* Divinitas unitur humanitati tantùm mediatè, nimirum mediante personalitate Verbi: ergo non potest humanitatem formaliter sanctificare. *Resp. Neg. Conseq.* Quia etiam gratia habitualis soli animæ immediatè unitur, hac mediante toti humanitati, & tamen denominat totam humanitatem *formaliter* sanctam. *Item*, intellectio & volitio, uniuntur hominis animæ, mediantibus potentijs, & tamen denominant animam *formaliter* intelligentem & volentem: ergo idem dicendum est de sanctitate substantiali Christi.

16. *Objicies 4tò.* Impossibile est, ut Verbum se ipsô causet effectum formalem, qui est gratiæ habitualis

lis

lis proprius; effectus enim formalis proprius, juxta multos, est indistinctus à forma, nec potest sinè tali forma haberi; atqui reddere formaliter sanctum, est effectus proprius gratiæ habitualis: ergo. *Resp. cum Godoy hìc q. 7. tract. 5. Disp. 21. §. 2. n. 29. Dist. Min.* Reddere formaliter sanctum sanctitate accidentali, est effectus propriùs gratiæ habitualis, *Conced.* Reddere formaliter sanctum sanctitate substantiali, *Neg. Min. & Conseq.* Sola increata sanctitas, potest *substantialiter* reddere sanctum; quia verò personalitas Divina, ùt præcisa à Divinitate, non dicit in conceptu suo explicito hujusmodi sanctitatem, ideò Dìvinitas mediante personalitate Verbi, & unione hypostaticâ, sanctificat *substantialiter formaliter* humanitatem *ùt quod*; personalitas autem Verbi, & unio hypostatica tantùm sanctificat *ùt quo.*

Obiicies 5tò. Quod constituit animam Christi sanctam *radicaliter*, non potest illam constituere *formaliter* sanctam; atqui gratia unionis, constituit animam Christi sanctam *redicaliter:* ergo non potest illam constituere sanctam *formaliter. Min. constat.* Nam unio hypostatica est radix gratiæ habitualis, quæ sanctificat *formaliter* animam Christi. *Prob. Maj.* Nihil potest se habere respectu ejusdem effectus formalis permodùm *radicis*, & permodùm constitutivi *formalis* illus; unde, quia homo per animam rationalem est *radicaliter* risibilis, non potest per eandem esse *formaliter* talis, sed solùm per risibilitatem, quæ ipsum constituit *formaliter* risibilem: ergo quod constituit animam Christi sanctam *radicaliter*, non potest simul illam constituere talem *formaliter. Resp. Dist. Maj.* Quod constituit animam Christi sanctam radicaliter, sanctitate accidentali, non potest illam constituere talem formaliter, eadem sanctita-

ctitate accidentali, *Conced.* Aliâ ſanctitate, ſcilicet, ſubſtantiali, & perſonali, *Neg. Maj.* Nihil enim repugnat, aliquid eſſe radicem reſpectu unius, & ſimul eſſe formam conſtitutivam alterius: ergo &c.

18. *Objicies 6tò.* Forma unita ſubjecto, omnem ſuum effectum formalem illi tribuit; atqui ſi Verbum uniretur animæ irrationali, illam non redderet ſanctam ſanctitate ſubſtantiali: ergo talis ſanctitas non eſt effectus formalis gratiæ unionis; adeoque humanitas Chriſti per tale donum non redditur ſancta ſubſtantialiter. *Reſp. Diſt. Maj.* Forma unita ſubjecto capaci, tribuit illi omnem ſuum effectum formalem, *Conced.* Unita ſubjecto incapaci, *Neg. Maj.* Patet hoc in gratia habituali, quæ non dat Chriſto eſſe Filium Dei adoptivum: quia ad hunc effectum non reperitur in illo capacitas. Conſtat etiam in ſubſiſtentia Verbi, unita naturæ bruti, quæ illam perſonatam non redderet, ſed tantùm ſuppoſitatam, etiamſi perſonalitas Verbi ſit potens utrumque præſtare. Cùm itaque natura irrationalis non ſit capax ſanctitatis, ideò Verbum illi unitum, non redderet illam ſanctam defectu capacitatis, licèt eſſe ſanctum *ſubſtantialiter*, ſit effectus formalis gratiæ unionis.

19. *Objicies 7mò.* Illud ſolùm ſanctificare poteſt formaliter, ratione cujus ſubjectum acceptatur ad gloriam; atqui ratione gratiæ unionis, non acceptatur ſubjectum ad gloriam: ergo per gratiam unionis non ſanctificatur formaliter. *Prob. Min.* Poſſet Deus humanitati Verbo hypoſtaticè unitæ, vitam æternam, de abſoluta potentia negare: ergo. *Reſp. Neg. Min. Ad Probat. Diſt. Ant.* Et tali caſu maneret tamen humanitas Chriſti acceptata in jure, licèt non in re, *Conced.* Et non maneret acceptata in jure, *Neg. Ant.* In caſu enim, quô Deus humanitati hypoſta-

poſtaticè Verbo unitæ, vitam æternam negaret, maneret adhuc humanitas vi gratiæ unionis, acceptata ad vitam æternam *in jure*, etiamſi *in re*, & *defactò* non eſſet acceptata ad illam, ùt petebat gratia unionis, quantùm eſt de ſe; hoc autem ſufficit, ut ſit formalis ſanctitas, ùt patet in gratia habituali, quæ ſanctificat hominem formaliter, ſanctitate accidentali, & dat jus ad beatitudinem, facítque hominem acceptum ad illam, quamvìs de potentia abſoluta homo juſtus, & in gratia conſtitutus *in re*, & hìc & nunc, poſſet non acceptari ad illam; poteſt enim Deus homini in gratia conſtituto vitam æternam negare; imò & illum in æternum punire, ſuâ utens abſolutâ potentiâ.

Objicies 8vò. Si ſanctitas increata ſanctificaret hu- 20
manitatem Chriſti formaliter, tunc illam ſanctificaret, vel finitè, vel infinitè, atqui nullô modô illam ſanctificat: ergo. *Prob. Min.* Non finitè: quia forma infinita non poteſt tribuere effectum formalem, nisì infinitum. Non etiam infinitè: quia ſubjectum finitum, quale eſt humanitas Chriſti, non eſt capax effectus formalis infiniti: ergo. *P. Vaſquez*, *Petrus Hurtado*, *Valentia*, *Arriaga*, & alij apud *Leonardum Penafiel hìc Diſp.* 22. *ſect.* 4. affirmant hanc humanitatis ſanctificationem vocandam eſſe ſimpliciter infinitam. Negant autem *Cardinalis de Lugo hìc Diſp.* 13. *ſect.* 3. *Eſparza hìc lib.* 9. *q.* 24. *ad* 4. Et alij. *Nos Reſp.* conformiter ad doctrinam de valore meritorum Chriſti infinito, traditam, & dicimus: Si ille modus communicationis ſpectetur *entitativè*, & in ordine *phyſico*, eſſe ſimpliciter finitum; ſi verò ſpectetur ſecundùm ſuam *dignitatem*, & *æſtimabilitatem* in ordine morali, eſſe illum intrinſecè, & ſimpliciter infinitum; quia ſanctitas eſt quaſi forma ſanctificans, éſtque ſimpliciter infinita, infinitè

æſtima-

æstimabilis, amabilis, &c. Ac proinde reddit humanitatem infinitò amore dignam, licèt unionis modus, quô Divinitas unitur humanitati *physicè*, ac *entitativè* sit finitus.

21. *Objicies 9nò.* Si humanitas Christi esset infinitè sancta, esset æqualiter sancta ac Verbum; atqui hoc non: ergo. *Prob. seqvel. Maj.* Esset sancta eâdem sanctitate increatâ, & sic esset æquali amore amicabili digna: ergo esset æqualiter sancta. *Resp. Neg. seqvel. Maj. Ad Probat. Dist. Ant.* Humanitas Christi esset sancta eâdem sanctitate increatâ, quoad formam communicatam subjecto, *Conced.* Quoad modum communicandi, *Neg. Ant. & Conseq.* Quamvìs itaque sanctitas increata, secundùm se sit eadem in Verbo, & humanitate, Verbum tamen est magìs sanctum quoad modum, quia est *infinitè* sanctum per *identitatem* & essentiam; humunitas verò est solummodò sancta per unionem, ídque *moraliter*, non *physicè*; & sic infinita sanctitas humanitatis, est in linea diversa, eáque longè inferiore: ergo sanctitas humanitatis quoad substantiam, est eôdem amore digna, quô sanctitas Verbi, non tamen quoad modum communicationis.

22. *Objicies 10mò.* Humanitas Christi non potest reddi formaliter intelligens aut volens, per intellectionem aut volitionem divinam: ergo nec potest reddi formaliter sancta per Divinitatem, licèt illi uniatur. *Resp. Neg. Conseq. Dispar. est*: quia intellectio & volitio ex suo conceptu formali, sunt actiones vitales; adeoque *essentialiter* debent *activè* & *elicitivè* procedere à suis potentijs, tanquam à principio intrinseco; atqui repugnat, ut intellectio & volitio divina procedat *activè*, & *elicitivè* ab anima Christi, ejúsque potentijs, tanquam principio intrinseco, ùt

per

per ſe patet: ergo implicat, ut Chriſtum *formaliter* denominent intelligentem aut volentem; at verò ſanctitas ex ſuo conceptu formali, non eſt *actio vitalis*, neque ſanctificatio exigit *eſſentialiter* procedere à principio intrinſeco, ùt patet ex inſtantia gratiæ habitualis, quæ producitur à principio extrinſeco, nempe Deo: ergo &c.

Objicies 11*mò*. Licèt eſſentia Divina *ſecundùm* ſe 23.
ſit infinita intelligibilitas, tamen intellectui creato, per lumen gloriæ elevato, communicatur in ratione intelligibilis, *modô* ſolùm *finitô*: ergo etiam, licèt ſanctitas Verbi ſit infinita, tamen communicabitur modô tantùm finitô. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſp. eſt*: Quia *intelligibilitas* Dei, non eſt ipſa *intellectivitas*, aut lumen gloriæ, nec ipſa viſio aut intellectio, ſed purus terminus extrinſecus & viſus; at verò *Deitas*, ùt ſanctitas Verbi, phyſicè unita humanitati, eſt *formaliter* ipſa ſubſtantialis ſanctitas humanitatis, & forma *indiviſibiliter*, adeoque *infinitè* reddens ſanctam: ergo. Ratione hujus unionis perſonalis, reſultat perſona compoſita, ſeu unum per ſe compoſitum Theandricum. *Item*, communicatio idiomatum. *Item*, quòd humanitas ſit adorabilis, & infinitè diligibilis, quia ùt ſubſiſtens *intrinſecè* involvit majeſtatem & bonitatem infinitam Verbi; hæc autem non præſtat pura unio *intentionalis*, aut *affectiva* beati, ùt conſideranti patet: ergo.

Objicies 12*mò*: Humanitas non minùs eſt beata, 24.
quàm ſancta; atqui non eſt beata beatitudine increata: ergo neque ſancta ſanctitate increatâ. *Reſp. Diſt. Maj.* Non minùs eſt beata, quàm ſancta accidentaliter, *Conced.* ſubſtantialiter, *Neg. Maj.* Cur autem humanitas non poſſit eſſe beata beatitudine increatâ, hæc ratio eſt: quia beatitudo conſiſtit in *ope-*

ratione vitali, nempe in visione & amore beatifico; implicat autem, ut creaturæ operatio vitalis, sit increata, aliàs creatura esset causa incausati & increati, quod implicat: ergo etiam implicat, ut beatitudo creaturæ sit *increata* & *substantialis*: ergo debet esse accidentalis; at verò sanctitas substantialis, non est vitalis, sed ad hanc sufficit unio physica Verbi, ad humanitatem: ergo.

25. *Objicies 13tiò.* Humanitas Christi propter unionem ad Verbum, non est facta immensa, omnipotens, aut æterna: ergo neque sancta substantialiter. *Resp.* *Neg. Conseq. Disp. est*: *1mò.* Quia immensitas, omnipotentia, & æternitas, in suo conceptu formali explicito, dicunt & exprimunt infinitatem; at verò sanctitas & personalitas, talem infinitatem pro explicito non dicit: hinc etiam creaturis competere potest. Proinde illæ tantùm perfectiones Divinæ possunt se se attemperare, & juxta capacitatem subjecti suos effectus formales magis vel minùs communicare, quæ in suo conceptu formali explicito, non exprimunt infinitatem, licèt illam in conceptu implicito includant. Secùs est dicendum de illis, quæ infinitatem explicitè exprimunt. *Disp. est*: *2dò.* Quia fides docet, quòd Verbum assumpserit naturam humanam cum omnibus suis proprietatibus naturalibus, exceptâ personalitate; atqui esse in *loco* & *tempore* determinato, ac *finito*, habere *potentiam finitam*, ac *limitatam* ad certos, & determinatos effectus, sunt proprietates naturales: ergo etiam hos debuit Verbum assumere; per consequens manserunt in Christi humanitate; at verò esse sanctum, non est proprietas humanitatis, nec etiam ulli attributo Divino opponitur, sicut assignatæ proprietates: ergo potest competere humanitati Christi, & eidem à Verbo com-

communicari, non verò prædictæ. Cur autem humanitas Christi de potentia Dei absoluta, non possit per unionem hypostaticam reddi formaliter immensa, omnipotens, vel æterna, *Ratio est* : *1mò. quoad omnipotentiam* : quia sic posset efficere omnia effectibilia, adeoque etiam se ipsam, quod implicat. *2dò. quoad immensitatem* : quia immensitas ex suo conceptu essentiali, importat non posse commensurari loco; humanitas autem essentialiter potest commensurari, & claudi loco: ergo. *3tiò. quoad æternitatem* : quia æternitas ex essentia sua est unicum nunc indivisibile, & instans semper stans: ergo *essentialiter* excludit mutationem & successionem perfectionum, ac defectibilitatem earum; atqui humanitas ex essentia sua defectibilis & mutabilis, essentialiter importat posse mutari: ergo. At verò nihil horum urget in sanctitate substantiali, licèt infinita: ergo.

Objicies 14tò. Si Deitas formaliter sanctificaret humanitatem, tota Trinitas humanitatem sanctificaret; effectus enim provenientes à Divinitate, toti Trinitati attribuuntur; atqui sequela est falsa: ergo. 26.
Resp. Dist. Maj. Si Divinitas secundùm se accepta, formaliter sanctificaret humanitatem, tota Trinitas sanctificaret, *Conced.* Si Divinitas proùt est in Filio, formaliter sanctificaret, tota Trinitas sanctificaret, *Neg. Maj.* Instantia est in divinis, ubi Deitas formaliter deificat Patrem; Deitas enim est forma deificans, quâ Pater formaliter constituitur inesse Dei, & tamen malè infertur: *ergo tota Trinitas, est forma Deificans Patrem.* Simili modô se res habet in nostro proposito. *Ratio est* : quia neque Deitas proùt est in Filio, & Spiritu sancto Deificat Patrem, neque Deitas, proùt est in Patre, sanctificat huma-

nitatem, sed proùt est in Filio, seu ùt afficitur subsistentia Verbi, quâ mediante Deitas unitur humanitati: ergo.

27. *Objicies 1stò.* Si gratia unionis, esset Deo ratio diligendi humanitatem Christi, in ordine ad beatitudinem, vel esset ratio illam diligendi amore necessariò, vel liberò; atqui nihil horum potest dici: ergo. *Prob. Min.* Non potest dici, quòd esset ratio illam diligendi amore necessariò, quia Deus extra se nihil diligit necessariò: ergo. Atqui etiam non potest dici, quòd esset ratio diligendi illam amore liberô; nam bonum infinitum (*quale est gratia unionis,*) non liberum, sed necessarium terminat amorem: ergo gratia unionis, non est ratio diligendi humanitatem Christi in ordine ad beatitudinem; per consequens nec illam sanctificat formaliter. *Resp.* Neg. *Min. Ad Probat. Dist. 2dam partem Min.* Bonum infinitum tam physicè, quàm moraliter tale, non liberum sed necessarium terminat amorem, *Conced.* Bonum infinitum moraliter, non tamen physicè, qualis est unio hypostatica, *Neg. 2dam partem Min. & Conseq.* Quamvìs autem bonum in omni genere, & ratione infinitum, ac in se ipso tale, terminet amorem necessarium, non tamen bonum moraliter tantùm infinitum, & ùt creaturæ communicatum; patet hoc in actibus Christi meritorijs & satisfactorijs, qui licèt infinitate quadam morali gaudeant, tamen non necessitant voluntatem divinam ad præmium, nec ad pœnæ remissionem, nisì suppositô pactô, quia non sunt physicè, & per essentiam; sed per communicationem infiniti. *Gonet hìc Disp. 11. de gratia substantiali Christi. a. 1. §. 2.*

§. II.

§. II.

Solvuntur objectiones contra secundam partem Thesis, quæ dicit : quòd humanitas Christi fuerit etiam sancta per sanctitatem accidentalem.

OBjicies 1mò. Ex eo : *quòd in Christo non videatur fuisse sanctitas accidentalis, seu gratia habitualis.* Unde sic: Gratia habitualis ad hoc est necessaria, ut homo consequatur vitam æternam, juxta illud ad *Roman.* 6. *Gratia Dei, vita æterna.* Atqui Christus non potuit consequi vitam æternam, cùm illam habuerit à primo instanti conceptionis: ergo non habuit gratiam habitualem. *Resp. Dist. Maj.* Gratia habitualis est etiam necessaria ad hoc, ut homo consequatur vitam æternam, *Conced.* Tantùm est necessaria ad consequendam vitam æternam, *Neg. Maj.* Gratia enim habitualis in Christo erat necessaria, propter operationes supernaturales cognitionis & amoris Dei, & virtutes infusas, quarum est connaturale principium; ex gratia enim habituali tanquam ex radice proxima, omnes habitus virtutum infusarum emanant. Hinc S. *Thomas hìc q. 7. a. 1. ad 2.*ità habet : *sed quia præter operationem divinam oportet poni in eo operationem humanam, ùt infra patebit, oportuit esse in eo habitualem gratiam, per quam hujusmodi operatio, in eo esset perfecta :* ergo &c. 28.

Objicies 2dò. Humanitas Christi est sancta substantialiter per Divinitatem: ergo gratia habitualis superfluit. *Resp. Neg. Conseq.* Licèt enim per commu- 29.

 niga-

nicationem substantialem Deitatis, sanctificetur humanitas Christi, quia tamen per illam non constituitur connaturale principium operationum supernaturalium intelligendi & amandi, ideò non excluditur necessitas gratiæ habitualis, per quam talis humanitas constituitur connaturale principium hujusmodi actuum supernaturalium, ùt docet *D. Thom. loc. supr. cit.*

80. *Objicies 3tiò.* Habitus supernaturales infusi, poterant sufficienter oriri in Christo ab unione hypostatica, tanquam à prima radice: ergo non est ratio, ut dicantur profluxisse, à gratia habituali. *Confirmatur.* Si fuisset in Christo gratia habitualis, sequeretur illum fuisse magìs sanctum, quàm Verbum Divinum; atqui hoc non: ergo. *Resp. Ad Argument. Neg. Ant.* Sicut enim potentiæ animæ rationalis, non possunt oriri & emanare ab Angelo, ità neque habitus supernaturales, possunt profluere ab unione hypostatica, qui defactò profluunt à gratia habituali. *Ad Confirm. Dist. Maj.* Sequeretur illum fuisse magìs sanctum extensivè, *Conced.* Intensivè, *Neg. Maj. Similiter Dist Min. Et Neg. Conseq.*

81. *Objicies 4tò.* Effectus formalis gratiæ habitualis, est facere Filium Dei adoptivum; atqui Christus non potest esse Filius Dei adoptivus, cùm non sit extranea persona: ergo nec potest habere gratiam habitualem. *Resp. 1mò. Dist. Maj.* Effectus formalis gratiæ habitualis, est facere Filium Dei adoptivum conditionatè, radicaliter, & in actu primo, *Conced.* Absolutè, formaliter, & in actu secundo, *Neg. Maj.* Ad hunc enim effectum præstandum requirit gratia, ut non impediatur ab aliquo alio; quia autem impeditur in Christo, cùm ille sit Filius Dei naturalis: ergo non potest ipsum denominare *formaliter,* &

& *absolutè* Filium Dei adoptivum; habet itaque gratia habitualis alium effectum formalem primarium absolutum, nempe, reddere hominem, vel Angelum *consortem Naturæ Divinæ*, quem eô ipsô præstat, quòd sit subjecto unita. *Resp. 2dò. cum Gonet Disp. 12. a. 1. §. 2. Dist. Aliter Maj.* Effectus gratiæ habitualis secundarius, est facere Filium Dei adoptivum, *Conced.* Primarius, *Neg. Maj.* Secundarius autem effectus potest tolli, quando subjectum non est ejusdem capax; atqui Christus non est capax hujus effectus, quia non est persona extranea, quod ad adoptionem requiritur; cùm adoptio sit *gratuita & liberalis assumptio personæ extraneæ, ad hæreditatem jure non debitam*: ergo: &c.

Objicies 5tò. Gratia habitualis non potest esse in Christo, nisì ratione illius constituatur spiritualiter genitus; atqui spiritualem generationem consequitur filiationis relatio: ergo non potest gratia habitualis in Christo poni, nisì aliquam filiationem illi tribuat; atqui hæc non est alia, quàm adoptiva: ergo. *Prob. Maj.* Ideò homo purus constituitur per gratiam spiritualiter genitus, quia ratione illius Naturam Divinam, sub conceptu naturæ participat; atqui etiam Christus ùt homo, si gratia habituali exornetur, participat ratione illius Naturam Divinam sub conceptu naturæ: ergo redditur spiritualiter genitus. *Resp. Neg. Maj. Ad Probat. Dist. Causal. Maj.* Ideò homo purus constituitur per gratiam spiritualiter genitus, quia ratione illius Naturam Divinam participat sub conceptu naturæ, & ad modum naturæ, *Conced.* Quia præcisè illam participat sub conceptu naturæ, *Neg. Causal. Maj. Similiter Dist. Min. & Neg. Conseq.* Nam, licèt per gratiam communicetur Christo ùt homini, Dei natura, sub con- 32.

 ceptu

ceptu Naturæ Divinæ participatæ, non tamen eidem communicatur ad modum *naturæ*, ſed ad modum *proprietatis*, conſequentis gratiam unionis; & ideò Chriſtum ùt hominem, non conſtituit *ſpiritualiter* gentium. Nam de ratione formæ conſtituentis genitum, & generationem terminantis, non ſolùm eſt, quòd in ſe ſit natura, ſed inſuper requiritur, ut *per ſe primò*, per actionem intendatur. Hinc quamvìs Spiritui ſancto Natura Divina per proceſſionem communicetur, quia tamen *per ſe primò* non intenditur ſub conceptu naturæ, ideò illius proceſſio generatio non eſt.

33. *Objicies 6to.* Implicat, ſimul Chriſtum eſſe Deum per eſſentiam, & Deum per participationem; atqui ſi præter gratiam unionis, habuiſſet etiam gratiam habitualem creatam, fuiſſet Deus per eſſentiam ratione unionis hypoſtaticæ, & ſimul Deus per participationem, ratione gratiæ habitualis: ergo falſum eſt, quòd gratia habitualis creata fuerit in Chriſto. *Prob. Maj.* Eſſe Deum per eſſentiam, eſt eſſe Deum totaliter, & ſinè limitatione; è contra verò eſſe Deum per participationem, eſt eſſe Deum *partialiter*, & *limitatè*; atqui implicat Chriſtum eſſe Deum *totaliter* & *partialiter*, illimitatè & limitatè: ergo. *Reſp. Diſt. Maj.* Implicat, Chriſtum ſecundùm idem, eſſe ſimul Deum per eſſentiam & participationem, *Conced.* ſecundùm diverſa, nempe eſſe Deum per eſſentiam ſecundùm ſubſiſtentiam divinam, & eſſe Deum per participationem ſecundùm naturam humanam, cui inhæret gratia habitualis, *Neg. Maj. Similiter Diſt. Min. & Neg. Conſeq.*

34. *Replicabis.* Non minùs opponuntur ſibi, eſſe Deum & ſanctum per eſſentiam & per participationem, quàm eſſe Filium naturalem & adoptivum; atqui Chriſtus inquan-

in quantùm est Filius Dei naturalis, nequit esse Filius Dei adoptivus: ergo cùm Christus sit Deus & sanctus per essentiam, nequit esse *Deus*, & sanctus per partipationem. *Resp. Neg. Maj.* Quia, cùm Deitas & sanctitas competat supposito ratione naturæ, ideò ad denominationem Dei & sancti per essentiam, & Dei & sancti per participationem, sufficit naturarum diversitas in eodem supposito, ut secundùm unam sit Deus & sanctus per essentiam, & secundùm aliam Deus & Sanctus per participationem; at verò filiatio non convenit ratione naturæ, sed ratione suppositi, ùt docet *D. Thom. hìc q. 23. a. 4.* Unde ad filiationem naturalem & adoptivam, requiritur diversitas suppositorum. Et quia in Christo cum unitate suppositi, est sola diversitas naturarum, ideò potest esse Christus Sanctus per essentiam, & Sanctus per participationem; non autem Filius adoptivus & naturalis. *Ità S. Thom. in 3. Dist. 13. q. 1. a. 1. ad 1.*

Objicies 7mò. Instrumentum non indiget ad perfectè operandum ullô habitu operativô; atqui humanitas Christi est instrumentum Divinitatis: ergo. *Resp.* 35.
Dist. Maj. Instrumentum inanimatum *v. g. penicillus*, non indiget ullô habitu operativô. *Conced.* Instrumentum animatum, qualis est humanitas Christi, *Neg. Maj.* Sicut enim servus, ut debitô modô exequatur imperium Domini sui, indiget habitu superadditô, ità etiam anima Christi indiget gratiâ habituali, ut opera Divina perfectè operetur, inquit *D. Thom. in 3. Dist. 13. q. 1. a. 1. ad 4.* Et *3. p. q. 7. a. 1. ad 3.* ita habet: *Dicendum, quòd humanitas Christi est instrumentum divinitatis, non quidem sicut instrumentum inanimatum, quod nullô modô agit, sed solùm agitur, sed tanquam instrumentum animatum animâ rationali, quod ità agitur, quod etiam agit; & ideò ad convenientiam actio-*

actionis, *oportuit eum habere gratiam habitualem* : ergo.

36. *Objicies 8vò.* Gratia ſubſtantialis eminenter continet gratiam habitualem : ergo poteſt hoc, quod gratia habitualis; per conſequens gratia habitualis eſt ſuperflua. *Reſp. Diſt. Ant.* Continet eminenter effectivè gratiam habitualem, *Conced.* Continet illam eminenter executivè, nempe præſtando executivè id, quod præſtat gratia habitualis, *Neg. Ant. & Conſeq.* Quamvìs enim gratia ſubſtantialis, poſſit producere gratiam habitualem, non tamen poteſt præſtare id, quod præſtat gratia habitualis; hæc enim elevat animam Chriſti, ad phyſicè radicandas facultates ordinis ſuperioris, quod proprium eſt gratiæ habituali; hoc autem gratia ſubſtantialis (*connaturaliter loquendo*,) præſtare non poteſt : ergo.

37. *Objicies 9nò.* Chriſto convenit filiatio æterna & temporalis : ergo etiam naturalis & adoptiva. *Prob. Conſeq.* Licèt repugnet æternum & temporale, non repugnat tamen in Chriſto filiatio æterna & temporalis, quia repugnantiam tollunt duæ naturæ : ergo etiam ex eadem ratione non repugnabunt, filiatio naturalis & adoptiva. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſp. eſt*: Quia filiatio æterna & temporalis, habent denominationem ſuam à terminis; atqui termini ſunt diverſi, nempe, Pater æternus, & Mater in tempore : ergo ceſſat repugnantia; at verò filiatio adoptiva ad denominationem ſui, ſupponit perſonam extraneam ; implicat autem, ut filius naturalis ſit perſona extranea : ergo. Ex quo etiam patet *Diſpar. ad Prob.*

38. *Objicies 10mò.* Si daretur in anima Chriſti gratia habitualis, illa eſſet infinita; atqui nihil creatum eſt infinitum : ergo. *Reſp. Diſt. Maj.* Eſſet infinita in genere moris, *Conced.* In genere entis, *Neg. Maj.* Ratio

tio eſt, cur ſit infinita *in genere moris*: quia humanitas Chriſti ex phyſica conjunctione cum Verbo divino, habet infinitam dignitatem moralem, ratione cujus debetur illi cultus latriæ. Similiter opera Chriſti meritoria & ſatisfactoria, propter eandem conjunctionem cum Verbo divino, habent valorem ſimpliciter infinitum: ergo à pari etiam gratia habitualis, ex phyſica conjunctione cum Verbo divino, habet infinitam dignitatem, & excellentiam moralem, ratione cujus eſt principium proximum etiam dignificativum infiniti meriti. Ratio etiam eſt, cur non ſit infinita *in genere entis*: quia gratia habitualis eſt qualitas creata, recepta in anima Chriſti, etiam creata & finita; atqui nullum ens creatum eſt infinitum, ùt ſupponimus ex Philoſophia: ergo.

Replicabis. Gratia habitualis Chriſti, non videtur 39.
eſſe infinita in genere moris: ergo. *Prob. Ant.* 1mò. Gratia habitualis Chriſti, eſt ejuſdem ſpeciei cum gratia habituali cæterorum hominum, & Angelorum; atqui hæc nullô modô eſt infinita: ergo neque gratia Chriſti. 2dò. Quod poteſt augeri non eſt infinitum; atqui gratia habitualis in Chriſto poteſt augeri: ergo non eſt infinita. *Prob. Min.* De factò fuit aucta, juxta illud *Lucæ* 2. v. 52. *JEſus autem proficiebat ſapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum, & homines*: ergo. 3tiò. Gratia Chriſti commenſuratur gloriæ Chriſti; atqui hæc non eſt infinita, cùm humanitas Chriſti non videat Deum comprehenſivè: ergo. *Reſp. Neg. Ant. Ad 1mam Prob. Diſt. Maj.* Gratia Chriſti eſt ejuſdem ſpeciei, cum gratia habituali cæterorum hominum & Angelorum, conſiderata in ratione entis, & qualitatis, *Conced.* Conſiderata in ratione & genere moris, ſeu illius dignitatis moralis, quam habet ex conjunctione cum infinita perſona Verbi, *Neg. Maj.*
&

& concessâ Min. Neg. *Conseq.* *Ad 2dam Prob. Dist. Min.* Gratia habitualis in Christo considerata in genere moris potuit augeri, *Neg.* Considerata in genere entis & qualitatis, *Subdist.* Potuit augeri de potentia Dei absoluta, *Conced.* De potentia Dei ordinaria, & secundùm præsentem Dei providentiam & ordinationem, *Neg. Min.* Docent enim communiter Theologi contra *Scotum*, de absoluta Dei potentia, gratiam Christi posse intendi, secundùm suam entitatem, ex hac ratione, quia qualitas finita in ratione entis, absolutè potest augeri sinè fine, sicut omnis quantitas finita. Defactò tamen secundùm præsentem ordinationem *Providentiæ Divinæ*, Christus in primo instanti suæ conceptionis, habuit simul totam plenitudinem gratiæ, sine ullo incremento superveniente, cùm illa plenitudo gratiæ, fuerit debita *unioni hypostaticæ*, tanquam proprietas, radici; atqui radix & proprietas illius, sunt simul in eodem instanti: ergo in eodem instanti, in quo fuit unio hypostatica, fuit etiam gratia habitualis. Textus citatus exponendus est cum *Divo Thom. hic q. 7. a. 12. ad 2.* Christum profecisse in sapientia & gratia, non secundùm ipsos infusos habitus sapientiæ & gratiæ, sed secundùm actus, in quantùm ætate crescente, plures & plures actus meritorios eliciebat; aut etiam de sapientia & scientia acquisita, non verò de infusa. *Ad 3tiam Prob. Dist. Min.* Gloria Christi non est infinita in genere entis, *Conced.* In genere moris, *Neg. Min.* Elevatur enim ad dignitatem infinitam ex conjunctione cum Verbo, sicut gratia. Hinc etiam habitus virtutum moralium habent quandam infinitatem ex unione ad Verbum.

THE-

Thesis IX.

Christus non solùm habuit (1mò.) scientiam beatam. Ità S. Thom. *3. p. q. 9. a. 2.* Suarez *hìc Disp. 25. Sect. 2.* Amicus *Disp. 19. Sect. 1.* Card. de Lugo. *Disp. 19. n. 2.* Gonet *Disp. 16. a. 1.* §. 1. Reding *hìc q. 11. a. 1.* Leonardus Penafiel *hìc Disp. 13. sect. 3.* Salmanticenses *Tomo. 10. Tract. 21. Disp. 17. q. 10.* Estque hæc pars Thesis omnium Scholasticorum *in 3. Dist. 14.* contra Brentium & Calvinum, qui teste Bellarminô *lib. 4. de anima Christi. cap. 8.* ausi sunt asserere, quòd Christus ante mortem de sua salute dubitaverit, in cruce desperaverit, & tormenta inferni passus sit; adeoque ante mortem non fuerit beatus. *Sed etiam (2dò.) infusam.* Ità S. Thom. *loc. supr. cit.* Quem sequitur Godoy *quæst. 9. tract. 7. Disp. 32.* §. *6.* cum Capreolo, Cajetano, Medina, Lorca. Et alijs; contra D. Bonaventuram, Scotum, & Durandum. *Imò (3tiò.) & per se acquisitam.* Ità S. Thom. *loc. supr. cit. a. 5.* Vasquez *hìc Disp. 55. cap. 2.* Amicus *Disp. 21. n. 12.* Godoy *loc. supr. cit. n. 165. cum alijs 12. Authoribus.*

1. PRobatur *1ma pars Thesis 1mò.* Ex eo: *quòd Christus habuerit scientiam beatam, ídque in primo instanti suæ conceptionis.* Jam sic: *Joan. 1.* Christus dicitur: *plenus gratiæ & veritatis*; atqui plenitudo veritatis, dicit omnem scientiam, sicut plenitudo gratiæ, dicit omnem gratiam: ergo in Christo

ſto fuit omnis ſcientia. Præterea: *Joannis 12.* Chriſtus dicit: *Si quis mihi miniſtraverit, me ſequatur, & ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Ubi Chriſtus non dixit: *ubi ero*, quaſi non haberet claram Dei viſionem, ſed dixit: *ubi ego ſum*, ſcilicet in gloria, quam de factò poſſideo: ergo.

Confirmatur Auth. S. Auguſt. qui *lib. 83. Quæſtion. q. 80. & lib. 4. de conſenſu Evangeliſt. cap. 11.* hoc ponit diſcrimen inter Chriſtum & reliquos homines, quòd ipſe in hoc mundo exiſtens, viator ſimul fuerit & comprehenſor, alij verò non. Quod etiam alij Sancti Patres docent, negantes in Chriſto eſſe fidem; quia habuit claram Dei viſiònem: ergo.

2. *Probatur 2dò.* Ratione S. Thomæ *hìc q. 7. a. 1.* Quantò aliquod receptivum eſt proximius cauſæ influenti, tantò magìs, & cum majori perfectione illius influxum participat; atqui influxus gratiæ eſt à Deo, cui maximè humanitas Chriſti per unionem hypoſtaticam conjungitur, cùm ad idem *eſſe perſonale* cum ipſo trahatur: ergo perfectiſſimè gratiam participat atqui gratia perfectiſſima, eſt *gratia conſummata* per gloriam: ergo anima Chriſti habuit gratiam *gloriâ conſummatam*, id eſt: cum viſione beatifica conjunctam.

3. *Probatur 3tiò.* Decens eſt, ut inſtrumentum excellens, & permodùm capitis influens, præhabeat in ſe *formaliter* perfectiones, quas alijs communicat; atqui Chriſtus ùt homo, cauſat in nobis beatitudinem ſupernaturalem, conſiſtentem in viſione clara Dei, permodùm capitis & inſtrumenti excellentiæ: ergo oportet, ut in ſe ſcientiam beatam habeat.

4. *Probatur 4tò.* cum Godoy *q. 9. tract. 7. Diſp. 32. §. 1. n. 14.* Decens fuit, ut natura aſſumpta ad ſupremum eſſe, elevaretur ad *ſupremam operationem* ſibi poſſi-

poſſibilem; atqui natura humana Chriſti, aſſumpta eſt per unionem hypoſtaticam, ad eſſe ſupremum, ſcilicet, ad eſſe Verbi: ergo decuit, ut elevaretur ad *ſupremum operari* tali naturæ poſſibile; atqui beatitudo in clara viſione Dei conſiſtens, eſt *operatio ſuprema* humanitati poſſibilis: ergo debuit humanitati Chriſti, ad ſupremum eſſe aſſumptæ, concedi.

Probatur 5tò. cum Amico *hìc Diſput.* 19. *n.* 6. Chriſtus etiam ùt homo, eſt filius Dei naturalis: ergo fuit illi debita ſcientia beata; nam cui convenit *eſſe*, convenit etiam eidem *operatio* conſequens ad eſſe; atqui clara viſio Dei, eſt *operatio* conſequens ad *eſſe hypoſtaticum divinum:* ergo illi debita fuit; & per conſequens etiam collata tanquam proprietas conſequens naturam, hypoſtaticè unitam Verbo divino. *Prob. Min.* Propria operatio Verbi divini, & ipſius Dei, eſt, ſe ipſum *clarè* intueri: ergo cui communicatur idem *eſſe divinum*, communicatur etiam eidem proprium *operari Divinum*, nempe, *clarè* intueri Deum. 5.

Probatur 6tò. cum Gonet *hìc Diſp.* 16. *a.* 1. §. 1. Ex eo: *quòd ſcientia beata fuerit ſtatim in primo inſtanti conceptionis humanitati Chriſti communicata.* Unde ſic: Naturæ aſſumptæ à Verbo debemus concedere, quod majoris eſt *dignitatis* & *excellentiæ*, niſì muneri Redemptoris repugnet; atqui animam Chriſti fuiſſe à primo inſtanti creationis beatam, majoris eſt *dignitatis*, quàm beatitudine aliquando caruiſſe, & cum munere Redemptoris non pugnat; cùm ad hoc munus ſalvandum in Chriſto ſufficiat, quòd ſimul fuerit Viator, ad quod ſufficit, quòd habuerit corpus paſſibile, & reliquis gloriæ corporum dotibus deſtitutum, ut & pati pro nobis poſſet, & exemplô prælucere ad ſequenda veſtigia ejus: ergo aſſerendum eſt, Chriſtum ùt hominem fuiſſe perfectè beatum, à 6.

pri-

primo conceptionis instanti. Hinc S. Bernardus *Sermon. 2. Super Missus.* ità dicit: *Vir erat Dominus JEsus, sed sapientiâ non ætate, neque minùs sapiens fuit conceptus, quàm natus; parvus, quàm magnus;* atqui fuisset sapientior factus, & de parvulo vir, si à primo instanti conceptionis non habuisset perfectam Dei visionem: ergo. *2dò.* Sicut à primo instanti suæ conceptionis fuit Christus ùt homo constitutus legitimus hæres, & Dominus paternæ possessionis, juxta illud *Psalm. 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te, postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem.* Quod de temporali Christi generatione passim *SS. Patres* intelligunt; ità ab eodem instanti debuit jus paternorum bonorum accipere, cùm ad illud capiendum necesse non fuerit, aut Patris mortem intercedere, aut tempus legitimæ ætatis expectare: ergo. *3tiò.* In primo instanti conceptionis collata fuit Christo plena, ac perfecta gratia: ergo etiam eodem instanti collata eidem fuit visio beatifica. *Prob. Conseq.* Gratia perficitur, & consummatur *visione beatificâ*, sicut principium *ultimô suô actu:* ergo, cùm Christo collata fuerit perfecta gratia in primo instanti conceptionis, debuit etiam eidem conferri visio beatifica; adeoque Christus habuit *scientiam beatam*, idque in primo statim instanti suæ conceptionis. *4tò.* Adamus qui erat naturale principium generis humani, creatus est *perfectus* quoad illa, quæ ad ordinem naturæ pertinent: ergo à potiori Christus, ùt Author gratiæ & gloriæ, creatus est *perfectus* quoad illa, quæ ad ordinem gratiæ & gloriæ pertinent: ergo statim in primo instanti suæ conceptionis, habuit *scientiam beatam*, seu visionem beatificam.

7. *Probatur 2da pars Thesis 1mò.* Ex eo: *quòd Christus etiam*

etiam habuerit scientiam per se infusam. Jam sic: *Joannis 7.* mirabantur Judæi, & dicebant: *Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?* Respondit JEsus: *Doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me*; hoc est: non eam meâ industriâ acquisivi, non ab homine illam accepi, neque didici, sed indita mihi fuit à Patre meo: ergo. Item, ad *Colossens. 2.* habetur: quod in Christo *sint omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*; atqui non essent, si illi deesset pretiosissimum monile scientiæ infusæ, quâ etiam Angeli & homines exornantur: ergo. *Præterea:* ad scientiam per se infusam supernaturalem, spectant dona illa Spiritûs Sancti, quæ ad intellectum pertinent; atqui hæc fuerunt in Christo, ùt patet ex illis verbis: *Isaiæ cap. 11. Flos de radice Jesse ascendet,* (Christus,) *& requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & intellectûs, Spiritus Consilij, Spiritus Scientiæ &c.* ergo etiam fuit in illo scientia per se infusa.

Probatur 2dò. Ex doctrina *S. August.* qui super *Genesim ad litter. cap. 2.* duplicem distinguit in Angelis 8.
cognitionem: unam per quam cognoscunt res in Verbo, & per essentiam divinam, gerentem vices speciei intelligibilis, quam vocat *cognitionem matutinam*; alteram per quam cognoscunt res extra Verbum per species à Deo receptas, quam appellat *cognitionem vespertinam*, ùt exponit *S. Thom. 1. p. q. 58. a 6. & 7.* Ex quo sic arguitur: Licèt Angeli creaturas contemplentur in Verbo, per cognitionem beatam, quæ *matutina* vocatur, tamen datur in illis alia cognitio creaturarum in se ipsis, quæ *vespertina* appellatur: ergo pariter in Christo, qui est perfectior, & superior Angelis, præter cognitionem rerum in Verbo habitam per divinam essentiam, ùt speciem super excedentem, admittenda etiam est alia cognitio crea-

turarum in se ipsis, per proprias illarum species immediatè à Deo infusas.

9. *Probatur 3tiò.* Ratione *S. Thom. hic q. 9. a. 3.* ad hanc formam redactâ. Decens fuit, ut Verbum humanitatem perfectam assumeret; atqui si caruisset scientiâ *per se infusâ supernaturali*, distinctâ à scientia beata, non assumpsisset humanitatem perfectam: ergo habuit scientiam per se infusam supernaturalem, distinctam à scientia beata. *Prob. Min.* Omne, quod est in potentia ad aliquam perfectionem, non est perfectum, sed imperfectum, nisi reducatur ad actum; atqui intellectus animæ Christi, est de se in potentia ad res creatas, in proprio genere cognoscendas, per species à Deo *immediatè* infusas: ergo non fuisset perfectus, sed imperfectus sinè hujusmodi cognitione; & per consequens sinè scientia per se infusa, distincta à scientia beata.

10. *Probatur 4tò.* cum Gonet *hic Disp. 17. a. 1. §. 1.* Intellectus animæ Christi est in potentia ad creaturarum cognitionem, per proprias illarum species *immediatè* à Deo infusas; atqui hujusmodi cognitio, non habetur per scientiam beatam; nam species media, quâ lumen beatificum ad creaturas terminatur, est *Divina essentia* primò repræsentans Deum, & secundariò creaturas: ergo, ut perfecta cognitio competat animæ Christi, necessaria est *scientia infusa*, à beatifica distincta, ac proinde sinè illa maneret potentialis & imperfecta.

11. *Probatur 5tò.* Ratione unionis hypostaticæ fuit debita Christo omnis perfectio possibilis, quæ non repugnat ejus beatitudini, & fini redemptionis generis humani; hâc enim ratione probant Theologi, gratiam habitualem, & visionem beatificam fuisse Christo debitam *titulò connaturalitatis*; atqui scientia

ſe infuſa, erat Chriſto poſſibilis, & nullam repugnantiam habet cum ejus beatitudine, neque cum fine redemptionis, ùt conſideranti patet: ergo Chriſto denegari non debet.

Probatur 6tò. Chriſto fuit neceſſaria aliqua cogni- 12.
tio ſupernaturalis, quæ dirigeret, ac regularet actus illius meritorios, ſtatim in primo inſtanti conceptionis elicitos; atqui hæc non potuit eſſe alia, quàm *ſcientia infuſa*, cùm fides in Chriſto non habeat locum, & viſio beata non detur ad regulandum meritum, ſed ad poſſidendum præmium: ergo. *Præterea:* Angeli & Adamus in primo inſtanti creationis, habuerunt ſibi à Deo inditas ſpecies proprias, tam *rerum naturalium*, quàm *ſupernaturalium*: ergo à fortiori Chriſtus.

Probatur 7mò. Chriſto ex munere Redemptoris de- 13.
bebatur ſupernaturalis rerum omnium cognitio: ergo & ſcientia infuſa, quæ eſſet cognitionis talis principium. *2dò.* In Chriſto proùt viatore fuerunt virtutes *per ſe infuſæ*, & ſupernaturales, ùt omnes fatentur Theologi: ergo & ſcientia illis proportionata, & per conſequens *per ſe infuſa*; ſcientia enim per ſe acquiſibilis, non eſt proportionata virtutibus *per ſe infuſis*, nec ad illas regulandas ſufficiens: ergo. *3tiò.* Chriſtus Dominus meruit per actum charitatis non ùt comprehenſor, ſed ùt viator, ùt docet *D. Thom. hìc q. 19. a. 3. ad* 1. ergo meruit per actum charitatis, ùt regulatum lumine ſupernaturali ſcientificô, à lumine gloriæ diſtinctô. *Conſeq. patet*: nam actus regulatus ſcientiâ beatâ, erat Chriſti *ùt comprehenſoris*: ergo ſi meruit per actum, qui illius *ùt comprehenſoris* non erat, ſed ùt viatoris, meruit per actum regulatum lumine diſtinctô à ſcientia beata; & per conſequens concedenda eſt in anima Chriſti

Domini, ſcientia *per ſe infuſa*, à ſcientia beata diſtincta.

14. *Probatur 3tia pars Theſis 1mò.* Ex eo: *quòd Chriſtus etiam habuerit ſcientiam per ſe acquiſitam.* Unde ſic: *Lucæ 2.* dicitur: *JEſus proficiebat ſapientiâ & ætate.* Item, ad *Hebr. 5. Et quidem cùm eſſet Filius Dei, didicit ex ijs, quæ paſſus eſt, obedientiam*; propriè autem proficimus in ſapientia, & propriè diſcimus ea, quæ de novo cognoſcimus, & quorum principia de novo acquirimus: ergo, cùm Chriſtus de novo acquiſiverit cognitionem obedientiæ, ſignum eſt, quòd de novo acquiſiverit ſcientiam; per conſequens Chriſtus habuit etiam ſcientiam per ſe acquiſitam.

15. *Probatur 2dò.* Auth. S. Ambroſij, qui *lib. de Incarnat. cap. 7.* explicans illa verba *Lucæ 2. JEſus proficiebat ſapientiâ & ætate &c.* ità inquit: *Quomodo proficiebat ſapientiâ Dei? Doceat te ordo verborum. Profectus ætatis & profectus ſapientiæ, ſed humanæ eſt; ideò ætatem ante præmiſit*, (ſic enim ipſe legit: *JEſus proficiebat ætate & ſapientia*; non ùt cum S. Hieronymo vulgata vertit: *Sapientiâ & ætate*,) *ut Secundum hominem crederes dictum. Ætas enim non divinitatis, ſed corporis eſt. Ergo ſi proficiebat, ætate hominis proficiebat, proficiebat ſapientiâ hominis; Sapientia autem ſenſu proficit, quia à ſenſu ſapientia*: ergo. Idem ſentiunt plurimi Sancti Patres, quos refert, & ſequitur *Amicus hìc Diſp. 21. n. 13.*

16. *Probatur 3tiò.* Intellectus humanus Chriſti, cognovit objecta naturalia, præſertim materialia, non tantùm modô *ſupernaturali*, ſed etiam ſibi *connaturali*, videlicet, abſtractivè, adeoque componendo, dividendo, & diſcurrendo; atqui talis modus cognoſcendi, dependet à ſenſibus & phantaſia, & non habetur ſinè ſpeciebus à phantasmatibus abſtractis: ergo.

Pro-


Probatur 4tò. Christo non solùm tribuendæ sunt omnes scientiæ, sed etiam modus connaturalis illas habendi : ergo sicut Christus habuit scientiam beatam, secundùm proprium modum illius, videlicet, *permànenter*, & non tantùm *transeunter*, ùt aliqui in via habuerunt. *Item*, sicut habuit scientiam *per se infusam* secundùm proprium modum illius, videlicet, per infusionem; ità scientiam humanam, seu naturâ suâ acquisibilem, habere debuit humanô modô, videlicet, per acquisitionem, non verò per infusionem. Unde in intellectu humano Christi fuit triplex intelligendi modus. *1mô.* Divinus per scientiam beatam, quæ fit absque omni specie, cùm in visione beatifica ipsa Divina essentia defactò subeat vicem speciei impressæ. *2dò.* Angelicus per specierum infusionem. *3tiò.* Humanus per species à sensibus & phantasmatibus abstractas : ergo. 17.

Probatur 5tò. Si Christus scientiam *per se acquisibilem* proprijs actibus non acquisivisset, sed eam solùm per infusionem à Deo accepisset, sequeretur, intellectum agentem Christi fuisse omnino otiosum & frustraneum; atqui hoc non est dicendum : ergo nec illud. *Prob. sequel. Maj.* Proprium officium intellectûs agentis, est facere species intelligibiles actu, abstrahendo eas à phantasmatibus, ùt docent Philosophi *in libris de anima* : ergo, si intellectus agens animæ Christi species aliquas non abstraxisset à phantasmatibus, sed omnes Christus à Deo per infusionem accepisset, fuisset intellectus agens otiosus, & frustraneus in Christo; frustra enim est id, quod non habet propriam operationem, ùt dicitur *lib. 2. de Cœlo. text. 17.* cùm unumquodque sit propter suam operationem : ergo. 18.

Probatur 6tò. Cùm Christus ad paupertatem no- 19.

ſtram ultrò, ac volens ſe demiſerit, omnia quoque nobis connaturalia, quæ ſtatum ejus non dedecent, admiſit; atqui connaturalis homini acquirendæ ſcientiæ naturalis modus eſt, per actus proprios, & per abſtractionem ſpecierum à phantasmatibus eam ſibi comparare: ergo Chriſtus hôc etiam modô ſcientias per ſe acquiſibiles, ſibi comparavit. *Præterea*: in Chriſto eſt, & erat natura humana cum omni ſua *proprietate*, & *perfectione* illi connaturali; atqui ſcientia naturalis eſt una ex maximis naturæ humanæ perfectionibus: ergo etiam hæc fuit in Chriſto; atqui non fuit illi *per accidens* infuſa, ùt patet ex dictis: ergo erat *per ſe* acquiſita.

20. *Probatur 7mò.* cum Amico *hic Diſp. 21. n. 18.* Si fuiſſet in Chriſto ſcientia *per accidens* infuſa, aut illâ fuiſſet humanus intellectus uſus in ipſa infantia & pueritia, aut tantùm in ætate adulta; atqui nihil horum poteſt dici: ergo. *Prob. Min.* Non poteſt dici ſecundum, quòd videlicet Chriſtus illâ uſus fuiſſet in *ætate adulta*; quia ſic *fruſtrà*, & *otioſè* poſita fuiſſet in illo, à primo inſtanti conceptionis, cùm non habuiſſet actum, niſì in *ætate adulta.* Non etiam poteſt dici ſecundum, quòd videlicet ipſi fuiſſet infuſa *in infantia & pueritia*, quia ſic fingeretur ſinè neceſſitate miraculum; nam, cùm ad uſum hujus ſcientiæ neceſſariò debeat concurrere phantaſia, quæ propter indiſpoſitionem organi, non eſt in *infantili ætate* ad operandum idonea; ideò absque neceſſitate fingeretur miraculosè operata fuiſſe, ante tempus idoneum: ergo.



§. I.

§. I.

Solvuntur objectiones contra primam partem Thesis, *quæ dicit: quòd Christus habuerit scientiam beatam à primo instanti suæ conceptionis.*

OBjicies 1mò. Ex eo: *quòd Christus non videatur habuisse scientiam beatam, seu visionem beatificam in primo instanti suæ conceptionis.* Unde sic: 21.
Lucæ 24. dicitur: *Nonnè oportuit Christum pati, & ità intrare in gloriam.* Item *Joan.* 7. *Nondum spiritus datus erat, quia JEsus nondum erat glorificatus.* Et ibidem 17. alloquitur Christus Patrem his verbis: *Clarifica me Pater claritate, quam habui priusquàm mundus esset apud te.* Item *Apocalips.* 5. habetur: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere gloriam:* ergo Christus non videtur habuisse ante mortem gloriam seu visionem beatificam. *Resp. Explicando textus scripturæ:* Et illi intelligendi sunt de gloria corporis, quam Christus acquisivit per passionem & mortem in resurrectione sua, *Conced.* Intelligendi sunt de gloria, & beatitudine animæ, *Neg. Textus sacræ scripturæ.* In his enim locis sermo est de gloria corporis Christi, vel de exaltatione nominis ejusdem super omne nomen, teste *Gonet hîc Disp.* 16. *a.* 1. §. 1. adeoque hæc & similia sacræ scripturæ testimonia, nihil nocent veritati propositæ, & Thesi à nobis deductæ.

Objicies 2dò. Non est necesse, ut causa instrumentalis contineat effectum producendum: ergo, cùm humanitas Christi sit causa instrumentalis, respectu beatitudinis alijs hominibus causandæ, non sequitur, quòd illam in se continuerit & habuerit à primo instanti suæ conceptionis. *Resp.* 1*mò. Dist. Ant.* Non est ne- 22.

cesse, ut causa instrumentalis contineat effectum, eô modô, quô illum continet causa principalis, *Conced.* Eô modô, quô illum continere debet causa instrumentalis, *Neg. Ant. Resp. 2dò. Neg. Conseq.* Quia nos humanitati Christi non attribuimus beatitudinem ratione *continentiæ*, sed ratione *decentiæ*; sic enim arguimus: decens est, ut instrumentum excellentiæ, & permodùm capitis influens, habeat formaliter omnem perfectionem, quæ ab ipso derivatur in alios; atqui Christus ùt homo, causat in nobis beatitudinem supernaturalem, consistentem in visione clara Dei, permodùm capitis & instrumenti *excellentiæ*, & aliàs visio beata ex nullo capite Christo repugnat: ergo illam habuit in se ipso *formaliter*, ídque à primo instanti suæ conceptionis.

23. *Replicabis.* Licèt Christus, ùt homo, causet in nobis instrumentaliter fidem & spem, permodùm capitis & excellentiæ, tamen fides & spes non erant in Christo: ergo etiam, licèt causet in nobis visionem beatam, tamen non sequitur, quòd fuerit in Christo. *Resp. Neg. Conseq. Disp. est:* Quia fides & spes repugnant Christo secundùm esse formale ratione beatitudinis; cum qua componi non potest fides ratione obscuritatis, nec spes ratione futuritionis, quam petit in objecto sperato; at verò visio beatifica ex nullo capite Christo repugnat, ideóque decens fuit, ut esset beatus *formaliter*; quia in nobis beatitudinem causat permodùm capitis & instrumenti *excellentiæ*; non autem decuit, ut haberet fidem & spem, quamvìs illas causet in nobis. *Godoy q. 9. Tract. 7. Disp. 32. §. 1. n. 12.*

24. *Objicies 3tiò.* Operari non sequitur ad esse subsistentiæ, sed ad esse essentiæ: ergo suprema operatio, qualis est visio beata, non debet probari ex supremo

premo *esse subsistentiæ*, sed ex supremo *esse essentiæ*; atqui humanitas Christi non est assumpta per incarnationem ad supremum *esse essentiæ*, sed ad supremum *esse subsistentiæ*; non enim unio facta est in natura, sed tantùm in persona, seu subsistentia personali Verbi, quatenùs fuit reddita personata, & subsistens per subsistentiam Verbi: ergo ex assumptione humanitatis ad supremum esse, non bene infertur, illam fuisse elevatam ad supremum operari, & quòd debuerit visione beatificâ Dei dotari, uti *n. 4.* probatum est. *Resp. Dist. Ant.* Operari non sequitur ad esse subsistentiæ,. consecutione physicâ, & ùt ad rationem formalem, & formale principium operandi, *Conced.* Operari non sequitur ad esse subsistentiæ consecutione morali, & ratione moralis condecentiæ, *Neg. Ant. Similiter Dist. Conseq. & Neg. Conseq. Et Concessô subsumpt. Neg. Conseq.* Nam, licèt naturæ assumptæ ad supremum *esse subsistentiæ* non sit debita suprema operatio possibilis, ratione *physicæ* connexionis; debetur tamen ipsi *moraliter*, & ratione connexionis moralis; decens enim est, ut naturæ sic assumptæ, suprema operatio possibilis concedatur; unde ex assumptione humanitatis ad subsistentiam Verbi, rectè ostenditur illi concessam fuisse supremam operationem, consistentem in clara Dei visione, quia ad hoc sufficit connexio moralis: ergo.

Objicies 4tò. Gloria corporis & animæ, est necessariò connexa, nam gloria corporis emanat ex gloria animæ, ùt docent Theologi ex *S. August. Epist.* 56. Atqui in Christo ante resurrectionem non fuit gloria corporis: ergo neque animæ. *Resp. Dist. Maj.* Gloria corporis & animæ est necessariò connexa connexione naturali, *Conced.* Connexione essentiali, 25.

Neg.

Neg. Maj. & Concess. Min. Neg. Conseq. Fuit quidem debita gloria corpori Christi à primo instanti conceptionis, tum propter gloriam animæ, tum propter unionem hypostaticam, caruit tamen illâ gloriâ corpus Christi ex speciali Dei ordinatione propter nostram redemptionem.

26. *Objicies 5tò.* Christus ante resurrectionem suam & ascensionem fuit viator; atqui nullus viator potest pro statu viæ habere visionem aut fruitionem Dei: ergo neque Christus. *Prob. Min.* Quia, præterquàm, quòd visio & fruitio Dei ad alium statum & ordinem spectet, adhuc *Exodi 33.* dicitur: *Non enim me videbit homo, & vivet*: ergo quamdiu Christus vixit in hoc mundo, non habuit visionem beatam. *Resp. Dist. Min.* Nullus purus viator habet pro statu viæ visionem Dei, *Conced.* Nullus homo, qui est simul Deus, non habet pro statu viæ visionem Dei, *Neg. Min. Ad cujus probationem* dico: legem illam solùm intelligi de puro homine, & quidem hoc de lege ordinaria; Christus autem licèt fuerit homo & viator, fuit tamen etiam simul verus Deus: ergo.

27. *Objicies 6tò.* Christus meruit sibi beatitudinem: ergo fuit aliquô instanti sinè illa. *Prob. Ant.* Quidquid est perfectionis in creatura rationali, debet Christo attribui, nisì ipsi repugnet; atqui magnæ perfectionis est in creatura rationali, mereri sibi beatitudinem: ergo. *Resp. Neg. Ant. Ad Prob. Dist. Maj.* Quidquid est perfectionis in creatura rationali, non habens sibi admixtam aliquam imperfectionem, vel non supponens talem in subjecto merente, debet Christo attribui, *Conced.* Quidquid habet imperfectionem admixtam, vel illam supponit in subjecto merente, *Neg. Maj. Similiter Dist. Min. & Neg. Conseq.* Licèt enim sit aliqua perfectio, mereri per bona opera

ra ſibi beatitudinem, ſupponit tamen imperfectionem in merente, quòd videlicet fuerit aliquando ſinè illo, quod eſt meritus, adeoque quòd tranſiverit à ſtatu minùs perfecto ad ſtatum magìs perfectum, quod ſapit imperfectionem.

Objicies 7mò. Meliùs eſt habere beatitudinem per merita, quàm ſinè meritis; atqui Chriſtus illam habuit meliori modô; ergo per merita; atqui non habuiſſet illam per merita, ſi illam habuiſſet ſtatim in primo inſtanti ſuæ conceptionis: ergo. *Reſp. Neg. Maj. Ratio eſt:* quia meliùs eſt, habere beatitudinem titulô connaturalitatis; atqui Chriſtus illam habuit titulô connaturalitatis, fundatô in unione hypoſtatica: ergo. 28.

Objicies 8vò. Chriſtus habuit omnes conditiones requiſitas ad meritum, & meruit defactò alijs gratiam & gloriam: ergo à fortiori potuit illam ſibi ipſi mereri. *Reſp. Diſt. Ant.* Habuit omnes conditiones ad merendum alijs, *Conced.* ſibi ipſi, *Neg. Ant. & Conſeq.* Ut Chriſtus ſibi meruiſſet beatitudinem, neceſſe fuit ut nullum habuiſſet jus ad illam *ex vi ſuæ generationis*, & aliquando extitiſſet ſinè illa; atqui Chriſtus ex vi ſuæ generationis propter unionem ad Verbum, habuit jus ad gratiam & gloriam: ergo illam ſibi non meruit. 29.

Objicies 9nò. Licèt Angelis collata fuerit gratia in primo inſtanti creationis, tamen non fuit ipſis debita viſio beatifica: ergo etiam, licèt Chriſto fuerit collata gratia in primo inſtanti conceptionis, tamen illi non debebatur viſio beatifica. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſp. eſt:* Quia Angelis tantùm collata fuit gratia *accidentalis*, idque ùt principium merendi gloriam; principium autem meriti, *connaturaliter* præcedit præmium: ergo. At verò Chriſto collata fuit 30.

gratia

gratia *substantialis*; gratia autem accidentalis collata quidem etiam illi fuit, sed non ùt principium merendi, sed *ùt proprietas*, consequens unionem hypostaticam; adeoque unio hypostatica non debuit tempore præcedere visionem beatificam, sed debuit statim cum illa dari.

31. *Objicies 1omò.* Summum gaudium non potest in eodem subjecto componi cum summa tristitia; atqui anima Christi tempore passionis, habuit summam tristitiam, juxta illud *Matth. 26. Tristis est anima mea usque ad mortem*: ergo non potuit habere visionem beatificam, quæ includit summum gaudium. *Resp.* omissis aliorum hujus argumenti solutionibus, cum *D. Thom. Dist. Maj.* Non possunt componi secundùm easdem vires & potentias, *Conced.* Secundùm diversas vires & potentias, *Neg. Maj.* Gaudium beatificum erat in Superiori parte animæ, nempe, in voluntate, instructa donis gratiæ, & eliciebatur secundùm vires superiores, nec derivabatur ad partes inferiores, videlicet, ad appetitum sensitivum, secundùm quas patiebatur, & tristis erat; & Deus impedivit, nè gaudium illud redundaret in partes inferiores, ut Christus possit pro peccatis nostris satisfacere. *Suarez hìc Disp. 25. sect. 1.* sic distinguit *Maj.* Non possunt componi in eodem subjecto de eodem objecto, *Conced.* De diversis objectis, *Neg.* Dicítque, quòd Christus summè gaudebat de gloria Dei, & sua visione beatifica; tristabatur autem de peccatis, propter quæ patiebatur.

32. *Objicies 11mò.* Ad gaudium semper sequitur dilatatio cordis, ad tristitiam autem sequitur ejusdem constrictio; atqui idem cor non potest simul esse dilatatum, & constrictum: ergo in Christo non potuit simul esse gaudium & tristitia, etiam de diver-

sis objectis. *Resp. Dist. Maj.* Ad gaudium sequitur naturaliter dilatatio cordis, & ad tristitiam ejusdem constrictio, *Conced.* Sequitur essentialiter, ità ut nec de potentia Dei absoluta hi effectus impediri possint, *Neg. Maj.* In proposito Deus miraculosè gaudij effectum impedivit, nè redundaret in corpus; & consequenter gaudiô beatificô non fuit cor Christi dilatatum, licèt tristitiâ fuerit constrictum.

Objicies 12mò. Si Christus à primo instanti suæ conceptionis habuisset scientiam beatam, fuisset simul viator & comprehensor; atqui hoc repugnat: ergo. *Resp. Dist. seqvel. Maj.* Fuisset viator & comprehensor secundùm idem, & eodem respectu, Neg. Diversô respectu, *Conced. sequel. Maj.* Juxta *D. Thom.* Christus erat comprehensor, in quantùm possidebat beatitudinem propriæ animæ, & simul erat viator, in quantùm tendebat ad beatitudinem corporis, quâ tunc adhuc carebat; atqui ista non sunt idem, sed diversa: ergo Christus non erat viator & comprehensor secundùm idem, & eôdem respectu, sed diversô. 33.

Objicies 13tiò. Si Christus habuisset scientiam beatam, posset dici ad quæ objecta hæc scientia se extenderit, & quæ per illam cognoverit; atqui non potest dici: ergo. *Resp. 1mò.* Et dico: quòd anima Christi per visionem Beatam cognoverit à primo instanti creationis & defacto cognoscat clarè & distinctè omnia, quæ sunt *formaliter* in Deo, nempe essentiam, attributa, & personalitates divinas. *Ratio est*: quia hæc omnia, alij omnes beati vident in Deo, &, si hæc non viderent, non essent perfectè beati, ùt communiter docetur *1. p. de beatitudine*: ergo etiam hæc omnia Christi anima vidit, & defactò videt in Deo. *Quod attinet creaturas, Resp. 2dô.* 34.

&

& dico: quòd anima Christi per scientiam beatam non cognoscat in Verbo clarè & distinctè omnes creaturas purè possibiles. Ità *D. Thom. 3. p. q. 10. a. 2. Amicus hic Disp. 19. sect. 2. n. 18. Salmanticenses Tom.* 10. *Disp.* 18. *dub.* 1. §. 1. Et plures alij. *Ratio est*: quia clara Dei visio omnium possibilium creaturarum in Deo, aut in Verbo, est comprehensio divinæ essentiæ; atqui nullus intellectus, sive creatus, sive creabilis, potest comprehendere divinam essentiam, ùt communiter docetur *in 1. p.* cùm nullus intellectus, sive creatus sive creabilis, possit esse *tantæ intellectivitatis*, quantæ *intelligibilitatis* est essentia divina: ergo neque intellectus creatus Christi; adeoque anima Christi non cognovit, nec defactò cognoscit clarè & distinctè omnes possibiles creaturus in Verbo. *Prob. Maj.* Clara Dei visio creaturarum purè possibilium, est comprehensio *omnipotentiæ divinæ*, adeoque omnium terminorum, quos omnipotentia Dei respicit; atqui omnipotentia Dei identificatur essentiæ divinæ: ergo clara Dei visio omnium creaturarum pure possibilium in Verbo, aut in Deo, est comprehensio essentiæ divinæ. *Quod concernit creaturas, & objecta præterita, præsentia, & absolutè futura. Resp.* Ista omnia cognovisse animam Christi in Verbo. *Ità D. Thom. 3. p. q. 10. a. 11.* dicens: *anima Christi omnia novit in Verbo propriè, quæ quôcunque modô sunt, fuerunt, vel erunt. Ratio est*: quia quilibet beatus cognoscit per visionem beatificam omnia, quæ ad illius statum pertinent; atqui ad statum Christi, etiam *ùt hominis*, pertinent omnes res creatæ præteritæ, præsentes, & absolutè futuræ: ergo. *Prob. Min.* Christus est finis saltèm intermedius omnium rerum creatarum. *Item*, subduntur ejus dominio & potestati judiciariæ, influxui-

xuíque ſanctificativo & gubernativo, ùt patet ex *Theſi 1ma. n. 6.* ergo

Replicabis 1mò. Ex eo: *quòd anima Chriſti per ſcientiam beatam videatur cognoſcere in Verbo clarè, & diſtinctè omnes creaturas purè poſſibiles, quin comprehendat potentiam & eſſentiam Dei.* 35. Unde ſic: *1mò.* Beati defactò vident terminum adæquatum potentiæ generativæ, & ſpirativæ Patris, & tamen non ſequitur, quòd potentiam generativam, & ſpirativam Patris comprehendant: ergo etiam, licèt viderent omnes terminos omnipotentiæ, & ipſam omnipotentiam, non ſequeretur, quod omnipotentiam & eſſentiam Dei comprehenderent. *2dò.* Qui *quidditativè* videt omnipotentiam Dei, videt omnes creaturas poſſibiles; atqui anima Chriſti videt *quidditativè* omnipotentiam Dei: ergo etiam videt omnes creaturas poſſibiles. *Prob. Maj.* qui videt *quidditativè* omnipotentiam Dei, debet etiam videre omnia illa, ſinè quibus non eſſet omnipotentia Dei; atqui deficiente aliquâ creaturâ poſſibili, non eſſet omnipotentia Dei, id eſt: Si Deus aliquam creaturam poſſibilem non poſſet producere, non eſſet omnipotens: ergo. *Reſp. Ad 1mum Diſt. Ant.* Vident terminum adæquatum, potentiæ generativæ & ſpirativæ Patris, ſed non totaliter, *Conced.* Vident illum totaliter, *Neg. Ant. & Conſeq.* Licèt enim beati videant terminum adæquatum potentiæ generativæ & ſpirativæ Patris, non tamen vident illum *totaliter*; ad hoc enim requiritur, ut videant omnes rationes ad talem terminum pertinentes, quos tamen non vident; quia de ratione potentiæ generativæ eſt, ut ſit imago expreſſiva Dei, & omnium creaturarum, quam rationem non vident beati *totaliter*; unde non ſequitur, quòd potentiam generativam comprehendant,

ſed

ſed ſolùm; quòd illam *quidditativè* videant. Sicut etiam *quidditativè* vident totum Deum, quamvis eum non videant *totaliter*, & comprehenſivè. *Ad 2dum Neg. Maj. Ad Prob. Diſt. Maj.* Debet videre omnia, ſi formaliter & naturaliter in ea repræſententur, *Conced.* Si ſolùm repræſententur virtualiter & liberè, utì repræſentantur creaturæ poſſibiles in omnipotentia Dei, *Neg. Maj.*

36. *Replicabis 2dò.* Ex eo: *quòd anima Chriſti non videatur cognoſcere in Verbo omnia abſolutè futura.* Jam ſic: 1mò. *Marci 13.* dicitur: *De die autem illo, vel horâ nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisì Pater:* ergo anima Chriſti non cognoſcit abſolutè futura in Verbo. *2dò.* Si anima Chriſti cognoſceret omnia pure poſſibilia in Verbo, comprehenderet ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: ergo etiam, ſi cognoſceret abſolutè futura, comprehenderet ſcientiam viſionis. *3tiò.* Si anima Chriſti cognoſceret omnia abſolutè futura, haberet æquè perfectam ſcientiam ac Deus; atqui hoc non: ergo. *4tò.* Attingeret multitudinem infinitam, & ſic cognitio creata eſſet infinita; atqui nulla cognitio creata poteſt eſſe infinita: ergo. *5tò.* Non cognoſcit per ſcientiam beatam conditionatè futura: ergo neque abſolutè futura. *Reſp. Ad 1mum. Explic. textum ſcriptur.* Nemo ſcit neque Filius, ut manifeſtet alteri, *Conced.* Abſolutè non ſcit Filius, *Neg. textum. Diſt. etiam Conſeq.* Ergo Chriſtus non ſcit futura per ſcientiam propriam, *Conced.* Per ſcientiam communicatam ſibi à Patre, *Neg. Conſeq. Ad 2dum Neg. Conſeq. Diſp. eſt:* Quia ſi anima Chriſti cognoſceret omnia poſſibilia, comprehenderet omnipotentiam divinam, nam cognoſceret illam *quantùm cognoſcibilis eſt*; cognoſceret enim omnes poſſibiles terminos omnipotentiæ Dei; adeo-

adeoque etiam *comprehenderet* ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ terminatur ad purè poſſibilia; at verò anima Chriſti, cognoſcendo omnia abſolutè futura, non cognoſcit omnes terminos, quos ex *intrinſeca ſua capacitate* habere poteſt ſcientia viſionis; quia poterat Deus plura alia objecta creare, quàm defactò creaverit, aut decreverit creare: ergo Chriſtus cognoſcens defactò creata, aut etiam illa, quæ Deus decrevit creare, nondum adæquat ſcientiam viſionis, *ſecundùm ſe*, & *abſolutè* acceptam: ergo. *Ad 3tium Diſt. Maj.* haberet æquè perfectam ſcientiam ac Deus, extenſivè, & materialiter, *Conced.* Quaſi intenſive, & formaliter, *Neg. Maj.* Scientia enim animæ Chriſti, licèt ſit par divinæ quoad numerum ſcibilium, non eſt tamen par quoad claritatem; quia Deus comprehendendo ſe, *infinitè* cognoſcit, & quaſi ſuper comprehendit terminos ſuæ omnipotentiæ. *Præterea:* lumen Chriſti eſt creatum, Dei verò increatum: ergo. *Ad 4tum.* Dico: quòd attingeret multitudinem infinitam *ſincategorematicè*, non autem *categorematicè*. Aut poteſt dici: quod attingeret multitudinem infinitam *terminativè*, non autem *entitativè*. *Ad 5tum. Neg. Conſeq. Diſpar. eſt*: Quia ſi cognoſceret omnia *conditionatè* futura, comprehenderet ſcientiam mediam, quod implicat; at verò cognitis *abſolutè* futuris, non comprehendit ſcientiam viſionis, ùt patet ex immediatè dictis. Cæterùm Chriſtus per ſcientiam beatam, cognoſcit in Deo illa *conditionatè* futura, quorum notitia ad dignitatem ejus pertinet, & quorum futuritio dependet ex ſuppoſitione Incarnationis volitæ: ergo.

X §. II.

§. II.

Solvuntur objectiones contra ſecundam partem Theſis, quæ dicit: quòd Chriſtus habuerit etiam ſcientiam per ſe infuſam.

37. OBjicies 1mò. Ex eo: *quòd hæc ſcientia fuiſſet in Chriſto otioſa.* Unde ſic: Per ſcientiam beatam cognovit Chriſtus omnia, & quidem perfectiùs, quàm cognoſcere illa potuit per ſcientiam infuſam: ergo ſcientia infuſa fuiſſet in Chriſto otioſa. *Reſp. Diſt. Ant.* Per ſcientiam beatam cognovit Chriſtus omnia in Verbo, *Conced.* extra Verbum, *Neg. Ant. & Conſeq.* Sicut enim in Angelis non eſt otioſa, aut ſuperflua cognitio veſpertina creaturarum, licèt eaſdem cognoſcant etiam cognitione matutinâ in Verbo; ità neque in Chriſto fuit otioſa, aut ſuperflua ſcientia infuſa. *Ratio eſt:* quia, licèt eadem objecta cognoſcantur per utramque ſcientiam, non tamen eôdem modô, ſed diversô cognoſcuntur, nempe intrà, & extra Verbum; ac proinde licèt per ſcientiam beatam explicetur potentia animæ quantùm ad numerum ſcitorum, non tamen quantùm ad modum ſciendi.

38. *Objicies 2dò.* Scientia beata fuit in Chriſto à primo inſtanti conceptionis: ergo fuiſſet ſuperflua in ipſo ſcientia infuſa. *Prob. Conſeq.* Superflua eſt cognitio imperfectior, præſente perfectiore; atqui ſcientia infuſa eſt imperfectior reſpectu ſcientiæ beatæ: ergo præſente ſcientiâ beatâ, fuiſſet ſuperflua ſcientia infuſa. *Reſp. Neg. Conſeq. Ad Prob. Diſt. Maj.* Superflua eſt cognitio imperfectior præſente perfectiore, quando tales cognitiones habent idem motivum,

& objectum formale, ac præcisè differunt inter se penes majorem & minorem intensionem, *Trans.* Quando habent diversum motivum, & objectum formale, *Neg. Maj. Similiter Dist. Min. & Neg. Conseq.* Licèt enim cognitio imperfectior sit superflua præsente perfectiore, quando tales cognitiones habent idem motivum, & objectum formale, ac præcisè differunt inter se penes majorem & minorem intensionem; non est tamen superflua tunc, quando utraque cognitio habet diversum motivum, & objectum formale, (*aut etiam diversum modum tendendi in objectum, utì aliqui Theologi volunt,*) proùt in præsenti contingit: ergo.

Objicies 3tiò. Si Christus habuisset scientiam per 39.
se infusam, tunc illam habuisset statim à primo instanti suæ conceptionis; atqui illam non videtur tunc habuisse: ergo. *Prob. Min.* Nihil exegit hanc scientiam pro *primo* instanti conceptionis Christi: ergo. *Resp. Neg. Min. cum sua Prob.* Ratio est: Tum, quia hæc scientia data est Christo ratione unionis hypostaticæ, adeoque unio hypostatica illam exegit; atqui unionem hypostaticam habuit Christus à primo instanti suæ conceptionis: ergo & scientiam infusam. Tum, quia non fuit necessarium Christo, neque nobis utile, ut aliquô tempore hac scientiâ careret: ergo infusa est ipsi in primo instanti conceptionis.

Replicabis. Christus à primo instanti suæ conce- 40.
ptionis, habuit actum visionis beatificæ: ergo in eo instanti non potuit elicere actum scientiæ infusæ. *Prob. Conseq.* Implicat, ut aliqua potentia simul duas operationes eliciat: ergo. *Resp. Neg. Conseq. Ad Prob. Dist. Ant.* Si tales operationes ad se invicem non referantur, nec sibi subordinentur, *Con-*

ced. Si ad ſe invicem referantur, & ſibi ſubordinentur, *Neg. Ant. & Conſeq.* Patet hoc in inſtantia: ſic voluntas ſimul & ſemel intendit finem & eligit media; intellectus ſimul cognoſcit principia, & ex illis infert concluſiones; Scientia autem infuſa animæ Chriſti, cognitioni beatificæ, ad quam conſequitur, quodammodò ſubordinatur: ergo non repugnat nec repugnabat, utriusque actum eſſe in intellectu Chriſti, ſicut de cognitione matutina & veſpertina Angelorum, communiter docent Theologi. Hinc etiam *S. Thom. 3. p. q. 9. a. 3. in* ⊙. ità dicit: *ſicut in Angelis ponitur duplex cognitio, una matutina, per quam res cognoſcunt in Verbo; & altera veſpertina, per quam res cognoſcunt in propria natura per ſpecies ſibi inditas; ità præter ſcientiam divinam & increatam, eſt in Chriſto ſecundùm ejus animam ſcientia beata, quâ cognoſcit Verbum, & res in Verbo, & ſcientia infuſa ſive indita, per quam cognoſcit res in propria natura, per ſpecies intelligibiles humanæ menti proportionatas*: ergo &c.

41. *Objicies 4dò.* Admiſsâ ſcientiâ beatâ in Chriſto, ſufficienter ſatiata, & expleta fuit potentia obedientialis animæ Chriſti, in ordine ad objecta ſupernaturalia cognoſcenda: ergo non eſt in illo ponenda, ſcientia infuſa. *Reſp. Diſt. Ant.* Sufficienter fuit ſatiata, & expleta aliqua potentia obedientialis animæ Chriſti, *Conced.* fuit ſufficienter ſatiata, & expleta omnis potentia obedientialis animæ Chriſti, *Neg. Ant. & Conſeq.* Duplex etenim potentia obedientialis erat in anima Chriſti, in ordine, ad objecta ſupernaturaliter cognoſcenda. *Prima* erat, ad cognoſcenda hæc objecta in Verbo, & hæc potentia obedientiàlis ſatiata, & expleta fuit per ſcientiam beatam. *Altera* erat, ad cognoſcenda eadem objecta extra Verbum, quæ non expletur, nisì per ſcientiam infuſam: ergo.

Obji-

Objicies 5tò. Anima Christi cognoscit omnes res in 42.
proprio genere per scientiam beatam: ergo, etiamsi caruisset scientiâ infusâ, à scientia beata distinctâ, tamen non mansisset in potentia ad hujusmodi cognitionem, ùt *n. 9.* dicebatur. *Resp. Dist. Ant.* Cognoscit omnes res creatas in proprio genere ex parte rei cognitæ, *Trans.* Ex parte medij, cognoscendi, *Neg. Ant. & Conseq.* Intellectus enim animæ Christi, est in potentia ad cognoscendas res creatas in proprio genere, non solùm èx parte rei cognitæ, sed etiam ex parte medij cognoscendi, hoc est, ità, ut, ipsa entitas creata, sit medium cognitionis; atqui, quamvìs per scientiam beatam cognoscantur in proprio genere ex *parte rei cognitæ*, non tamen cognoscuntur in *se ipsis*, ex parte *modi cognoscendi*, cùm illas attingat mediante divinâ essentiâ, ùt objecto priùs cognitô, & mediô cognoscendi creaturas: ergo per scientiam beatam non expletur omnis *potentialitas* intellectûs, animæ Christi, in ordine ad creaturarum cognitionem; & consequenter illâ positâ, & seclusâ cognitione rerum in proprio genere per scientiam infusam habita, intellectus animæ Christi *potentialis & imperfectus* maneret.

Objicies 6tò. Si daretur scientia infusa in Christo, 43.
deberet esse distincta à scientia beata; atqui non est distincta: ergo. *Prob. Min.* Si esset distincta à scientia beata, esset etiam distincta à lumine gloriæ; atqui à lumine gloriæ non est distincta, ùt aliqui Theologi docent; & *Suarez hìc Disp. 29. sect. 4.* in hanc sententiam inclinare videtur: ergo. *Resp. Neg. Min. Ad ejus Prob. cum Comptono hìc Disp. 52. sect. 4. Neg. Min.* Licèt enim nulla implicantia sit, quò minùs scientia infusa, lumini gloriæ possit identificari; communis tamen Theologorum sententia in contra-

rium est, teste eôdem *Comptonô, loc. supr. cit.* Tum, quia lumen gloriæ peculialiter ordinatum esse videtur, ut versetur circa *Deum in se*, sicut fides circa *ejus testimonium*. Tum, quia non videtur esse dubium, quin separari possit scientia illa infusa à statu beatitudinis, & dari viatori: ergo.

44. *Objicies 7timò.* Vel Christus per eandem scientiam infusam cognoscit naturalia, & supernaturalia, vel per duplicem? Sed neutrum dici potest: ergo. *Prob. Min.* Non *primum*: quia unus simplex habitus non videtur posse extendi simul ad objecta naturalia, & supernaturalia cognoscenda. Non etiam *Secundum*: quia scientia infusa est habitus supernaturalis quoad substantiam, talis autem habitus non attingit objecta purè naturalia: ergo. *Resp. cum D.Thom.* & dico: quòd in intellectu creato Christi detur duplex habitus *scientiæ per se infusæ*: Unus pro cognoscendis omnibus Mysterijs gratiæ, & objectis *supernaturalibus*; Alter verò pro cognoscendis objectis *naturalibus*. Sic etiam Angeli habent alias species infusas pro objectis *naturalibus*, alias pro *supernaturalibus*. Porro habitus & species infusæ repræsentantes objecta naturalia, dicuntur etiam esse *supernaturales* hoc sensu, quòd à nulla virtute naturali, sed à solo Deo produci possint, licèt etiam aliô sensu dici possint *naturales*, in quantùm attingunt objecta purè naturalia. Aliqui tamen Theologi cum Platelio docent: quòd in Christo sit unicus simplex habitus *scientiæ per se infusæ*, cognoscitivus tam naturalium, quàm supernaturalium objectorum, unde dicunt: quòd licèt repugnet, ut idem habitus acquisitus possit se extendere simul ad omnia objecta tam *naturalia*, quàm supernaturalia, non tamen repugnet ejusmodi habitus universalis à Deo per se infusus

fusus, sicut nec ejusmodi species per se infusa, quæ se ad objecta tam *naturalia*, quàm *supernaturalia* extendere possit.

Objicies 8vò. Ejusdem objecti sufficit una scientia in genere proprio; atqui Christus habuit scientiam propriam, & connaturalem rerum naturalium: ergo non indigebat infusâ. *Resp. Dist. Maj.* Sufficit, si sit perfecta, *Trans.* Si sit imperfecta, *Neg. Maj.* Similiter *Dist. Min. & Neg. Conseq.* Cùm itaque scientia naturalis in Christo fuerit suô modô imperfecta, debuit habere aliàm scientiam ordinis altioris. 45.

Objicies 9nò. Carentia negativa alicujus perfectionis, non est imperfectio, sed sola carentia privativa, & positiva; atqui carentia scientiæ infusæ supernaturalis, est tantùm carentia negativa perfectionis: ergo non censetur esse imperfectio; adeoque scientia infusa potest negari in Christo, sinè ullo inconvenienti. *Prob. Min.* Ad rationem carentiæ privativæ & positivæ alicujus perfectionis, non sufficit negatio illius, cum capacitate in subjecto, sed insuper necessarium est debitum talis perfectionis; atqui scientia per se infusa supernaturalis, non est debita intellectui Christi creato; nam forma supernaturalis, est supra exigentiam, & debitum omnis naturæ creatæ: ergo illius carentia non est privativa aut positiva, sed negativa; & per consequens non est imperfectio, necessariò in humanitate Christi vitanda. *Resp. Neg. Min.* Ut enim anima Christi esset perfecta, oportebat, ut omnis *potentialitas* ejus, tam *naturalis*, quàm *obedientialis* in actum reduceretur, & quamvìs potentialitas naturalis, aut obedientialis *secundùm se* spectata, non exegisset scientiam infusam, exegit tamen illam ùt conjunctam unioni hypostaticæ, cùm omnis perfectio in determinato consistens, & non re- 46.

 pugnans

pugnans Christi beatitudini, neque fini nostræ redemptionis, debita fuerit Christo; atqui scientia *per se infusa* in determinato consistit, & non repugnat beatitudini Christi, ùt observat *Godoy hic q. 9. tract. 7. Disp.* 32. §. 5. *n.* 91. neque fini nostræ redemptionis: ergo.

47. *Objicies 10mò.* Positâ cognitione creaturarum in Verbo, nulla est imperfectio, carere cognitione creaturarum in se ipsis, ùt medio cognoscendi: ergo potest dici, quòd Christus cognoscat creaturas tantùm in Verbo, & nullô modô in se ipsis. *Prob. Ant.* Deus cognoscit creaturas in se ipso, ùt medio cognitionis, non verò in se ipsis ùt mediô, & ratione formali objectivâ cognoscendi; & tamen carentia hujus cognitionis nullam dicit imperfectionem in Deo: ergo carere cognitione creaturarum in se ipsis, ùt mediô cognoscendi, nulla est imperfectio, suppositâ cognitione illarum in Divina essentia. *Resp. Dist. Ant.* Nulla est imperfectio in Deo, carere cognitione creaturarum in se ipsis, ùt mediô cognitionis, *Conced.* Nulla est imperfectio in intellectu creato, *Neg. Ant. & Conseq.* Cùm itaque intellectus animæ Christi fuerit creatus, ideò redundâsset in illum aliqua imperfectio, si tantùm cognovisset creaturas in Verbo, non autem etiam extra Verbum in se ipsis.

48. *Replicabis.* Nulla est imperfectio in Deo, carere cognitione creaturarum in se ipsis, ùt mediô cognitionis: ergo neque in intellectu creato. *Resp. Neg. Conseq. Disp. est:* Quia Deo repugnat, creaturas in se ipsis cognoscere, ùt ratione formali objectiva, & ùt mediô cognoscendi illarum; quia repugnat cognitioni divinæ, specificari ab aliqua formalitate creata, & per speciem creatam creaturas cognoscere; ùt observat *Godoy loc. supr. citatô*; atqui hoc utrumque

que sequeretur, si Deus creaturas *in se ipsis* immediatè cognosceret: ergo repugnat Deo, cognitio creaturarum *in se ipsis*, ùt ratione objectivâ, & mediô easdem cognoscendi. At verò intellectus Christi, ùtpote creatus, est capax cognoscendi creaturas, cognitione ad illas *in se ipsis* immediatè terminatâ: ergo carentia hujusmodi cognitionis, est imperfectio. Patet hoc in discursu, cujus carentia non est imperfectio in Deo, cum eidem discurrere repugnet; in Christo autem *ùt homine*, cui convenit per discursum intelligere, imperfectio foret, cognitione discursivâ carere: ergo &c.

Objicies 11mò. Conjunctio animæ cum corpore, repugnat modo cognoscendi, qui proprius est scientiæ infusæ: ergo Christus non potuit illam habere pro statu viæ. *Prob. Ant.* Anima unita corpori dependet in operando à phantasmatibus; atqui scientia per se infusa operatur independenter à phantasmatibus: ergo. *Resp. 1mò indirectè.* Ergo nec Adamus post sui creationem potuisset habere scientiam infusam, si hæc dicta essent vera, quod est contra communem Theologorum sententiam: ergo. *Resp. 2dò. Neg. Ant. Ad Prob. Dist. Maj.* Anima unita corpori dependet in operando à phantasmatibus cognoscendo objecta, quorum nullas habet infusas species, *Conced.* Dependet à phantasmatibus, cognoscendo illa objecta, quorum infusas habet species. *Neg. Maj.* Hæc autem scientia infusa Christi, cùm non fuerit sensuum ministeriô acquisita, non habet per se connexionem, & dependentiam ad operationes sensuum, sicut habet scientia nostra. *Præterea*: Scientia Christi similis est scientiæ Angelorum; atqui scientia Angelorum est independens à phantasmatibus: ergo & scientia infusa Christi. 49.

Objic.

50. *Objicies 12mò.* Si fuisset in Christo scientia infusa, cognovisset per illam res naturales; atqui per illam non videtur cognovisse res naturales: ergo. *Prob. Min.* Res naturales sunt objectum scientiæ naturalis: ergo per illam non videtur cognovisse res naturales. *Resp.* Neg. *Min. Ad Prob. Dist. Ant.* Res naturales sunt objectum scientiæ, naturalis etiam, *Conced.* Tantùm, *Neg. Ant. & Conseq.* Quòd autem res naturales sint etiam objectum scientiæ infusæ, *ratio est:* quia lumen, seu scientia superioris ordinis, potest habere universale objectum, quô non solùm res superiores, sed etiam inferiores complectitur; nam virtus quantò superior, tantò est universalior; & quia inferiora non excedunt superiorum virtutem, possunt nobiliori modò attingi; instantia est in intellectu, qui aliorum sensuum objecta potest attingere.

51. *Objicies 13tiò.* Si daretur scientia infusa in Christo, potuisset per illam cognoscere omnia supernaturalia; atqui non potuit: ergo. *Prob. Min.* Gratia habitualis, quæ est participatio naturæ divinæ: *Item,* visio beatifica, & unio hypostatica, non possunt quidditativè cognosci per scientiam infusam, quia deberet per eandem scientiam quidditativè cognosci ipse Deus: ergo non omnes res supernaturales potuit Christus per scientiam infusam cognoscere. *Resp.* Neg. *Min. Ad Prob.* Neg. *Ant.* Et ejus causalem. *Ratio est:* quia ad cognitionem quidditativam, sicut & ad intuitivam, non requiritur, ut videatur objectum quoad *omnes terminationes,* seu quoad *omnes terminos,* quos tale objectum respicit: ergo licèt gratia, visio beatifica, & unio hypostatica respiciant Deum, possunt tamen *quidditativè & intuitivè* videri, quin videatur Deus *intuitivè.* Sic Angelus se ipsum, aut aliquod aliud ens creatum, videt *intuitivè,* & tamen non videt

det *intuitivè* Dèum, à quo ipſe, & omnis creatura dependet. Beati vident *intuitivè* eſſentiam Dei, & tamen non vident omnes terminos omnipotentiæ, vel omnis ſcientiæ divinæ: ergo &c.

Objicies 14tò. Si intellectus animæ Chriſti habuiſſet ſcientiam infuſam, cognoviſſet per illam ſecreta cordium; atqui non videtur cognoviſſe: ergo. *Prob. Min.* Cognoſcere ſecreta cordium eſt ſoli Deo proprium, juxta illud 2. *Paralip.* 6. *Tu ſolus nôſti corda hominum*: ergo. *Reſp. Diſt. Maj.* Cognoviſſet per illam ſecreta cordium, ea, quæ ipſi à Deo revelata erant, *Conced.* Etiam illa, quæ ipſi non erant revelata, *Neg. Maj. Ad Prob. Diſt. Ant.* Cognoſcere ſecreta cordium proprijs viribus, eſt ſoli Deo proprium, *Conced.* Cognoſere illa per revelationem, *Neg. Ant. & Conſeq.* 52.

§. III.

Solvuntur objectiones contra tertiam partem Theſis, quæ dicit: quòd intellectus creatus Chriſti, habuerit etiam ſcientiam acquiſitam.

OBjicies 1mò. Ex eo: *quòd Chriſtus nullam ſcientiam propriô exercitiô videatur acquiſiviſſe.* Unde ſic: Chriſtus ſtatim à primo inſtanti conceptionis fuit plenus gratiæ & veritatis. *Joann.* 1. Ergo ſicut omnem gratiam habuit totam ſimul, ità & omnem ſcientiam; per conſequens nullam propriô exercitiô acquiſivit. *Reſp. Diſt. Conſeq.* Ergo ſicut habuit totam gratiam, ità etiam ſcientiam infuſam, *Conced.* Acquiſibilem, *Neg. Conſeq.* Chriſtus itaque ſicut erat plenus gratiæ infuſæ ab initio ſuæ conceptionis, ità etiam veritatis infuſæ, non autem ac- 53.

acquiſibilis, cùm ad *Hebr.* 5. dicatur de Chriſto: *Didicit ex ijs, quæ paſſus eſt obedientiam.*

54. *Objicies 2dò.* Adamo ſtatim primô inſtanti creationis, fuerunt per accidens infuſæ ſcientiæ naturales acquiſibiles, quia fuit Doctor humani generis; atqui etiam Chriſtus fuit Doctor humani generis, juxta illud: *Iſaiæ 30. Et non faciet avolare à te ultrà Doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum:* ergo etiam ipſi per accidens erant infuſæ ſcientiæ naturales acquiſibiles. *Reſp. 1mò. Diſt. Maj.* Adamo ſtatim primô inſtanti creationis, fuerunt infuſæ ſcientiæ naturales, ità tamen, ut etiam ſucceſſu temporis ſibi varias ſcientias per experientiam, & converſionem ad phantasmata acquiſiverit, *Conced.* Ità, ut abſolutè nullas ſucceſſu temporis ſibi acquiſiverit ſcientias, *Neg. Maj. Reſp. 2dò. Neg. Conſeq. Diſp. eſt: 1mò.* Quia Adamus fuit creatus in perfecta ætate virili, adeoque conveniens fuit, ut omnes veritates naturales haberet per infuſionem, quas vir perfectus habere poteſt per exercitium; at verò Chriſtus fuit poſitus in ſtatu innocentiæ, cui connaturale eſt, creſcere in ætate & ſapientia, propriô exercitiô acquiſibili. *Diſp. eſt: 2dò.* Quia Adamus fuit Doctor generis humani, non tantùm in *ſupernaturalibus gratiæ myſterijs*, ſed etiam in *naturalibus*; at verò Chriſtus non venit ſcientias naturales profiteri, ſed myſteria gratiæ, & doctrinæ Evangelicæ docere. *Salmanticenſes Tom. 10. Tract. 21. Diſp. 22. dub. 1. §. 2. n. 11.*

55. *Objicies 3tiò.* Salomoni fuit per accidens infuſa ſcientia acquiſibilis: ergo etiam Chriſto. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſp. eſt:* Quia Salomon caruit ſcientiâ beatâ, & per ſe infuſâ; Imò adhuc juvenis populum regere debuit: ergo congruebat, ut illi ſcientia acquiſibilis per accidens infunderetur; at verò Chriſtus habuit

ſcien-

ſcientiam beatam, & per ſe infuſam; inſuper in infantili ætate nullum ipſi regimen populi incumbebat: ergo mirum non eſt, quòd ipſi ſcientia acquiſibilis, per accidens infuſa non fuerit.

Objicies 4tò. Chriſto per accidens fuerunt infuſæ virtutes morales, quæ aliàs ſunt propriô exercitiô acquiſibiles: ergo idem dicendum eſt de ſcientijs. 56.
Reſp. Neg. Conſeq. Diſp. eſt: Quia virtutes morales reddunt hominem ſimpliciter bonum; ac proinde, ſi Chriſtus in primo inſtanti conceptionis non habuiſſet omnes virtutes morales, non fuiſſet ſimpliciter bonus; at verò virtutes intellectuales non reddunt hominem ſimpliciter bonum: ergo. *Præterea*: Si habuiſſet naturales ſcientias per accidens infuſas, caruiſſet *modô connaturali*, objecta naturalia cognoſcendi, videlicet, *abſtractivè*; atqui hoc non debet admitti: ergo.

Objicies 5tò. Dedecet Chriſtum, etiam pro breviſſimo tempore ignorantia; atqui pro aliquo tempore habuiſſet ignorantiam, ſi non habuiſſet ſcientiam naturalem per accidens infuſam: ergo. *Reſp. Diſt. Maj.* Dedecet Chriſtum ignorantia privativa, & carentia ſcientiæ debitæ, *Conced.* ignorantia negativa, & carentia ſcientiæ indebitæ, *Neg. Maj.* Scientia autem acquiſita non debebatur Chriſto pro ætate infantili, ſicut illi non debebatur *cognitio* experimentalis, & *loquela*; adeóque ſicut carentia *loquelæ*, & *ſcientiæ experimentalis* non dedecebat Chriſtum in illa ætate, ità nec carentia ſcientiæ, per ſpecies abſtractivas acquiſibilis, quæ ſcientiam experimentalem ſupponit. 57.

Objicies 6tò. Munus intellectûs agentis, non tantùm eſt abſtrahere ſpecies à phantaſmatibus, ſed etiam illuſtrare prima principia, ut illis uti poſſit intelle- 58.

ctus

ctus passibilis : ergo licèt fuisset intellectus agens otiosus quoad primum officium, non tamen quoad secundum. *Resp. Dist. Ant.* Est etiam munus intellectus agentis, illustrare prima principia, ità tamen, ut priùs illuminet phantasmata, *Conced.* Ità, ut non illuminet phantasmata, *Neg. Ant.* Intellectus enim agens non aliter illustrat prima principia, nisì mediante illuminatione phantasmatum, abstrahendo species ab objectis singularibus, ità, ut per inductionem, & exemplificationem singularium, eluciden-tur universalia principia. V. G. hoc principium: *totum est majus sua parte*, non aliter illustratur per intellectum agentem, nisì in quantùm exprimentaliter cognoscit, *totum hominem*, *esse majorem suâ manu, & sciurum totum, majorem suâ caudâ*; proinde non potest intellectus agens illustrare prima principia, nisì priùs illuminet phantasmata.

59. *Objicies 7mò.* In beatis manet intellectus agens otiosus : ergo etiam in Christo poterat manere. *Resp. Dist. Ant.* In beatis manet intellectus agens defactò otiosus, *Conced.* Manet, & manebit, *Neg. Ant. & Conseq.* In statu enim reunitionis, id est, quando post universalem anastasim, & resurrectionem unietur iterum anima corpori, non manebit otiosus, sicut nec fuit otiosus, ante separationem animæ à corpore: ergo.

60. *Objicies 8vò.* Non decuit Christum acquirere aliquam scientiam per viam disciplinæ, seu addiscendo aliquid ab homine, vel Angelo docente: ergo neque abstrahendo species à phantasmatibus; sic enim didicisset aliquid à rebus sensibilibus, & ipsis fuisset subordinatus, sicut discipulus Magistro. *Resp. Neg. Conseq.* Quia nobiliùs est acquirere scientiam per abstractionem immediatam à creaturis sensibilibus, quàm

quàm per disciplinam docentis hominis, aut Angeli. *Rationem dat S. Thom. 3. p. q. 12. a. 3. ad 2.* Quia ille, qui aliquid addiscit ab homine, non accipit *immediatè* scientiam à speciebus intelligibilibus, quæ sunt in mente docentis, sed mediantibus vocibus sensibilibus, *tanquam signis* intelligibilium conceptuum; sicut autem voces ab homine factæ, sunt signa scientiæ, quæ est in docente; ità creaturæ sensibiles à Deo conditæ, sunt signa sapientiæ divinæ. Sicut ergo digniùs est doceri à Deo, quàm ab homine, ità digniùs est accipere scientiam per sensibiles creaturas, quàm per hominis doctrinam.

Objicies 9nò. Si scientia naturalis Christi non fuisset per accidens infusa, sed proprijs actibus, seu ministeriò sensuum & per abstractionem intellectûs agentis, à phantasmatibus acquisita, fuisset imperfectior, & inferior scientiâ Adami; atqui hoc non potest dici: ergo. *Prob. sequel. Maj.* Plura sunt objecta naturalia, quæ à sensibus hominum sunt remotissima, ùt omnes species piscium, qui sunt in profundissimo mari, omnia quæ generantur intrà viscera terræ; atqui hæc non poterant cognosci per species proprias: ergo, si scientia naturalis Christi, non fuisset ei per accidens infusa, sed per species ministeriò sensuum acceptas comparata, fuisset valde imperfecta, & inferior scientiâ Adami, nec se extendisset ad omnia individua, & objecta naturalia, quæ in rerum natura existunt. *Resp. Neg. sequel. Maj. Ad Prob.* Dico: quòd, quamvìs Christus non habuerit species omnium objectorum naturalium, ejus tamen scientia acquisita, non fuit imperfecta, & inferior scientiâ Adami; quia per species acquisitas, immediatè ab aliquibus sensibilibus objectis, *efficaciter* potuit formare & colligere alias, propter excellen- 61.

lentiſſimam vim ingenij, in quo excedit omnes homines, & ipſum etiam Adamum. Unde *S. Thom. hìc q. 12. a. 1. ad 2.* ità dicit: *Quòd, licèt ſenſibus corporalibus Chriſti, non fuerint ſubjecta omnia ſenſibilia, fuerunt tamen ſubjecta ſenſibus ejus, aliqua ſenſibilia, ex quibus propter excellentiſſimam vim rationis ejus, potuit in aliorum notitiam devenire.*

62. *Objicies 1omò.* Licèt gratia habitualis ſit comparabilis proprijs actibus, tamen Chriſto erat infuſa in primo inſtanti conceptionis: ergo etiam, licèt ſcientia naturalis ſit acquiſibilis actibus proprijs, tamen videtur fuiſſe infuſa Chriſto. *Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſeq. Diſp. eſt:* Quia gratia, & virtutes infuſæ ad actus meritorios prorequiruntur, ùt principia *per ſe* neceſſaria ad ſubſtantiam ipſam actûs ſupernaturalis, ſinè quibus humanæ Chriſti facultates, & potentiæ, non eſſent *totaliter* ab intrinſeco potentes, ad hujusmodi actus; at verò ſcientia acquiſita, non prærequiritur, ùt principium *per ſe* neceſſarium ad actum talis ſcientiæ eliciendum; nam, licèt ad exercendum actum ſcientiæ acquiſitæ prærequiratur ſpecies intelligibilis objecti ſenſibilis, ad eam tamen acquirendam erat in Chriſto *intrinſeca*, & *completa* facultas, nempe, intellectus agens ad eam eruendam ex phantasmate, phantaſia ad expreſſum phantasma formandum, ſenſus externi ad ſpecies ſenſibiles ab objectis ſenſibilibus hauriendas, eásque in internos ſenſus transmittendas: ergo. *Ità Amicus hìc Diſp. 21. n. 27.*

63. *Replicabis.* Eſtò, ſcientia acquiſita non prærequiratur ad ſubſtantiam, prærequiritur tamen ad facilitatem actus: ergo ſaltèm propter hanc facilitatem debuit in primo inſtanti conceptionis Chriſto infundi. *Reſp. Neg. Conſeq.* Nam operari cum difficultate, proveniens-

veniente ex modo operandi humano, nullam denotat imperfectionem privativam; at verò operari absque principio completo, denotat imperfectionem privativam: ergo. Unde videmus cœteras functiones humanas Christum operatum fuiſſe, cum omnibus ijs difficultatibus, quas tales functiones ſecum *naturaliter* afferunt; ùt *ambulare* cum fatigatione corporis, *comedere* cum eſurie, *cogitare* triſtia, cum interna animi moleſtia, & dolore: ergo etiam hos actus ſcientificos exercere voluit cum ea *difficultate*, quam ſecum *naturaliter* affert hæc humana ſcientia, ad majus *meritum*, & *experimentum* naturæ humanæ.

Objicies 11mò. S. Damaſcenus *lib. 3. cap. 12.* & alij 64.
SS. Patres apud *Suarez*, negant Chriſtum in ſapientia profeciſſe: ergo in primo inſtanti conceptionis omnes ſcientias à Deo accepit. *Reſp. Explic. S. Damaſcenum, & alios SS. Patres:* & illi locuti ſunt de ſapientia infuſa, *Conced.* Locuti ſunt de ſapientia acquiſibili, *Neg.* SS. Patres hoc ſenſu intelligendos eſſe. Si etenim omnes ſcientiæ ipſi à Deo infuſæ fuiſſent, tunc etiam ipſi infuſa fuiſſet ſcientia experimentalis; atqui hæc ipſi infuſa non fuit, ùt fatentur Adverſarij: ergo neque ſcientia acquiſibilis.



Thesis X.

Voluntas humana in Christo, fuit (1mò.) absolutè impeccabilis, ratione unionis hypostaticæ. Ità S. Thom. *3. p. q. 15. a. 1.* Et *q. 18. a. 4. ad 3.* Vasquez *Disp. 61. cap. 3. & sequent.* Suarez *hìc Disp. 33. sect. 2.* Amicus *Disp. 24. sect. 1.* Card. de Lugo *Disp. 26. sect. 1.* Leonardus Penafiel *hìc Disp. 14. sect. 4. n. 32.* Godoy *hìc q. 15. tract. 11. Disp. 41. §. 2.* cum alijs 24. Author. Salmanticenses *Tomo. 10. Tract. 21. Disp. 25. dub. 3. §. 1.* *Cum qua impeccabilitate (2dò.) consistere potuit verum, non tamen strictum præceptum de subeunda morte.* Ità Lorca *Disp. 65. de Incarnat.* cum Medina & Victoria. Joannes Velazquez *in cap. 2. S. Pauli ad Philipp. v. 8. annotatione 5.* Ribera *in cap. 10. Joan. ad illud : hoc mandatum accepi à Patre meo.* Esparza *de Incarnat. q. 32. & 35. & 36.* Albertus Magnus *cap. 3. de virtut.* Paludanus *in 3. Dist. 12. q. 2. a. 3.* Dionysius Cisterciensis *in 3. q. 3. a. 2. con. 6.* Et alij quos refert & sequitur Haunoldus *lib. 4. tract. 1. cap. 6. controvers. 1. §. 4.* Et videre est apud Leonardum Penafiel *hìc Disp. 14. sect. 5. subsect. 2. n. 117.*

1. PRobatur 1ma pars Thesis. 1mò. Ex eo : *quòd voluntas humana in Christo fuerit absolutè impeccabilis ratione unionis hypostaticæ.* Unde sic : In VI. Synodo Generali Constantinopol. *Actione 2.* Athanasius Apollinaristis, negantibus Christo animam & humanam voluntatem, nè in eo cogerentur admittere

tere peccabilitatem, adducitur respondisse: *Nihil est metuendum, quia per ipsam assumptionem voluntas impeccabilis facta est.* Hinc Christum habuisse voluntatem impeccabilem propter assumptionem à Verbo, definitum est in hac Synodo Generali, teste Amicô *hic Disp.* 24. *sect.* 1. *n.* 4. Atqui impeccabilitas negat potentiam proximam ad peccandum, ùt patet; alioquin, si solum peccatum Concilium negare voluisset, non dixisset: *habuit humanam voluntatem impeccabilem.* Sed potiùs: *non habuit peccatum*: ergo.

Dices. Synodus citata, humanæ Christi voluntati 2.
tribuit impeccabilitatem non ratione unionis hypostaticæ, sed ratione beatitudinis, quâ fruebatur: ergo. *Resp. Neg. Ant.* Patet ex verbis Athanasij. *Præterea*: Postquam Concilium asseruerat, animam Christi nullum in se naturalem motum excitare, nisì ad nutum Verbi, sibi *subsistentialiter* uniti, sic testimoniô *Nysseni* concludit: *Quemadmodùm nostrum corpus regitur, & ornatur, atque ordinatur ab intellectuali, & rationali anima nostra, ità & in Domino Christo tota humana ejus conspersio* (scilicet natura,) *ab ejusdem Verbi divinitate semper, & in omnibus mota, Deo mobilis erat*: ergo &c.

Probatur 2dò. Auth. S. August. Qui *in Enchirid. cap.* 3.
40. de Christo ità inquit: *In ipso exordio naturæ suæ, quô esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis, qui filius Dei, ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodò ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum possit admittere.* Ubi ad unionem, non ad beatitudinem refert humanæ Christi naturæ impeccabilitatem. *Confirmatur* Author. *S. Hilarij*, qui *Lib.* 10. *de Trinit.* sub medium inquit: *Homo Christus est, & in veritate nativitatis*

est, dum homo est, & non est in proprietate peccati, dum Christus est, quia, & qui homo est, non potuit non esse, quod natum est; & qui Christus est, non potuit amisisse, quod Christus est. Quibus verbis significatur æquè peccatum Christo repugnare, ac repugnet Christum non esse Christum. *Similia habet D. Thom. in 3. Dist. q. 2. a.* 1. Ubi ait: *Christum peccare non potuisse: quia anima & corpus ejus fuerunt quasi organum Deitatis, & Deitas regebat animam, & anima corpus: ergo.*

4. *Probatur 3tiò* ratione. Humanitas Christi per unionem ad Verbum, sanctificatur infinitè simpliciter; atqui summa & infinita sanctitas non tantùm peccatum actuale, sed etiam potentiam proximam ad peccandum excludit: ergo in humanitate Christi, ùt unita Verbo Divino, non remanet potentia proxima ad peccandum. *Prob. Min.* Sanctitas infinita ex suo conceptu, dicit essentialiter oppositionem cum peccato, distantiámque, & elongationem ab illo, ac proinde summa & infinita sanctitas, dicit summam distantiam & elongationem à peccato, summámque cum illo oppositionem importat; atqui oppositio non solùm cum peccato actuali, sed etiam cum potentia peccandi; & elongatio non solùm à peccato, sed etiam à potentia expedita peccandi major est, quàm sola oppositio cum actu peccati, & sola elongatio ab illo: ergo summa sanctitas, non solùm opponitur actuali peccato, sed etiam potentiæ expeditæ peccandi.

5. *Probatur 4tò.* Quando duæ naturæ uniuntur in unitate personæ, aut duæ potentiæ in una natura, tunc inferior subordinatur superiori, & omnes defectus commissi ab inferiore, adscribuntur superiori; ùt patet *in appetitu sensitivo*, qui subordinatur voluntati; atqui natura humana & Divina, uniuntur in unitate personæ in Christo: ergo natura humana in Christo

ſto ſubordinatur Divinæ, omnésque defectus à natura humana commiſſi, tanquam inferiore, adſcriberentur Divinæ, tanquam ſuperiori; per conſequens, ſi natura humana Chriſti poſſet proximè peccare, poſſet etiam Deus peccare; Deus autem peccare non poteſt, ùtpote *ſummè* & *infinitè* Sanctus: ergo nec natura humana Chriſti.

Probatur 5tò. Sanctitas ſubſtantialis, magìs opponitur peccato & potentiæ peccandi, quàm opponatur *gratia accidentalis* & habitualis; atqui gratia, & *ſanctitas accidentalis* ità opponitur peccato, & potentiæ peccandi, ut ſaltèm *de potentia ordinaria* non poſſit ſtare cum peccato: ergo ſanctitas ſubſtantialis, ità opponitur peccato, & potentiæ peccandi, ut nec *de potentia abſoluta* poſſit ſtare cum illo. 6.

Probatur 6tò. Ut humanitas Chriſti poſſet peccare peccatô deſtruente unionem hypoſtaticam, deberet in tali humanitate, ùt Verbo divino hypoſtaticè unita, remanere *potentia proxima* & *expedita* ad peccandum; atqui talis potentia non remanet in humanitate Chriſti, ùt unita Verbo divino, ſed per unionem hypoſtaticam ab ea excluditur: ergo humanitas Chriſti non poteſt peccare peccato deſtruente unionem hypoſtaticam. *Maj.* patet in homine juſto, qui idcircò poteſt peccare peccatô deſtruente gratiam juſtificantem, quia ſub tali gratia retinet *potentiam proximam*, & *expeditam* ad peccandum. *Prob. Min. In qua eſt difficultas.* Humanitas Chriſti ex vi unionis hypoſtaticæ, reddita fuit *impeccabilis*, ùt patet ex *immediatè* dictis; atqui non poſſet dici talis, ſi in ea remaneret potentia proxima, & expedita ad peccandum, quâ poſſet peccare peccatô deſtruente *unionem hypoſtaticam*; ùt patet eôdem exemplô hominis juſti, qui, licèt non poſſit componere gratiam cum pecca- 7.

to, tamen, quia in eo remanet *potentia proxima*, & *expedita* ad peccandum, peccatô gratiam destruente, non est, nec dici potest impeccabilis.

Confirmatur. Ideò in homine justo manet *potentia expedita* ad peccandum, peccatô gratiam destruente, quia, cùm gratia ipsum sanctificans, non constituat *suppositum*, sed ei superaddatur, sicut alij habitus, quibus utimur, quando volumus, ejus libertati subjicitur, subindéque sicut bonis operibus augeri potest, ità & malis ac peccaminosis destrui; atqui *gratia unionis*, quâ humanitas Christi sanctificatur, oppositô modô se habet; cùm enim non superaddatur ad suppositum Christi, sed ipsum constituat, ejus libertati non subditur; unde, sicut non potest cadere sub meritum *bonorum operum*, ità nec per *mala opera* destrui: ergo in humanitate Christi, ùt unita Verbo Divino, non remanet *potentia expedita* ad peccandum, peccatô destruente unionem hypostaticam; per consequens voluntas humana in Christo fuit *absolutè impeccabilis*, ratione unionis hypostaticæ.

8. *Probatur 7mò.* Omnes actiones sunt suppositorum: ergo omnes actiones humanitatis Christi sunt actiones Verbi, *ùt observant multi Theologi*: ergo actio peccaminosa humanitatis *Christi* esset peccatum *Verbi*; atqui hoc repugnat: ergo. *2dò.* Humanitas Christi sanctificatur *sanctitate Verbi* summa in genere sanctitatis participatæ; atqui summa sanctitas excludit *absolutè* omne peccatum, eô ipsô enim non esset summa: ergo implicat in *sensu compositò* Verbi Divini, humanitatem peccare. *3tiò.* Ideò Deus non potest peccare, quia est *summè* & *infinitè* sanctus; atqui etiam humana natura Christi est *summè* & *infinitè* sancta, propter unionem ad Verbum, ùt patet ex dictis: ergo etiam non potest peccare. *4tò.* Effectus infinitæ

&

& summæ sanctitatis est, non solùm *peccatum* à subjecto tollere, sed etiam *proximam peccandi potentiam*; atqui personalitas Verbi est summa, & infinita sanctitas humanitatis Christi: ergo non solùm *peccatum* ab illa tollit, sed etiam *proximam peccandi potentiam*. *5tò*. Summa sanctitas est illa, quâ Major excogitari non potest; atqui illa est major, quæ non solùm in *sensu composito unionis* expellit peccatum, sed etiam, quæ nec per peccatum denuò expelli, & superari potest; sicut calor ille est perfectior, qui non solùm expellit frigus, sed etiam, qui ità possidet subjectum, ut expelli denuo, & superari à frigore non possit: ergo hæc humanitati Christi attribuenda est.

Probatur 2da pars Thesis 1mò. Ex eo: *quòd cum impeccabilitate Christi consistere potuerit verum, non tamen strictum præceptum de subeunda morte*. Jam sic: Christus est liberè mortuus, & oblatus; atqui si habuisset rigorosum præceptum obligans in conscientia, non fuisset liberè mortuus: ergo. *Maj. Patet*: nam *Isaiæ* 53. dicitur: *Oblatus enim est, quia ipse voluit*. In quem locum ità *S. Hieronymus* scribit: *Non necessitate, sed liberâ voluntate crucem subijt*. Et *Joannis* 10. ità dicit Christus: *Ego pono animam meam, & iterum sumo eam; nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo, iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi à Patre meo*. Præterea: Christus ipsâ voluntate moriendi formaliter est meritus, meritum autem essentialiter est liberum: ergo. *Probatur Min*. Si fuisset liberè mortuus, stante præceptô obligante sub culpa potuisset peccare, quia potuisset omittere mortem præceptam; atqui peccare non potuit, ùt patet ex paulò ante dictis: ergo. 9.

Probatur 2dò. Præceptum hîc ad nostrum proposi- 10.

tum conducens, est duplex: Unum rigorosum alterum non rigorosum. *Rigorosum*: est actus superioris, quô inferiorem subditum obligat *in conscientia sub culpa & reatu* pœnæ æternæ ad aliquid agendum & quô stante redditur *inhonesta* subditi omissio; per consequens, quô necessitatur, vel ad implendam superioris voluntatem, vel ad incurrendam ejus indignationem, & pœnam quæ tali transgressioni præcepti, est alligata; adeoque hoc præceptum obligat sub culpa Theologica. *Non rigorosum*: est quodquidem obligat sub *debito majoris honestatis*, aut *sub onere carendi aliquô præmiô gratuitô*, quod superior statuit dare exequenti suum mandatum, aut *omissione alicujus boni debiti*, non tamen in conscientia, & sub culpa Theologica. Atqui primum præceptum de subeunda morte, non poterat imponi Christo, à Deo Patre: ergo ipsi impositum erat secundum. *Prob. Min.* Primum præceptum, & obligans in conscientia, includit voluntatem divinam negandi beatitudinem, vel in æternum, vel ad tempus, si non impleatur; atqui Deus Pater non potuit habere voluntatem negandi Christo beatitudinem in æternum, vel ad tempus; cùm ipsi hanc beatitudinem contulerit *statim in primo instanti conceptionis*, ùt patet ex Thesi præcedenti: ergo nec potuit ipsi imponere præceptum obligans *in conscientia*, & *sub culpa*; adeoque cum impeccabilitate Christi non potuit consistere *strictum præceptum*, de subeunda morte.

11. *Probatur 3tiò.* Respectu personæ impeccabilis, repugnat præceptum obligans *in conscientia*, seu comminatorium *culpæ* & *pœnæ*; atqui Christus erat impeccabilis: ergo. *Prob. Maj.* Cui subjecto repugnat *malum*, illi repugnat etiam *timor* illius mali; cui autem repugnat *timor mali*, illi etiam repugnat *comminatio*

talis

talis mali, cùm effectus comminationis ſit timor: ergo cui repugnat *timor mali*, illi repugnat *præceptum* includens ejusmodi comminationem *culpæ* & *pœnæ*, quale eſt præceptum obligans in conſcientia; atqui *perſonæ impeccabili* repugnat *timor mali*: ergo & præceptum *ſtrictum* ſeu obligans in conſcientia.

Probatur 4tò. Præceptum comminatorium ſub cul- 12.
pa gravi, dicit: *Si hoc feceris, eris meus inimicus, & reus pœnæ*; atqui iſte actus non poteſt exerceri erga perſonam impeccabilem: ergo. *Prob. Min.* Dicere: *Si hoc feceris*, idem eſt, ac dicere: *Si potentiam proximam faciendi, quam habes, exercueris*: ergo tale præceptum ſupponit potentiam proximam peccandi; atqui perſona impeccabilis caret hâc potentiâ proximâ: ergo ille actus non poteſt exerceri erga perſonam impeccabilem. *Confirmatur 1mò*. Non poteſt prudenter ſuperior minari aliquod malum, ſi tam ipſe, quàm ſubditus ſciant, ſubditum eſſe incapacem illius mali, quis enim talem comminationem non rideret v. g. Si quis alicui civi minaretur, ſe velle illum privare Regnô Turcicô? *Item*, non poteſt ſuperior comminari pœnam, quando ſcit ſe non habere potentiam, eam infligendi; atqui Chriſtus ſcivit ſe eſſe impeccabilem, & ſe non poſſe fieri Dei inimicum: & Deus etiam ſciebat Chriſtum eſſe impeccabilem, & incapacem inimicitiæ: ergo non poterat ipſi prudenter minari aliquod malum, imponendo præceptum *ſtrictum*, & *rigoroſum* de ſubeunda morte. *Confirmatur 2dò*. Deus non poteſt alicui aliquid promittere ſub conditione impoſſibili, eſſet enim actus Deô indignus, & nugatorius: ergo neque poteſt ſub conditione impoſſibili aliquid minari: ergo non poteſt minari inimicitiam ſub conditione culpæ impoſſibilis. *Prob. 1ma Conſeq.* Nam commina-

tio

tio est etiam promissio, & solùm ideò non vocatur promissio, quia *promissionis vocabulum* est ex consuetudine appropriatum bono, & non malo: ergo &c.

13. *Probatur 5tò.* Si Christus habuisset præceptum comminatorium pœnæ & inimicitiæ, & tamen fuisset incapax culpæ, tunc per necessitatem antecedentem fuissetChristo necessarium, redimere genus humanum, & impossibile non redimere; atqui hoc est contra *S. Thom.* qui *hic q. 46. a. 2. in* ⊙. negat impossibilitatem aliam omnem, præterquam consequentem, hoc est: provenientem ex præscientia & præordinatione Dei; sic etenim ibi habet: *Quia enim impossibile est scientiam Dei falli, & ejus voluntatem, seu dispositionem cassari, suppositâ præscientiâ & præordinatione Dei de passione Christi, non erat simul possibile Christum non pati, vel hominem, aliô modô, quàm per ejus passionem liberari, & est eadem ratio de omnibus his, quæ sunt præscita & præordinata à Deo.* Quibus verbis clarissimè *S. Thom.* docet, non aliam fuisse necessitatem in Christo patiendi, quàm quæ est, vel esse potest etiam in operibus liberis, sinè ulla comminatione factis: ergo si Christus habuisset præceptum comminatorium pœnæ & inimicitiæ, & tamen fuisset incapax culpæ, tunc per necessitatem antecedentem fuisset Christo necessarium, redimere genus humanum, & impossibile non, redimere. *Eôdem a. 2. ad 2dum de* hac ipsa præscientia & præordinatione exponit illam Christi orationem: *Pater, si non potest calix hic transire* &c. quem locum Adversarij exponunt de præcepto: ergo *S. Thom.* stat pro nostra resolutione. *Confirmatur* juxta eundem *S. Thom.* *2. 2. q. 88. a. 4. ad 2.* Christus etiam quâ homo, non potuit vovere, rationem hanc dat: quia habebat voluntatem firmatam in bono; atqui hæc ratio etiam

etiam probat, quòd Christus non potuerit strictô præceptô obligari: ergo ex mente *S. Thom.* Christus non habuit præceptum *strictum* de subeunda morte, adeoque salvâ impeccabilitate poterat mortem non subire.

§. I.

Solvuntur objectiones contra primam partem Thesis, quæ dicit: quòd voluntas humana in Christo, fuerit absolutè impeccabilis, ratione unionis hypostaticæ.

OBjicies 1mò. Ex eo: *quòd videatur Christus de-* 14.
factò peccâsse, adeoque & peccare potuisse. Unde sic. 2. ad *Corinth.* 5. *v.* 21. dicitur: *Deus eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*; atqui ab actu ad potentiam bona est argumentatio: ergo. 2dò. *Psalm.* 21. legitur: *Quare me dereliquisti longè à salute mea verba delictorum meorum*; atqui hoc intelligitur de Christo, ùt communiter explicant sancti Patres: ergo, cùm Christus fateatur se longè esse à Deo propter peccata sua, sequitur eum peccâsse. 3tiò. Ad *Hebr.* 2. *v.* 18. habetur: *In eo, in quo Christus passus est, & tentatus, potens est, & his, qui tentantur auxiliari*; atqui maximè indigemus auxiliô Dei contra peccatum: ergo in Christo fuit peccatum. 4tò. *S. August.* de Agone Christi inquit; *quòd Christus peccatoribus dederit perfectissima pœnitentiæ exempla*; atqui pœnitentia supponit peccatum: ergo in Christo fuit peccatum. *Resp. Ad 1mum. Explic. textum* scripturæ: Deus fecit Christum peccatum, id est: hostiam pro peccato, *Conced.* Fecit peccatum transgrediendo aliquod præceptum

ptum divinum, *Neg.* Et hoc ſenſu etiam *Oſeæ 4.* dicitur: *Sacerdotes peccata populi comedent*, hoc eſt: hoſtias pro peccatis populi oblatas. *Ad 2dum.* Dico: quòd ibi ſit mentio de peccatis aliorum hominum, quæ Chriſtus ùt Fidejuſſor, luenda ſuſcepit, non verò de peccatis Chriſti. *Ad 3tium.* Explico textum: paſſus eſt & tentatus, ità, ut tentationi ſuccubuiſſet, *Neg.* Ità, ut ex ſua tentatione, & paſſione nobis ſit auxiliatus, pro nobis ſatisfaciendo, peccatum autem non operando, *Conced. Ad 4tum. Explico textum: S. Auguſt.* Et ille intellexit nomine pœnitentiæ pœnas, quas pro peccatis noſtris Chriſtus ſuſtinuit, *Conced.* Intellexit nomine pœnitentiæ virtutem moralem, deletivam peccati, *Neg. textum S. Auguſt.* Similiter alij textus ſunt explicandi.

15. *Objicies 2dò.* Ex eo: *quòd Deus potuerit permittere, ut voluntas humana Chriſti poſſet proximè peccare.* Jam ſic: Poteſt Deus permittere voluntatem alienam poſſe proximè peccare: ergo etiam voluntatem Chriſti. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſp. eſt:* quia Deus reſpectu aliarum voluntatum, gerit ſe *ùt cauſa univerſalis*, per providentiam generalem, ad quam pertinet permittere peccata ad manifeſtationem ſuæ Majeſtatis, juſtitiæ, ac miſericordiæ; at verò reſpectu voluntatis humanæ Chriſti, habet ſe *ùt cauſa partialis*, cùm teneatur eam dirigere, ùt propriam, & ad eam dicat ſpecialem habitudinem, utpotè proprium ſuppoſitum humanitatis aſſumptæ, nè, ſicut actiones ſunt ſuppoſitorum, ità defectus & peccata ab ipſo ſuppoſito dicantur, non tantùm *imputativè*, *denominativè*, & *interpretativè*, ſed etiam *elicitivè* provenire.

16. *Objicies 3tiò.* In divinam voluntatem nulla poteſt cadere obligatio, cùm non ſit capax præcepti aut legis: ergo poteſt Deus permittere naturam humanam

nam in Christo, ut peccet. *Resp. Dist. Ant.* Nulla potest cadere obligatio, orta ex lege & præcepto, *Conced.* Orta ex ipsa natura divina, quæ ex essentia sua est determinata ad non peccandum, *Neg. Ant.* Quòd Deus non possit permittere, ut peccet natura humana in Christo, hoc non oritur *vi alicujus præcepti*, aut à natura humuna, sed à *Natura Divina*, *ùt unita*, saltèm mediatè, humanitati, quæ non potest peccare, nec permittere tunc peccatum, quando refunderetur in illam; atqui hìc refunderetur in illam peccatum, propter unionem hypostaticam: ergo &c.

Objicies 4tò. Potest Verbum efficaciter velle, ut actiones naturæ assumptæ ad se, non pertineant aliô titulô, quàm titulò causæ universalis: ergo potest efficere, ut ipsi non imputentur ad culpam. *Resp. Neg. Ant.* Quia, Sicut positâ unione hypostaticâ, humanitas assumpta, eô ipsô *non impedibiliter* fit propria Verbi, fitque independens ab ejus ulteriori consensu, ità etiam istius humanitatis actiones, fiunt propriæ Verbi, *ùt principij quod* particularis; & quidem sic, ut eô ipsô teneatur illas tanquam *specialiter* suas curare, & ordinare. 17.

Objicies 5tò. Morbus alicujus communitatis unius membri, non redundat in cætera membra ejusdem communitatis: ergo nec peccatum naturæ assumptæ, redundaret in Verbum. *Resp. Neg. Conseq.* Quia morbus est quid physicum; at verò peccatum est quid morale; alia autem est ratio *boni* & *mali moralis* quoad redundantiam; & alia *boni* & *mali physici.* Sic *infamia* Patris redundat in totam familiam, non tamen semper malum physicum, *v. g. morbus.* Ratio est: quia bonum aut malum morale unius, redundat in alios, non per physicam inhærentiam, 18.

vel

vel adhærentiam, utì malum physicum, sed per *moralem æstimationem*, quâ communi prudentum judiciô censetur afficere omnes conjunctos: ergo &c.

19. *Objicies 6tò.* Si homo hypostaticè unitus Verbo, uniretur fluvio, vel leoni, non teneretur impedire exundationem fluvij, vel ruitum leonis: ergo etiam Verbum unitum humanitati non tenetur impedire peccata. *Resp. Transf. Ant. Neg. Conseq. Disp. est*: quia fluvius, aut leo, *non est rationalis*; & per consequens non posset ab homine regi hypostaticè unito, neque coërceri, nè noceat; Si tamen ille fluvius, aut leo *esset rationalis*, & posset ab homine regi ac coërceri, nè noceat, proculdubiò ad impeditionem injusti nocumenti teneretur; at verò Verbum potest dirigere humanitatem, & hæc capax est directionis: ergo ratione tam *strictæ unionis*, tenetur ad *specialem directionem*, & impeditionem peccati.

20. *Objicies 7mò.* Estò verum sit, quòd superior teneatur inferiorem dirigere, si in inferiore non reperiatur propria libertas, ùt contingit in corpore & appetitu sensitivo respectu animæ, non tamen videtur hoc valere in natura assumpta respectu Verbi, cùm etiam illa habeat propriam libertatem, & voluntatem: ergo. *Resp. Neg. Ant.* Si enim Pater obligatur ad directionem filij, & Dominus ad directionem servi, licèt cum illis solùm faciant *unum moraliter*; à fortiori sequitur, naturam superiorem ad id obligari, quando cum inferiore facit *unum per se*, in esse suppositi; quandoquidem ista unitas multò magìs, & specialiùs faciat esse actiones illius suppositi; in *hac* itaque *unitate*, & non in defectu libertatis partis inferioris, fundatur obligatio, quâ pars superior in homine tenetur gubernare inferiorem.

Obji-

Objicies 8vò. Si Angelus assumeret naturam humanam hypostaticè, quamvìs per humanam voluntatem peccaret, non tamen tribueretur peccatum voluntati Angelicæ, sed soli humanæ, quæ per se est libera: ergo idem dicendum est de Verbo divino. *Resp. Neg. Conseq. Disp.* est: quia voluntas Angelica non haberet *illam vim*, ut suô arbitriô posset in omnibus rebus dirigere voluntatem humanam, eámque movere ac trahere, quô vellet; quia non haberet *illam efficaciam* supra voluntatem humanam, quam voluntas divina habet; At verò Voluntas divina potest in omnibus rebus dirigere voluntatem humanam, eámque movere ac trahere, quò vult: ergo. 21.

Objicies 9nò. Potest stare peccatum cum gratia, de absoluta potentia Dei: ergo etiam cum unione hypostatica. *Resp. Transf. Ant. Neg. Conseq. Disp. est*: quia natura humana propter personalitatem Verbi, redditur *simpliciter & summè* sancta, sanctitate substantiali, & infinitâ, ob quàm sanctitatem unio hypostatica *essentialiter* pugnat cum omni peccato, etiam veniali; at verò gratia habitualis non reddit naturam humanam *simpliciter & summè* sanctam; adeóque ab ea non excludit *essentialiter* omne peccatum mortale, sed tantùm *connaturaliter*: ergo. 22.

Objicies 10mò. Voluntas divina est communis omnibus tribus personis divinis; atqui Pater, & Spiritus Sanctus non tenebantur speciali modô regere humanam Christi voluntatem, & eam immunem servare ab omni peccato: ergo neque Verbum. *Resp. Dist. Maj.* Voluntas est ità communis omnibus tribus Personis, ut sit simul propria singulis, *Conced.* Ità, ut non sit simul propria singulis, *Neg. Maj.* Unde specialis cura regendæ humanitatis assumptæ, & voluntatis, *primariò* pertinuit ad Verbum, *secundariò* 23.

dariò ad reliquas duas Perſonas, in quantùm hæ non poſſunt diſcordare à voluntate Verbi.

24. *Objicies* 1*mò*. Peccatum naturæ aſſumptæ ex aliquo fine poſſet honeſtari, v.g. ut oſtenderetur humani arbitrij libertas, vel aliqua laudis perfectio, quòd v.g. non peccaverit, cùm potuerit peccare: ergo. 2*dò*. Saltèm natura humana ſubſiſtens ſubſiſtentiâ propriâ, & unita Verbo, poſſet peccare: ergo. *Prob. Ant.* Tunc actio peccaminoſa non tribueretur ſuppoſito divino: ergo. 3*tiò*. Illud impedimentum non eſt *intrinſecum*, neque unio hypoſtatica immutat libertatem creatam: ergo in illa manet potentia proxima peccandi. 4*tò*. Confirmatus in gratia ſolùm eſt *extrinſecè proximè* impeccabilis: ergo etiam natura humana aſſumpta à Verbo. *Reſp. Ad* 1*mum Neg. Ant.* Licèt enim hoc valeat in naturis non aſſumptis, non tamen in natura aſſumpta. Ratio *Diſpar. patet ex dictis n.* 15. cùm reſpectu hujus, Deus non habeat ſe *ùt cauſa univerſalis*, ſed ùt proprium ſuppoſitum: ergo. *Ad* 2*dum. Neg. Ant.* Quia illa natura humana, propriâ ſubſiſtentiâ ſubſiſtens, eſſet ſubſtantialiter & infinitè ſancta propter unionem cum natura divina; atqui cum infinita, & ſumma ſanctitate, non eſt componibile peccatum; & hoc excludere, licèt ſit *effectus ſecundarius* ſanctitatis, eſt tamen *eſſentialis* & *neceſſariò* connexus: ergo. *Ad* 3*tium. Neg. Ant.* Siquidem hoc impedimentum eſt unio hypoſtatica; atqui hæc eſt intrinſeca: ergo. *Præterea*: ipſa perſonalitas Verbi, ità ſanctificat humanitatem, ut hæc ſanctitas pugnet cum omni peccato; potentia autem proxima peccandi non conſiſtit in ſola voluntate creata *de ſe libera*, ùt patet in beatis, ſed varia importat *connotata*, tum *poſitiva*, ut concurſum paratum ad malum, tum *negativa*,

ùt negationem visionis beatificæ, & unionis hypostaticæ: ergo. *Ad 4tum. Neg. Conseq.* Quia in primo casu assistentia Dei, quâ præservatur à peccato, debetur confirmato in gratia, tantùm ratione decreti divini, planè *extrinseci*; at verò humanitati assumptæ debetur ratione unionis hypostaticæ, quâ *intrinsecè* perficitur, & completur in esse suppositi.

Objicies 12mò. Unio hypostatica potest stare cum fomite peccati: ergo etiam cum peccato. *Resp. Neg. Ant.* Sive enim per *fomitem peccati* intelligatur entitas appetitûs corrupti, antevertentis rationem, & retrahentis ad peccatum, proùt explicat *Concilium Tridentinum*; sive intelligantur actus indeliberati, tendentes in objectum prohibitum; neutrô sensu fuit in Christo *fomes peccati*, utpotè dedecens summam sanctitatem. Idem est dicendum de habitu vitioso, propter eandem rationem; imò Christus utpotè impeccabilis, non posset talem habitum producere per actus vitiosos: ergo. 25.

Objicies 13tiò. Licèt Deus sit *essentialiter* vita, potest tamen per communicationem idiomatum dici mortuus: ergo etiam, licèt Deus sit *essentialiter* sanctus, potest tamen per communicationem idiomatum, dici peccator. *Resp. Neg. Conseq. Disp. est: 1mò,* Quia mors est quoddam malum physicum; quod potest à Deo cohonestari; at verò peccatum est malum morale; repugnat autem tam respectu Dei, quàm respectu unionis hypostaticæ malum morale, cùm & Deus, & unio hypostatica exigant summam sanctitatem: ergo. *Disp. est: 2dò.* Quia quidquid per *communicationem idiomatum* dicitur de Deo, hoc quasi *peculiari modô* approbatur ab illo, & ità Deificatur, ut sit dignum cultu latriæ; atqui mors potest *peculiari modô* approbari à Deo: ergo. At ve- 26.

rò peccatum non poteſt *hôc modô* approbari : ergo &c.

27. *Objicies 14tò.* Licèt anima rationalis uniatur corpori per veram & immediatam unionem, tamen non denominat corpus ſpirituale: ergo etiam, licèt natura humana peccans uniretur Verbo divino, tamen non diceretur Verbum divinum peccare. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſpar. eſt*: Quia forma ſubjecto, & vice verſa ſubjectum formæ, vel quaſi formæ, non communicat *perfectiones intranſitivas*, ſed tantùm *tranſitivas*; atqui eſſe ſpirituale, eſt *perfectio intranſitiva* : ergo non communicatur ipſi ſubjecto, nempe corpori; at verò peccare, eſt quid *tranſitivum*, ſicut etiam eſſe impeccabilem eſt *perfectio tranſitiva*: ergo poteſt communicari Chriſti extremis mutuò unitis.

28. *Objicies 15tò.* Humanitas Chriſti ex vi ſolius unionis hypoſtaticæ, non evaſit ſapientior, aut potentior : ergo ſtante unione hypoſtaticâ, æquè natura humana fuit fragilis, & peccabilis. *Reſp. Diſt. Ant.* Non evaſit ſapientior aut potentior formaliter, *Conced.* Non evaſit ſapientior aut potentior radicaliter, & exigitivè, in quantùm ratione unionis hypoſtaticæ exigebat omnia dona ſupernaturalia, perficientia intellectum & voluntatem, *Neg. Ant. Diſt. etiam Conſeq.* Ergo fuit fragilis & peccabilis remotè, *Conced.* Proximè, *Neg. Conſeq.* Hoc ſenſu fuit *remotè peccabilis*, quòd videlicet, ſi Verbum divinum ceſsâſſet ipſam terminare, & ipſi uniri, deinde ſi acceſſiſſet *perſonalitas creata*, potuiſſet ſic peccare, ſicut nos defactò peccamus. Aut cùm omnis humana natura ſit *ab intrinſeco* defectibilis, & in Chriſto fuerit vera natura humana; ideò etiam debuit eſſe defectibilis, & *remotè* peccabilis.

29. *Objicies 16tò.* Non obſtante unione hypoſtaticâ, natu-

natura humana erat mutabilis de loco in locum : ergo etiam poterat esse mutabilis de bono in malum. *Confirmatur.* Natura humana Christi, fuit libera ad *bene* agendum: ergo etiam fuit libera, ad *malè* operandum. *Resp. ad Argument. Neg. Conseq. Disp. est*: quia prima mutabilitas non importat ullam moralem indecentiam ; at verò altera importat, ùt per se patet: ergo. *Ad Confirm. Dist. Ant.* Fuit libera libertate contradictionis, videlicet, quòd potuerit agere bonum, vel non agere, omittendo illud per aliquem actum disparatum, *Conced.* Fuit libera libertate contrarietatis, videlicet, quòd potuerit bonum agere vel malum, *Neg. Ant. & Conseq.*

Objicies 17mò. Licèt humanitas Christi non potuerit peccare in sensu composito unionis hypostaticæ, 30.
seu ità, ut peccando retineret unionem hypostaticam cum Verbo, potuit tamen peccare in sensu diviso, ità, ut per peccatum dissolveretur unio hypostatica, & primum esse peccati, esset primum non esse unionis hypostaticæ: ergo non fuit absolutè impeccabilis. *Resp. Neg. Ant.* Ratio hujus fundatur in duobus. 1mò. Quòd subsistentia, adeoque & unio hypostatica, sit *indispensabiliter*, & *connaturaliter* naturâ prior qualibet operatione, naturæ assumptæ. 2dò. Quòd implicet, humanitatem simul terminari subsistentiâ Verbi, & aliquâ subsistentiâ creatâ sive propriâ sive alienâ. His suppositis, evidens est, quòd unio hypostatica sit substantiale complementum naturæ, adeoque de *intrinseca* suppositi *constitutione*, saltèm *ùt quo*; proinde debeat esse prior naturâ omni actione humanitatis assumptæ, cùm *essentialiter* priùs sit naturam subsistere, quàm operari; & consequenter subsistentia sit conditio *essentialier requisita*

quisita ad omnem naturæ operationem: ergo humanitas non poteſt peccare in ſenſu diviſo explicato; quia aliàs unio hypoſtatica eſſet principium actionis ſui deſtructivæ pro eodem inſtanti, pro quo exerceret rationem principij, quòd manifeſtè implicat; ſic enim unio hypoſtatica pro eodem inſtanti *ſimul eſſet*, quia actualiter principiaret, & *ſimul non eſſet*, quia actualiter deſtrueret per actionem hoc, cujus eſſet principium.

31. *Objicies* 18vò. Homo juſtus poteſt peccare in ſenſu diviſo, ſic, ut perdat juſtitiam & gratiam: ergo etiam humanitas Chriſti poteſt ſic peccare, ut perdat unionem hypoſtaticam. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſp. eſt:* quia gratia habitualis non conſtituit ſuppoſitum ſeu perſonam, ſed ei ſupervenit; adeóque non eſt neceſſariò naturâ prior, qualibet actione hominis juſti, cùm homo juſtus non operetur neceſſariò *ùt juſtus*; proinde poteſt elicere aliquam actionem, quæ ipſam gratiam expellat; at verò unio hypoſtatica conſtituit ſuppoſitum divinum, adeoque ante quamlibet Chriſti operationem, intelligitur *pro priori* unio hypoſtatica: ergo impoſſibile eſt, ut per aliquam Chriſti operationem diſſolvatur, & deſtruatur unio hypoſtatica.

§. II.

Solvuntur objectiones contra ſecundam partem Theſis, quæ dicit: quòd cum impeccabilitate Chriſti conſiſtere potuerit verum, non tamen ſtrictum præceptum, de ſubeunda morte.

32. OBjicies 1mò. Ex eo: *quòd Chriſtus videatur habuiſſe ſtrictum præceptum de ſubeunda morte.* Unde ſic: *Joan.* 10. *v.* 18. dicit Chriſtus: *Hoc man-*

mandatum accepi à Patre meo. Item 14. v. 31. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; atqui his textibus videtur denotari strictum præceptum: ergo Christus videtur habuisse strictum præceptum de subeunda morte. *Resp. Neg. Min.* Citati enim textus intelligendi sunt de mandato & præcepto vero quidem, minùs tamen stricto, adeoque non obligatorio in conscientia, quod patet ex *S. Chrysostomo*, qui *homiliâ* 60. super illa verba Christi *Joan. 10. Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam: nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso*; ità inquit: *nam si præcepto fuisset opus, quid attinebat illum dicere: à me ipso pono? Quippe, qui à se ipso ponit, nihil habet opus præceptô*; addens S. Chrysostomus, per mandatum intelligi beneplacitum: ergo.

Objicies 2dò. Ad Rom, 5. Inobedientia Adami, & obedientia Christi contraponuntur sibi: ergo, sicut respectu Adami dabatur præceptum strictum & comminatorium, ità etiam respectu Christi. *Confirmatur.* Christus habuit verum & propriè dictum præceptum de subeunda morte pro nostra salute; atqui omne præceptum quâ tale, obligat in conscientia: ergo. *Resp. Ad Argument. Neg. Conseq.* Quia Adamus erat peccabilis, non verò Christus; per consequens respectu Adami possibile erat præceptum strictum & comminatorium, non verò respectu Christi. *Ad Confirm. Dist. Min.* Omne præceptum commune seu lex, quæ fertur communitati, obligat in conscientia, *Trans.* Omne præceptum simplex, quod imponi potest etiam particulari personæ, obligat in conscientia. *Neg. Min. & Conseq.* 33.

Replicabis. Præceptum commune obligat in conscientia: ergo etiam simplex. *Resp. Neg. Conseq. Disp. est:* quia communitas constat magnâ multitu- 34.

dine personarum, quarum multæ sunt varijs passionibus, & affectibus inordinatis obnoxiæ, adeóque difficiles ad exequendam superioris voluntatem; hinc nisì ejusmodi præceptum obligaret in conscientia, esset inefficax; at verò persona aliqua particularis potest esse ità *ingenua*, *virtuosa*, & *bene disposita*, ut promptissimè exequatur superioris voluntatem, etiam nutu intimatam, & absque omni comminatione sub culpa; cùm igitur Christus fuerit naturalis Filius Dei maximè *ingenuus*, & *perfectissimè dispositus* per dona gratiæ, ad promptissimè exequendum quemlibet Paternæ voluntatis nutum, ideò non decebat, imò implicabat, ut eô præceptorum genere premeretur, quô peccatores & inimici Dei, aut etiam justi, & filij adoptivi, non obstante gratiâ habituali, *fomitem peccati*, & talem dispositionem retinentes, quâ facilè adversùs Patrem possunt rebellare, & mandata ejus contemnere, prem ntur: ergo.

35. *Objicies 3tiò.* Si Christus non habuisset rigorosum præceptum, tunc habuisset tantùm consilium de subeunda morte; atqui hoc est contra Sacram Scripturam, quæ consilium & præceptum distinguit *1. ad Corinth. 7. Præceptum Domini non habeo, consilium autem do:* ergo. *Resp.* Neg. *Maj.* Quia nudum, & purum consilium, nullam necessitatem, nullum onus involvit, neque habet adjunctam *interminationem carentiæ* alicujus magni boni, aliàs conferendi; atqui præceptum Christi, licèt non obligaverit in conscientia, obligavit tamen sub *interminatione* & *onere* carendi aliquô præmio gratuitô, nempe: *exaltatione nominis*: ergo non fuit *purum* & *nudum consilium*, sed *verum præceptum*, licèt minùs rigorosum, quia non obligatorium in conscientia. *Præterea:* inter consilium & præceptum, hæc est differentia: *imò.* Quia con-

conſilium non procedit à ſuperiore *quâ tali*, cùm conſultor poſſit eſſe inferior, aut æqualis reſpectu illius, cui dat conſilium; at verò præceptum procedit à ſuperiore *quâ tali*: ergo. 2*dò*. Quia conſultor per conſilium tantùm intimat alteri ſuum judicium de re, quam conſulit; at verò ſuperior, præcipit, ut decretum ſuæ voluntatis in executionem ab inferiore deducatur. Quod ſi ſuperior *prudenter* prævideat, quòd hoc decretum, & præceptum non deducetur in effectum, niſì adjiciatur eidem *comminatio culpæ*, aut *pœnæ*, tunc *prudenter* talem *comminationem* adjiciet; ſi verò *prudenter* prævideat, quòd ſubditus tale decretum & præceptum promptiſſimè exequetur, tunc fruſtra adjiciet *comminationem culpæ*, aut *pœnæ*; Unde præceptum præſcindit à comminatione culpæ aut pœnæ. Cùm igitur Pater æternus præviderit, quòd Chriſtus *promptiſſimè* exequetur præceptum de ſubeunda morte, ideò illi præcepto nullam adjecit *comminationem*, & *obligationem in conſcientia*. Chriſtus itaque non ſubivit mortem ex conſilio, ſed ex præcepto, licèt non ſtricto, & obligatorio in conſcientia.

Objicies 4tò. Ubicunque ſacra ſcriptura facit men- 36.
tionem præcepti, videtur loqui de præcepto ſtricto, & rigoroſo: ergo præceptum Chriſti de ſubeunda morte, videtur fuiſſe rigoroſum. *Reſp.Neg. Ant.* Sic *Job. 9. & 36.* dicitur Deus præcepiſſe Soli & nivi, & tamen nec ſol, neque nix, eſt capax præcepti ſtricti. Item *Jeremiæ 36. v. 26.* dicitur Rex præcepiſſe ſuis, ut comprehenderent Jeremiam, quem tamen Deus abſcondit. Item *Matthæi 15. v. 35.* JEſus præcepit turbæ, ut diſcumberent ſuper terram; utique non obligavit illam in conſcientia. Item *Marci 7.* Quantò Chriſtus magìs præcipiebat turbis, nè miracula evulgarent, tantò magìs illa prædicabant; atqui in

his & alijs Sacræ Scripturæ locis, fit mentio præcepti, & tamen non obligatorij in conſcientia: ergo Sacra Scriptura faciens mentionem præcepti, non ſemper intelligenda eſt de *rigoroſo*, & *in conſcientia* obligatorio præcepto.

37. *Objicies 5tò.* Diſtinguere inter præceptum obligatorium in conſcientia, & non obligatorium, eſt rem ſinè fundamento aſſerere: ergo præceptum Chriſti, vel fuit ſtrictum, vel nullum. *Reſp. Neg. Ant.* Patet hoc in humanis, ubi poſſunt dari præcepta, & conſtitutiones non obligantes in conſcientia, ſed tantùm privantes aliquô bonô *conditionatè debitô*, vel etiam nullô modô debitô. Sic talis conſtitutio eſt, quæ præcipit electis Epiſcopis, ut intrà præfinitum à Canonibus tempus, petant à ſede Apoſtolica confirmationem, ſub comminatione amiſſionis *juris quæſiti* per electionem, quæ omiſſio petitionis poteſt fieri ſinè omni culpa Theologica, & tamen eâ intermiſsâ amittitur *jus quæſitum*, quod erat *conditionatum*, vel *conditionatè* duraturum; unde conditione non impletâ, exſpirat. Idem eſt in conſtitutione, jubente fieri præſentationem *ſub pœna amiſſionis juris.* Similes conſtitutiones erant circa ſecundas nuptias, & plures referri ſolent à Juriſperitis de juſtitia & jure: ergo diſtinctio inter præceptum obligatorium in conſcientia & non obligatorium, non caret fundamentô.

38. *Objicies 6tò.* Chriſtus mortuus eſt ex obedientia; atqui obedientia reſpicit præceptum propriè dictum: ergo. *Reſp. Conced.* totum, ſed *Neg.* quòd de ratione omnis præcepti propriè dicti, ſit comminatio culpæ, aut pœnæ, ùt pauló antè explicatum eſt; adeoque licèt Chriſtus habuerit *verum præceptum* de ſubeunda morte, tamen non habuit *ſtrictum*, & *obligatorium* in conſcientia.

Re-

Replicabis. Omne verum præceptum inducit ali- 39.
quod debitum obedientiæ, seu obligationem obediendi; atqui talis obligatio est sub culpa, vel sub pœna, vel sub utroque simul: ergo. *Resp. Neg. Min.* Ad obligationem enim seu debitum obedientiæ, *simpliciter tale*, sufficit, ut superior *quâ talis* præcipiat aliquid subdito, sub debito majoris honestatis, aut sub onere carendi præmiô aliquô gratuitô, quod superior statuit dare exequenti suum simplex mandatum, non obligatorium in conscientia. Sic, si Pater obedientissimo filio præcipiat: *Fili volo hoc ardui à te fieri, quòd si id feceris, habebo in te majorem complacentiam, & designabo tibi majorem partem hæreditatis; quòd si non feceris, non ideò habebis me tibi offensum;* hoc præceptum non est obligatorium in conscientia, licèt sit onerosum: ergo. Et ità Christo erat onerosum præceptum mortis, quòd si mortem non acceptâsset, non fuisset quidem privatus amicitiâ Dei, aut visione beatificâ, caruisset tamen gloriâ, & exaltatione sui nominis, juxta illud ad *Philippens. 2. Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen:* ergo.

Objicies 7mò. Christo fuerunt imposita præcepta 40.
ejusdem rationis, quæ nobis imponuntur, juxta illud *Joann. 15. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & Ego Patris mei servavi, & maneo in ejus dilectione;* atqui præcepta, quæ nobis imponuntur, sunt comminatoria culpæ & pœnæ: ergo etiam præceptum Christo impositum, fuit comminatorium culpæ & pœnæ. *Resp. Dist. Maj.* Sunt ejusdem rationis genericæ & analogicæ, *Conced. Maj.* Specificæ & univocæ, *Neg. Maj.* Quando Christus suum præceptum comparat cum nostro, id intelligendum

est

est in sensu accomodo, quod Sacræ Scripturæ familiare est. Sic Christus *Joan. 10. & 20.* dicit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Ex quo tamen non sequitur, quòd filius Dei eô modô missus fuerit, sicut ipse misit Apostolos. *Item*, jubemur esse perfecti, sicut Pater Cœlestis perfectus est; exinde tamen non licet inferre, quòd homo possit, aut teneatur evadere tam perfectus, sicut est perfectus Pater Cœlestis: ergo idem dicendum est de præceptis nostris, & Christi, quòd videlicet sint ejusdem rationis *analogicæ*, & *genericæ*, non verò *specificæ*, & *univocæ*. In hoc igitur nostra præcepta cum Christi præceptis conveniunt, quòd utraque habeant communem voluntatem superioris dirigentem, & aliqualiter gravantem, si illi, renitatur; in hoc verò disconveniunt, quòd nostra obligent sub culpa, non verò Christi.

41. *Objicies 8vò.* Christus est Servus Dei, juxta illud *Isaiæ 42. Ecce Servus meus suscipiam eum*; atqui servis imponuntur præcepta sub culpa: ergo & Christo erant sub culpa imposita. *Resp. Dist. Maj.* Est Servus naturalis, & sinè imperfectionibus, *Conced.* Est Servus legalis, & cum imperfectionibus, *Neg. Maj.* Servis legalibus, & despoticè subjectis, imponuntur præcepta sub culpa, non verò Servis *naturalibus*, & *politicè* subjectis, qualiter etiam erat Christus subjectus Deo Patri: ergo.

42. *Objicies 9nò.* In hac sententia tollitur omnis laudabilitas ab obedientia Christi: ergo non subsistit. *Prob. Ant.* Honestas & laudabilitas obedientiæ, supponit præceptum: ergo. *Resp. Neg. Ant. Ad Probat. Dist. Ant.* Supponit præceptum vel latè, vel strictè acceptum, *Conced.* Semper strictè acceptum, *Neg. Ant. & Conseq.* Christo autem non fuit rigorosum impositum præceptum, ùt patet ex dictis. Hinc *S. Thom.*

2. 2. q.

2. 2. q. 104. a. 2. Aſſerit: *eô promptiorem eſſe obedientiam, quô magis prævenit expreſſum præceptum, voluntate ſuperioris intellectâ.* Et *a. 5. ad 3.* dicit: Obedientiam in obſervatione eorum, ad quæ quis obligatur, eſſe ſufficientem ad ſalutem, ſed adhuc aliam obedientiam eſſe & quidem perfectam, quæ cognita voluntate ſuperioris obedit etiam in illis, quæ licitè poſſent omitti: ergo.

Objicies 10mò. Chriſtus ex lege naturali tenebatur 43.
pro nobis mori; atqui Chriſtus non fuit liber ad actus, qui ſunt lege naturali præcepti, vel prohibiti, aut intrinſcecè boni, vel mali: ergo. *Prob. Maj.* Lex naturalis obligat ad ſubveniendum proximo, conſtituto in aliqua extrema neceſſitate corporali, vel ſpirituali; atqui genus humanum erat Chriſto proximum tanquam membrum capiti, & etiam erat conſtitutum in extrema neceſſitate ſpirituali, nempe in periculo æternæ damnationis: ergo. *Reſp. Neg. Maj. Ad Prob. Diſt. Maj.* Lex naturalis obligat ad ſubveniendum proximo in extrema neceſſitate, ſi proximus non patiatur talem neceſſitatem permodùm pœnæ, juſtô judiciô ſibi decretæ propter ſuam culpam, *Conced. Maj.* Si talem neceſſitatem patiatur propter ſuam culpam, *Neg. Maj.* Totum autem genus humanum *juſtè* obnoxium erat tali damnationi, ſaltèm quoad pœnam damni, propter peccatum originale; adeoque Chriſtus non erat obligatus ex *lege naturali* ad nos redimendos; per conſequens fuit liber, ad mortem ſubeundam. Cæterùm, ad *Min. primi Syllogiſmi* dico: quòd Chriſtus non fuerit liber *quoad ſubſtantiam*, in ordine ad actus *jure naturæ* præceptos, vel prohibitos; fuit tamen ad illos liber *quoad modum*, & *circumſtantiam*; unde etiamſi Chriſtus non potuerit Deum odiſſe, mentiri &c. potuit tamen hunc, vel il-

lum

lum actum amoris divini *magìs*, vel *minùs intensum*, ex uno, vel pluribus motivis, elicere; adeoque licèt Christus Dominus habuerit *verum præceptum*, & *mandatum* de subeunda morte, aliísque actibus meritorijs exercendis, sufficiens ad veram obedientiam, non tamen habuit, sed nec habere potuit præceptum *rigorosè sumptum*, seu tale, cujus transgressio esset peccaminosa; Unde licèt Christus fuerit impeccabilis, potuit tamen *liberè* recusare mortem præceptam, citra omne peccatum, cùm *non omnis præcepti* transgressio sit peccatum, sed tantùm *præcepti obligantis in conscientia* sub culpa mortali, vel veniali.



THE-



THESES EX Universa Theologia Scholastica.

Ex prima Parte.

I.

Theologia, est doctrina divinitùs tradita, cooperante discursu naturali, de Deo rebúsque Divinis notitiam deducens. Non est strictè dicta scientia, quia eidem non potest convenire essentiale prædicatum scientiæ, quod est evidentia. Ità *Scotus in 3. dist. 24. Et in prolog. q. 3.*

II.

NOn desumit Theologia nostra principia sua, à Theologia Dei, & Beatorum, sed à Deo, ùt obscurè revelante, non clarè demonstrante; hinc non est subalternata scientiæ Dei, & Beatorum. Neque habitus Theologiæ totalis, secundùm sua prædicata intrinseca consideratus, est simplex, & qualitas una, specie intrinseca.

III.

QUia tamen Theologia nostra, aliquibus actibus sistit in contemplatione sui objecti; aliquibus tendit ad opus; ideò est partim practica, partim speculativa, teste *S. Thom. 1. p. q. 1. a. 4.* Cujus objectum principale simul & attributionis, est Deus sub ratione Deitatis.

IV. Hæc

IV.

HÆc propoſitio: Deus eſt; ſeu: Deus exiſtit; licèt poſſit judicari eſſe vera ab aliquo intellectu ex ipſis terminis, & ſinè omni diſcurſu; à noſtro tamen intellectu non poteſt judicari ùt talis; hinc, quamvìs hæc propoſitio ſit nota per ſe ſecundùm ſe, non tamen eſt nota quoad nos viatores. Ità *S. Thom. 1. p. q. 2. a. 1.*

V.

EXiſtentia Dei, non tantùm ex conceptu objectivo entis optimi, adeóque quaſi à priori demonſtrari poteſt, verùm etiam ex effectibus, ſeu à poſteriori. Pro qua exiſtentia demonſtranda, adducit *S. Thom. 1. p. q. 2. a. 3.* quinque demonſtrationes, quibus, ùt ait *Contenſon*, veluti quinque limpidis lapidibus frons Atheiſmi feritur.

VI.

ESſentiam Summi Numinis phyſicam, conſtituunt, in ſenſu reali adæquatè omnes perfectiones, & formalitates tam abſolutæ, quàm relativæ Deo intrinſecæ. Eſſentia verò Metaphyſica Dei, ſecundùm noſtrum modum concipiendi, conſiſtit formaliter, & adæquatè in ſolo prædicato entis ſimpliciter, ſeu entis quà talis, ſinè omni addito; vel, ùt alij volunt, eſſe ſimpliciſſimè.

VII.

LIcèt oculus corporeus, non poſſit ullô modô elevari ad Deum immaterialem videndum, poteſt tamen oculus mentis per potentiam extrinſecam, eum clarè, & intuitivè videre, utì patet; Tum ex illo *Matth. 5. v. 8.* Beati mundô corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Tum ex illo *1. Joan. 3. v. 2.* Videbimus eum ſicuti eſt.

VIII. Hæc

VIII.

HÆc elevatio defactò fit per intrinſecum lumen gloriæ, utì definitum eſt in Concilio Viennenſi contra Beguardos, & Beguinas. Non repugnat tamen, quominùs divinitùs etiam per auxilium extrinſecum, ad talem viſionem eliciendam, intellectus elevari poſſit; teſte *Scotô in 3. diſt. 14. q. 2. a. 2.*

IX.

EſSentia divina defactò videtur à Beatis ſinè ſpecie impreſſa, ùt unanimiter tenent Theologi; poteſt tamen Deus efficere ſpeciem impreſſam, per quam ejus eſſentia videatur à Beato; teſte *Scotô in 2. diſt. 3. q. 9.* Et *in 4. diſt. 49. q. 11.* Species expreſſa eſt ſemper neceſſaria.

X.

SCientia Dei entitativè unica, triplex eſt terminativè, nempe: ſimplicis intelligentiæ, Viſionis, & media, quâ cognoſcit Deus ſub conditione futura. Actus Dei liber non diſtingvitur intrinſecè, ac entitativè à neceſſario, ſed tantùm connotativè, & terminativè, ſeu ſecundùm obliqvum; non verò rectum.

XI.

PRædeſtinatio, eſt præordinatio creaturæ intellectualis ad gratiam & gloriam. Deus defactò prædeſtinat creaturas rationales adgloriam ùt coronam, ante prævisâ abſolutè merita. *S. Thom. 1. p. q. 25. a. 5.* Non tamen reprobat ante prævisâ abſolute demerita. Non enim delectatur in perditionibus noſtris. *Tobiæ 3. v. 22.*

XII.

GEnerationem ejus quis enarrabit? Mihi impoſſibile eſt (*inquit S. Ambroſius lib. de fide, ad Gratian. c. 5.*) generationis ſcire ſecretum. Hinc pro-

profundiſſimum Trinitatis Myſterium, ſolâ fide credi debet, nullâ evidenti ratione naturali demonſtrari poteſt.

XIII.

IN divinis omnia ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio; ait *S. Anſelmus de proceſſ. Spiritûs Sancti. cap. 2.* Unde Spiritus S. quia à Patre Filióque procedit, à Patre & Filio diſtingvitur; Si autem à Patre & Filio non procederet, neque ab illo diſtingveretur. *S. Thom. 1. p. q. 36. a. 2.*

XIV.

ANgelorum exiſtentia certa eſt ex fide; diſcurſu Philoſophicô perſvaderi poteſt. Sunt Spiritus naturâ ſimplices, independentes ab omni materia. Diſtincti non ſolùm Specie, ſed etiam numerô. *Scotus in 2. diſt. 3. q. 7.*

XV.

ANgeli naturali virtute non cognoſcunt Secreta cordium directè, & intuitivè; Solus enim Deus illa novit: juxta illud *2. Paralip. cap. 6. v. 30.* Tu ſolus nôſti corda filiorum hominum. Angelorum lingua intellectus eſt, ſed non aliter ſibi loqvuntur, quâm per ceſſionem juris. *S. Thom. 1. p. q. 107. a. 1.*

XVI.

CEcidiſſe Luciferum, & alios Angelos, certum eſt ex ſcriptura *Ezechiel. 18. Apocalip. 11.* Sed quomodò? Luxuriâne ſpirituali, an invidiâ, vel gulâ? Minimè. Caſus, & peccatum Luciferi, aliorúmque, ſuperbia fuit. Propter quod torquentur igne infernali, producente in ipſis qualitatem dolorificam. *Suarez hìc lib. 8. cap. 15.*

Ex

Ex Prima Secundæ.

XVII.

FInis ultimus propter quem homo creatus eſt, beatitudo eſt. Et quidem: una formalis, altera objectiva. Objectiva ſolus Deus eſt; nam quod ſatiat, hoc beat; Solus Deus ſatiat. Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. *Pſalm. 16. v. 15.* ergo ſolus Deus beat; adeóque nullum bonum creatum, poteſt eſſe beatitudo objectiva hominis.

XVIII.

BEatitudo formalis, non debet ità tribui intellectui, ut ad ejus perfectionem nihil conferat voluntas, beatus enim, quantùm exiſtimo, nec ille dici poteſt, qui non habet, quod amat, nec qui non amat, quod habet, inquit *S. Auguſt. lib. 1. de morib. Eccleſiaſt. cap. 3.* Unde phyſicè conſiderata tam in viſione, quàm in amore conſiſtit.

XIX.

QUod attinet eſſentiam metaphyſicam beatitudinis formalis, valdè probabile eſt, quòd conſiſtat in ſola viſione; hinc S. Scriptura *Joannis 17. v. 3.* dicit: Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum. Et *S. Auguſtinus* id confirmat in *Pſalm. 90.* dicens: Tota merces noſtra, viſio eſt.

XX.

CErtum fidei dogma eſt, beatitudinem formalem à parte poſt fore æternam & perpetuam, ùt patet ex Symbolo Apoſtolorum, in quo profitemur, & credimus vitam æternam. Hæc tamen perpetuitas, non tantùm dependet à decreto Dei extrinſeco, ſed eſt ab intrinſeco incorruptibilis, & perpetua. *S. Thom. 1. p. q. 10. a. 5. ad 4.*

XXI.

MEdia ad ultimum beatitudinis, & felicitatis portum nos propellentia, sunt actus humani, quibus tanquam remis, ad eundem propellimur. Hinc dari actus humanos, necesse est; ut autem actus humani sint meritorij, debent esse liberi; unde cuilibet & homini, etiam post lapsum Adæ, inest libertas indifferentiæ.

XXII.

HÆc libertas indifferentiæ, non solùm potest exerceri circa bona æqualia, ità, ut ex duobus bonis æqualibus possit, quodcunque voluerit, alterô relictô, homo eligere; sed etiam circa inæqualia, ità, ut possit minus, præferre majori. *S. Thom. q. 23. de veritate. a. 8.*

XXIII.

VErùm, non potest hoc fieri sinè omni actu voluntatis. Nam voluntas in actu secundo exercens libertatem, debet habere, quod non habebat in actu primo; carentiam autem actus habebat, adeoque per illam non potest exerceri libertas; proinde non datur pura omissio libera.

XXIV.

ACtus extremus non addit actui interno specialem malitiam, vel bonitatem formalem. Hinc *S. Augustinus lib. 1. de libero arbitrio. cap. 3.* ità dicit: Si cui non contingat voluntas concubendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquomodò sit, id eum cupere, &, si potestas detur, facturum esse, non minùs reus est, quàm, si in ipso facto deprehenderetur.

XXV.

VIrtus hominis nihil est aliud, quàm habitus, ex quo, & bonus homo ipse efficitur, & bene opus suum

ſuum reddit, inquit *Philoſophus 2. Ethic. cap. 6.* Dari in nobis virtutes, nemo Theologorum dubitat; verùm dari morales per ſe infuſas, negant *Scotiſtæ*, Affirmant *Thomiſtæ*; his ſubſcribimus, aſſerentes: quòd dentur in nobis virtutes morales per ſe infuſæ.

XXVI.

QUid aliud eſt peccatum, nisì legis divinæ prævaricatio? Ait *Sanctus Ambroſ. lib. de Parad. cap. 8.* Et quidem conformiter ad Scripturam, quæ eodem ſtigmate peccatum notat, & ab eo peccatores ſignanter prævaricatores vocat: Redite prævaricatores ad cor. *Iſaiæ 46. v. 8.* Nullum eſt malitiæ ſimpliciter infinitæ.

XXVII.

TOlle liberum arbitrium, (*inquit S. Bernardus,*) & non eſt quod ſalvetur, tolle gratiam, & non eſt unde ſalvetur. Efficacia itaque gratiæ, non ſolam entitatem gratiæ, ſed ſimul liberam voluntatis creatæ, importat cooperationem. Hinc *S. Paulus 1. Corinth. 15. v. 10.* dicit: Non ego, ſed gratia Dei mecum.

XXVIII.

PUſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus; clamat ſacer textus *Sapientiæ 6. v. 8.* Et *S. Paulus 1. ad Timoth. 2. v. 4.* dicit: Deus vult omnes homines ſalvos fieri. Concludendum itaque eſt, quòd Deus omnibus hominibus, det ſufficientia media ad ſalutem.

Ex Secunda Secundæ.

XXIX.

TRes ſunt virtutes Theologicæ, nempe: fides, ſpes, & charitas. Fidei objectum materiale, ſunt omnes veritates à Deo revelatæ, & toti Eccle-

ſiæ ad credendum propoſitæ. Objectum verò formale & motivum, eſt veracitas Divina tam in cognoſcendo, quàm in dicendo.

XXX.

HInc, neque ratio humana examinans intrinſecam connexionem prædicati cum ſubjecto in myſterijs fidei, ùt talibus; neque lumen ſeu habitus fidei; neque ſupremum dominium Dei; neque prima veritas Divina in eſſendo, ſunt objectum formale, & motivum fidei Theologicæ.

XXXI.

REvelatio eſt neceſſaria ad fidem, non tamen ùt objectum formale, ſed, ùt unio moralis, uniens authoritatem divinam objecto revelato. Ad fidem divinam non ſufficit revelatio purè exiſtimata; cùm nulla virtus exerceri poſſit, ſi deſit ipſius verum, & proprium objectum formale.

XXXII.

FIdes argumentum eſt non apparentium, *ad Hebreos 11. v. 1.* ideoque eſſentialiter obſcura; hac tamen obſcuritate non obſtante, poteſt ſtare cum evidentia de re atteſtata, ità, ut ab eodem intellectu, idem objectum materiale, poſſit ſciri, & credi.

XXXIII.

SPes, altera virtus Theologica, ùt importat actum deſiderij, habet pro objecto formali, & motivo, bonitatem Dei reſpectivam; in quantùm autem dicit erectionem animi, ipſius objectum formale & motivum, eſt Deus, ùt omnipotens, & miſericors auxiliator.

XXXIV.

DEſperatio eſt vitium ſpei oppoſitum, éſtque depreſſio animi aſpernantis, & contemnentis beatitudinem æternam, aut media ad eam neceſſaria.

Si

Si alicui ſua revelaretur damnatio, abſolutè ſalutem ſperare non poſſet; de ea tamen poſitivè deſperare non auderet.

XXXV.

CHaritas Regina, & forma cæterarum virtutum; quia vinculum, quô unimur Deo, eſt amor appretiativus Dei ſuper omnia; habet pro objectô formali, ac motivo, Deum ſub ratione bonitatis abſolutæ. *S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 5. ad 2.* Eſt diſtincta realiter à gratia.

XXXVI.

JUs activùm, eſt poteſtas legitima liberè in ſuum commodum, & felicitatem obligandi alterum, ad certas actiones ponendas, vel omittendas. Hujus terminus eſt id, quod debetur, & dicitur jus paſſivum. Dominium duorum in ſolidum tam temporaneum, quàm inſtantaneum, repugnat.

XXXVII.

USus licitus in rebus uſu conſumptibilibus, eſt ſeparabilis ab omni dominio, ùt patet in PP. Franciſcanis, paupertatem adeò ſtrictè profitentibus, ut nec quidem in communi habeant ullius rei dominium, ſed ſimplicem uſum, dominiô penes ſummum Pontificem remanente.

XXXVIII.

DE Eccleſiaſticorum Dominio nonnulli dubitant, an videlicet ſint Domini quoad reditus ſuperfluos, innixi multis authoritatibus; probabiliùs tamen eſt, quòd ſint. Unde ſi hos expendant in profanos uſus, non tenentur ad reſtitutionem.

XXXIX.

JUſtitia eſt conſtans, ac perpetua voluntas, jus ſuum cuique tribuendi; violatur per injuriam, reparatur per reſtitutionem; hinc qui ſæpiùs minima fu-

furatur, etiam absque animo surripiendi majora, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur, quando talia furta, faciunt magnam summam totalem.

Ex Tertia Parte.

XL.

MYsterium Incarnationis à sæculis in Deo absconditum, possibile est, solâ fide creditur, nullâ ratione naturali demonstratur; hinc *S. Bernard. Serm. 7. de Annunt.* ità dicit: Abyssus planè inscrutabilis Incarnationis Dominicæ Sacramentum, abyssus impenetrabilis: Verbum Caro factum est! Quis investiget? Quis attingat? Quis apprehendat?

XLI.

OPera Christi Theandrica, erant valoris simpliciter infiniti; unde satisfactio Christi, non solùm erat condigna, sed etiam superabundans; non tamen ex toto rigore justitiæ exhibita. Reliquas Theses in præsenti libello defendimus.

XLII.

SAcramentum juxta *S. Thom. 3. p. q. 60. a. 2.* est signum rei sacræ, in quantùm est sanctificans homines. Omnia septem novæ legis Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & intentione ministri. *Florentin. in decret. Evgenij.*

XLIII.

BAptismus, confirmatio, & ordo, imprimunt characterem. Licèt autem Sacramenti confirmationis, minister ordinarius sit Episcopus, potest tamen etiam simplex sacerdos, ex commissione solius Pontificis, esse extraordinarius ejusdem minister. *Can. Pervenit quoque. Dist. 95.*

XLIV. In

XLIV.

IN Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, continetur ſub ſpeciebus panis & vini, verum Corpus, & ſanguis Chriſti; quibus ſpeciebus, non eſt Chriſtus præſens per actionem adductivam, neque per actionem reproductivam, ſed per unitivam; adeoque unitur Chriſtus ſpeciebus Euchariſticis.

XLV.

POenitentia, dolor animi, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero, non eſt virtus Theologica, ſed moralis. *S. Thom. hìc q. 85. a. 2. ad 1.* Proùt conducit ad finem ſupernaturalem obtinendum, eſt per ſe infuſa, & quoad ſubſtantiam ſupernaturalis. *Suarez hìc Diſp. 3. Sect. 6.*

XLVI.

DUo ſunt principaliſſimi actus virtutis pœnitentiæ, nempe: contritio perfecta, & contritio imperfecta, ùt communiter docent Theologi, & patet ex *Trident. Seſſ. 14. c. 4.* Contritio perfecta, licèt ſemper, & ſtatim juſtificet illô inſtanti, quô elicitur, non tamen formaliter, ſed ſolummodò diſpoſitivè juſtificat. *S. Thom. hìc q. 86. a. 3.*

XLVII.

SAcramenti pœnitentiæ materia remota, ſunt peccata poſt baptiſmum commiſſa, proxima verò ſunt actus pœnitentis. Peccata mortalia quomodolibet oblita, ſi redeant in memoriam, ſunt neceſſariò confitenda, & directè clavibus Eccleſiæ ſubjicienda.

XLVIII.

OMnes circumſtantiæ peccati mortalis, ſpeciem mutantes, (*de venialibus enim peccatis non diſputant Theologi,*) debent explicari in confeſſione,

ùt

ùt patet ex *Concilio Tridentino Seſſ. 14. Can. 7.* Anathematizante eos, qui contrarium docuerint.

XLIX.

MAjor difficultas eſt de circumſtantijs aggravantibus malitiam; multi graves Theologi affirmant, alij negant has circumſtantias eſſe explicandas in confeſſione; nobis probabilius videtur, quòd nemo teneatur circumſtantias aggravantes in confeſſione explicare.

L.

EXtrema unctio, & matrimonium, ſunt vera novæ legis Sacramenta, ùt definitum eſt in *Tridentino Seſſ. 7. de Sacram. in gen. Can. 1.* Ubi hæc duo inter alia ſeptem numerantur Sacramenta. Ut Sacramentum matrimonij ſit validum, requiritur præſentia Parochi, & duorum, vel trium teſtium. *Trident. Seſſ. 24. de Matrim. cap. 1.*

A. M. D. G.

1750 die 2 Martij





Benevole Lector.

Pag.	Lin.	Errata.	Sic corrige.
65.	7.	ſuppoſitarum	ſuppoſitorum.
80.	12.	ſolvatur.	ſalvatur.
85.	23.	mortem.	reſurrectionem.
129.	30.	quodam.	quadam.
168.	21.	cui.	cur.
178.	10.	nclinat.	inclinat.
193.	20.	3tiò.	13tiò.
221.	16.	extrane.	extranea.
224.	27.	adæquatæ.	adæquatè.
225.	31.	ſubſiſtenti.	ſubſiſtendi.
229.	30.	hominem.	hominum.
230.	35.	veſtitutum.	veſtitum.
238.	35.	Paagæ.	Pragæ.
249.	33.	aſſumpſiſſet.	aſſumpſit.
277.	31.	humanitem.	humanitatem.
366.	25.	extrinſecam.	extraordinariam.

De Die autem illo vel hora nemo scit neque Angeli in Cœlo neque Filius nisi Pater.

Avi Paspus. es pr.

